D. MARTINI LUTHERI

OPERA LATINA

VARII ARGUMENTI

AD REFORMATIONIS HISTORIAM

IMPRIMIS PERTINENTIA.

CURAVIT

DR. HENRICUS SCHMIDT,
SCHOLAE LATINAE ERLANGENSIS PRAECEPTOR.

VOLUMEN VII.

CONT. SCRIPTA LUTHERI A. 1525 — 1541.

FRANCOFURTI AD M.
SUMPTIBUS HEYDERI ET ZIMMERI.
MDCCCLXXIII.

ERLANGAE TYPIS JUNGE ET FILII.

Index

Scriptorum V. A., quae tomo septimo continentur.

Formula missae et communionis pro ecclesia Vuittembergensi.

1523.

Lutherus, saepius cum ab aliis tum a Nicolao Hausmanno, Zuiccaviensium sive Cygneae ecclesiae pastore primario (episcopum Lutherus eum vocat), rogatus, ut formam missandi et communicandi proponeret ac praescriberet, mense Octobri anni 1523 consilium cepit his precibus ac postulationibus obsequendi (cf. Lutheri Epp. ed. Aurif. II, 133. 167b. de Wette II, 428. 429. Seckendorfii Hist. Luth. I, § 136. et Exordium ipsius Formulae Missae) et mense Novembri eiusdem anni composuit, mense Decembri edidit (cf. Luth. Epp. ed. Aurif. II, 169b. de Wette II, 434) libellum, quo missae rationem pro ecclesia Vittembergensi ordinavit, quamvis nulli prorsus praeiudicans, ne aliam amplecti vel sequi liceret (cf. Exordium ipsius libri et Epp. Luth. ed. de Wette II, 436).

Anno 1523 bis editus est hic liber tam forma quarta, quam octava, et anno sequente Paulus Speratus eum in germanicum transtulit sermonem suisque quondam auditoribus Iglaviensibus in Moravis Luthero auctore dedicatum (cf. Walchii introd. in T. X. Opp. Luth. p. 137) sub hac inscriptione in lucem edidit: Eyn weyse Christlich Meß zu halten vnd zum tisch Gottes zu gehen. Martinus Luther. Wittemberg M.D.XXIV. (Schütze Ungedr. Briefe Luth. III p. 309).

Vetustissimae huius libri editiones sunt:

Formula | Missae et Communionis | pro Ecclesia Vuittem- | bergensi. | Martini Luther. | Wittembergae M.D.XXIII. 4. (Tituli pagina signis typographicis est ornata, ultima pagina imaginem reddit ligno incisam, quae agnum cum cruce et vexillo repraesentat.)

(Panzer IX, 83. v. d. Hardt I p. 154.)

Formula Missae et Communionis pro Ecclesia Vuittembergensi Martini Lutheri. Wittembergae. M.D.XXIII. 8. (Tituli pagina signis typographicis est circumscripta, ultima pagina insigne refert Wolfii Koepfelii, typographi Argentoratensis).

(Panzer IX, 83.)

Latine exscriptus legitur hic liber etiam in ed. Opp. Luth. Ien. II, 588. Vittemb. II, 381, germanice in ed. Ien. III, 333, Vittemb. VII, 391, Altenb. III, 460, Lips. XXII, 332, Walch. X, 2744. Nos textum reddidimus secundum editionem originalem, quae anno 1523 Vittembergae forma quarta prodiit.

Formula missae et communionis pro
ecclesia Vuittembergensi.

Venerabili in Christo D. Nicolao Hausman 1), episcopo Cygneae ecclesiae, in Christo Sancto 2),

Martinus Luther 3)

Gratiam et pacem in Christo optat. Hactenus libellis et sermonibus egi inter populos, ut corda primum ab impiis opinionibus ceremoniarum avocarem, Christianum et commodum arbitratus me facere, si causa fierem, ut absque manibus contereretur abominatio, quam Satan per hominem peccati in loco sancto statuerat. Proinde nihil vi aut imperio tentavi, nec vetera novis mutavi, semper cunc-

---

1) In ed. Ien.: Hausmanno. 2) Ibid.: S. 3) In ed. orig.: Luther., in ed. Ien.: Lutherus.

tabundus et formidabundus, tum propter imbecilles in fide animos, quibus subito eximi non potuit tam vetus et inolita, nec inseri tam recens et insueta ratio colendi Dei, tum maxime propter leves illos et fastidiosos spiritus, qui ceu sues immundae sine fide, sine mente irruunt et sola novitate gaudent, atque statim ut novitas esse desiit nauseant. Quo genere hominum cum in rebus ceteris nihil est molestius, tum in rebus sacris sunt molestissimi et intolerabiles, quamvis, ut rumpar ira, ferre illos cogor, nisi velim et Evangelium [1]) ipsum e publico tollere.

Sed cum iam spes sit, multorum corda per gratiam Dei illustrata esse et roborata, ipsaque res poscat, ut tandem scandala tollantur de regno Christi, audendum est aliquid in nomine Christi. Iustum est enim, ut vel paucis consulamus, ne, dum perpetuo levitatem et abusum illorum formidemus, nullis prorsus consulamus et, dum istorum futura scandala cavere volumus, universas abominationes illorum roboremus.

Quare de formula aliqua pia missandi (ut vocant) et communicandi, ut et tu postulasti toties, optime Nicolae, agemus, ac sic agemus, ut non amplius solum verbo doctrinae corda regamus, sed manum quoque apponamus et publica administratione in opus perducamus, nulli prorsus praeiudicantes, ne aliam amplecti et sequi liceat. Quin ex animo per Christum obsecramus, ut si quid melius illis revelatum fuerit, nos priores tacere iubeant, ut communi opera rem communem iuvemus.

In primis itaque profitemur, non esse nec fuisse unquam in animo nostro, omnem cultum Dei prorsus abolere, sed eum, qui in usu est, pessimis additamentis vitiatum, repurgare et usum pium monstrare. Nam hoc negare non possumus, Missas et communionem panis et vini ritum esse a Christo divinitus institutum, qui sub ipso Christo primum,

1) In ed. orig. hic et alibi: Evangelion.

deinde sub apostolis simplicissime atque piissime, absque ullis additamentis observatus fuit, sed successu temporum tot humanis inventis auctus, ut praeter nomen ad nostra secula nihil de Missa et communione pervenerit.

Ac primorum Patrum additiones, qui unum aut alterum Psalmum ante benedictionem panis et vini levi voce orasse leguntur, laudabiles fuere, quales Athanasius et Cyprianus fuisse putantur. Deinde qui Kyrie eleison addiderunt et ipsi placent. Nam sub Basilio magno legimus Kyrie eleison fuisse in usu totius populi publico, iam Epistolarum et Evangeliorum lectio etiam necessaria fuit et est, nisi quod vitium sit [1]) ea lingua legi, quae vulgo non intelligitur.

Post vero, ubi cantus coepit, mutati sunt Psalmi in Introitum, tum additus est hymnus ille angelicus: Gloria in excelsis, et in terra pax. Item Gradualia et Halleluia et Symbolum Nicenum, Sanctus, Agnus Dei, Communio. Quae omnia talia sunt, ut reprehendi non possint, praesertim quae de tempore seu dominicis diebus cantantur. Qui dies soli adhuc priscam puritatem testantur, excepto Canone.

At ubi iam licentia fiebat addendi et mutandi, prout cuivis libebat, accedente tum et quaestus et ambitionis sacerdotalis tyrannide, tum coeperunt altaria illa et insignia Baal et omnium Deorum poni in templum Domini, per impios reges nostros, id est, Episcopos et Pastores. Hic sustulit impius Ahas altare aereum et constituit aliud e Damasco petitum, loquor autem de canone illo lacero et abominabili, ex multorum lacunis ceu sentina collecto. Ibi coepit Missa fieri sacrificium, ibi addita offertoria et Collectae mercenariae, ibi Sequentiae et Prosae inter Sanctus et Gloria in excelsis insertae. Tum coepit Missa esse monopolium sacerdotale, totius mundi opes exhauriens, divites, otiosos, potentes et voluptuarios et immundos illos coelibes toto orbe ceu vastitatem ultimam exundans. Hinc

1) In ed. Ien.: est.

Missae pro defunctis, pro itineribus, pro opibus, et quis illos titulos solos numeret, quorum Missa facta est sacrificium?

Neque hodie cessat Canon iste augeri, aliis et aliis festis alias actiones, alios communicantes asciscens. Ut taceam memorias vivorum et mortuorum, nondum ad finem sui auctas. Nam additamenta externa vestium, vasorum, cereorum, pallarum, deinde organorum et totius musicae, imaginum, quid dicam? Nihil pene fuit in toto orbe artificiorum, quod non magna ex parte sua negotia ac suum [1]) quaestum haberet et e Missa aleretur.

Transierint itaque ista et adhuc transeant revelante Evangelio abominationes tantas, donec penitus aboleantur. Nos interim omnia probabimus, quod bonum est tenebimus. Verum hoc libro dicere omittimus, Missam non [2]) esse sacrificium seu opus bonum [3]), quod alias abunde docuimus. Apprehendamus eam ut sacramentum seu testamentum, seu benedictionem latine, Eucharistiam graece, vel mensam Domini, vel coenam Domini, vel memoriam Domini, vel communionem, vel quocunque nomine pio placet, modo sacrificii aut operis titulo non polluatur, et ritum monstremus, quo nobis visum est illa uti.

Primo, Introitus dominicales et in festis Christi, nempe Paschatis, Pentecostes, Nativitatis, probamus et servamus, quanquam Psalmos mallemus, unde sumpti sunt, ut olim, sed nunc sic usui recepto indulgebimus. Quod si qui Apostolorum; Virginis, aliorumque Sanctorum introitus (quando e Psalmis aut aliis Scripturis sumpti sunt) probare volent, non damnamus. Nos Vuittembergae solis dominicis et festis Domini sabbatisare quaeremus, omnium Sanctorum festa prorsus abroganda, vel si quid dignum in eis est, in dominicabilibus concionibus miscenda esse putamus. Festum Purificationis et Annunciationis pro festis Christi, sicut Epiphania [4]) et Cir-

1) In ed. Ien.: quaestum suum. 2) In ed. orig. deest: non, repetitum est ex ed. Ien. 3) In ed. Ien.: opus sacrificantis. 4) In ed. orig.: Epiphaniam.

cumcisionem, habemus. Loco festi S. Stephani et Iohannis Evangelistae officium Nativitatis placet. Festa S. Crucis anathema sunto. Alii faciant pro sua conscientia vel aliorum infirmitate, quod spiritus suggesserit.

Secundo Kyrie eleison, ut hactenus celebratum est, variis melodiis pro diversis temporibus amplectimur cum sequenti hymno angelico: Gloria in excelsis, tamen in arbitrio stabit Episcopi, quoties illum omitti voluerit.

Tertio, sequens oratio illa seu Collecta, modo sit pia (ut fere sunt, quae dominicis diebus habentur), perseveret ritu suo, sed ea duntaxat unica. Post hanc lectio Epistolae. Verum nondum tempus est et hic novandi, quando nulla impia legitur. Alioqui cum raro eae partes ex epistolis Pauli legantur, in quibus fides docetur, sed potissimum morales et exhortatoriae, ut ordinator ille Epistolarum videatur fuisse insigniter indoctus et superstitiosus operum ponderator, officium requirebat eas potius pro maiore parte ordinare, quibus fides in Christum docetur. Idem certe in Evangeliis spectavit saepius, quisquis fuerit [1]) lectionum istarum autor. Sed interim supplebit hoc vernacula Concio. Alioqui si futurum est, ut vernacula Missa habeatur (quod Christus faveat), danda est opera, ut Epistolae et Evangelia suis optimis et potioribus locis legantur in Missa.

Quarto, Graduale duorum versuum simul cum Halleluia, vel alterutrum [2]), iuxta arbitrium Episcopi cantetur. Porro Gradualia quadragesimalia et similia, quae duos versus excedunt, cantet quisquis velit in domo sua. In ecclesia nolumus taedio exstingui spiritum fidelium. Sed nec ipsam Quadragesimam sive maiorem hebdomadam aut sextam feriam poenosam aliis ritibus ostentare decet, quam alias quascunque, ne semimissa et altera sacramenti parte Christum amplius ludere et ridere velle videa-

1) In ed. Ien.: fuit. 2) In ed. orig.: utrum; lectio: alterutrum, repetita est ex ed. Ien.

mur. Halleluia enim vox perpetua est ecclesiae, sicut perpetua est memoria passionis et victoriae eius.

Quinto Sequentias et Prosas nullas admittimus, nisi Episcopo placuerit illa brevis in Nativitate Christi: Grates nunc omnes. Neque ferme sunt, quae spiritum redoleant, nisi illae de Spiritu sancto: Sancti spiritus, et, Veni sancte Spiritus [1]). Quas vel post prandium vel sub vesperis vel sub Missa (si Episcopo placet) cantari licet.

Sexto sequitur Evangelii lectio, ubi nec candelas neque thurificationem prohibemus, sed nec exigimus; esto hoc liberum.

Septimo, Symbolum Nicenum cantari solitum non displicet, tamen et hoc habet in manu Episcopus. Idem de vernacula Concione sentimus, ut nihil referat, sive hic post Symbolum sive ante introitum Missae fiat. Quanquam est alia ratio, cur aptius ante Missam fiat, quod Evangelium sit vox clamans in deserto et vocans ad fidem infideles, Missa vero sit usus ipse Evangelii et communio mensae Domini, quae duntaxat fidelium est et seorsum fieri conveniebat. Sed tamen liberos nos ratio ista non ligat, praesertim quod omnia, quae usque ad Symbolum in Missa fiunt, nostra sunt et libera, a Deo non exacta, quare nec ad Missam necessario pertinent.

Octavo sequitur tota illa abominatio, cui servire coactum est quidquid in Missa praecessit, unde et offertorium vocatur. Et abhinc [2]) omnia fere sonant ac olent oblationem. In quorum medio verba illa vitae et salutis sic posita sunt ceu olim arca Domini in templo idolorum iuxta Dagon [*]). Et nullus est ibi Israelita, qui vel accedere vel arcam reducere possit, donec ipsa hostes suos in posteriora percussos opprobrio sempiterno nobilitavit et sese dimittere compulit, quae est parabola instantis temporis. Proinde omnibus illis repudiatis

---

1) In ed. Ien. hic addita sunt verba: et pauculae aliae. 2) Ibid.: hinc. *) 1. Sam. 5.

quae oblationem sonant, cum universo Canone, retineamus, quae pura et sancta sunt, ac sic Missam nostram ordiamur.

1) Sub Symbolo vel post Canonem [1]) apparetur panis et vinum ad benedictionem ritu solito, nisi quod nondum constitui mecum, miscendane sit aqua vino, quanquam huc inclino, ut merum potius vinum paretur absque aquae mixtura, quod significatio me male habeat, quam Esaiae 1 ponit: Vinum tuum, inquit, mixtum est aqua. Merum vinum enim pulchre figurat puritatem doctrinae Evangelicae. Deinde, quod pro nobis non est fusus nisi solius sanguis Christi impermixtus nostro, cuius ibi memoriam facimus. Ut non stet illorum somnium, qui dicunt ibi figurari unionem nostri cum Christo, huius unionis memoriam hic non facimus. Nec sumus uniti ante eius fusionem, alioqui simul noster quoque sanguis cum sanguine Christi pro nobis fusus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducam legem superstitiosam. Christus haec non magnopere curabit, nec res digna est contentione. Pugnavit satis hanc pugnam stultam Romana et Graeca ecclesia, ut et alias multas.

Quod vero aliqui adducunt, e latere Christi fluxisse aquam cum sanguine, nihil probat. Aliud enim illa aqua significat, quam volunt per hanc mixtam aquam significari, sed nec mixta illa fuit cum sanguine. Figura insuper nihil probat, exemplum autem non constat. Quare ut humanum inventum libere tractetur.

2) Apparato pane et vino mox procedatur ad hunc modum: Dominus vobiscum, Respon.: Et cum spiritu tuo. Sursum corda, Respon.: Habeamus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro, Respon.: Dignum et iustum est. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Deinde:

---

1) In ed. Ien.: post Concionem.

3) Qui pridie quam pateretur, accepit panem, gratias agens, fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix est novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur[1]) in remissionem peccatorum. Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam faciatis.

Haec verba Christi velim modica post praefationem interposita pausa in eo tono vocis recitari, quo canitur alias oratio dominica in Canone, ut a circumstantibus possit audiri, quanquam in his omnibus libertas sit piis mentibus, vel silenter vel palam ea verba recitare.

4) Finita benedictione, Chorus cantet Sanctus et sub cantu Benedictus, elevetur panis et calix, ritu hactenus servato, vel propter infirmos, qui hac repentina huius insignioris in Missa ritus mutatione[2]) forte offendentur, praesertim ubi per conciones vernaculas docti fuerint, quid ea petatur elevatione.

5) Post haec legatur oratio dominica sic[3]): Oremus, praeceptis salutaribus moniti etc. omissa oratione sequenti: Libera nos quaesumus, cum omnibus signis, quae fieri solent super hostiam et cum hostia super calicem, nec frangatur hostia, nec in calicem misceatur. Sed statim post orationem dominicam dicatur: Pax Domini etc., quae est publica quaedam absolutio a peccatis communicantium, vox plane evangelica, annuncians remissionem peccatorum, unica illa et dignissima ad mensam Domini praeparatio, si fide apprehendatur non secus atque ex ore Christi prolata. Unde vellem eam nunciari verso ad populum vultu, quemadmodum solent Episcopi, quod unicum est vestigium Episcoporum priscorum in nostris Episcopis.

6) Deinde communicet tum sese, tum populum,

---

1) In ed. Ien.: effunditur. 2) In ed. orig. deest: mutatione; hoc vocabulum redditum est ex ed. Ien. 3) In ed. Ien. deest: sic.

interim cantetur Agnus Dei. Quod si orationem illam: Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris etc. ante sumptionem orare voluerit, non male orabit, mutato solum numero singulari in pluralem, nostris et nos, pro meis et me. Item et illam: Corpus Domini etc. custodiat animam meam vel tuam in vitam aeternam, et sanguis Domini nostri [1]) custodiat animam tuam in vitam aeternam.

7) Si communionem cantare [2]) libet, cantetur. Sed loco complendae seu ultimae collectae, quia fere sacrificium sonant, legatur in eodem tono oratio illa: Quod ore sumpsimus, Domine. Poterit et illa legi: Corpus tuum, Domine, quod sumpsimus etc., mutato numero in pluralem, qui vivis et regnas etc. Dominus vobiscum etc. Loco: Ite Missa, dicatur: Benedicamus Domino, adiecto (ubi et quando placet) Halleluia in suis melodiis, vel ex Vespertinis, Benedicamus, mutuentur.

8) Benedictio solita detur, vel accipiatur illa Numeri 6, quam ipse Dominus digessit, dicens: Benedicat nos Dominus et custodiat nos, Ostendat nobis faciem suam et misereatur nostri, convertat Dominus faciem suam ad nos et det nobis pacem. Vel illa Psal. 96: Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus et metuant eum omnes fines terrae, Amen. Eiusmodi credo et Christum usum fuisse, cum in coelum ascendens suos discipulos benedixit.

Et hic quoque liberum sit Episcopo, quo ordine velit utramque speciem vel sumere, vel ministrare. Poterit enim utrunque nempe panem et vinum continuo benedicere, antequam panem sumpserit, vel inter benedictionem panis et vini statim sese et quotquot voluerint pane communicare, deinde vinum benedicere, ac demum omnibus bibendum dare, quo ritu Christus usus videtur fuisse, ut verba Evangelii sonant, ubi manducare iussit panem,

---

1) Ibidem: Domini nostri etc. 2) In ed. Ien.: cantari.

antequam calicem benediceret, deinde expresse dicit: Similiter et calicem, postquam coenavit, ut post manducationem primum calicem esse benedictum sentias. Sed ritus hic nimis novus non patietur ea fieri, quae hactenus post benedictionem diximus, nisi et ipsa mutentur.

Sic de Missa sentimus, in quibus omnibus cavendum, ne legem ex libertate faciamus, aut peccare cogamus eos, qui vel aliter fecerint, vel quaedam omiserint, modo benedictionis verba sinant integra et fide hic agant. Christianorum enim hi esse debent ritus, id est, filiorum liberae, qui sponte et ex animo ista servent, mutaturi quoties et quomodo voluerint. Quare non est, ut necessariam aliquam formam velut legem in hac re quispiam vel petat vel statuat, qua conscientias illaqueet et vexet. Unde et in priscis Patribus et primitiva ecclesia nullum exemplum legimus ritus huius plenum, nisi in Romana ecclesia. Sed nec servandum esset, si quidquam pro lege in hac re sanxissent, quod legibus haec obstringi nec possint nec debeant.

Deinde, si etiam diversi diverso ritu utantur, nullus alterum vel iudicet vel contemnat, sed unusquisque sensu suo abundet et idem sapiamus ac sentiamus, etiamsi diversa faciamus et uniuscuiusque ritus alteri placeat, ne ad diversitatem rituum diversae sequantur opiniones et sectae, quemadmodum sub Romana ecclesia contigit. Externi enim ritus, etsi iis carere non possumus, sicut nec cibo et potu, non tamen nos Deo commendant, sicut nec esca nos Deo commendat. Fides autem et caritas nos Deo commendant. Quare hic regnet illud Pauli: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto. Ita nec ritus ullus est regnum Dei, sed fides intra vos etc.

Vestes praeterivimus. Sed de his, ut de aliis ritibus, sentimus. Permittamus illis uti libere, modo pompa et luxus absit. Neque enim magis places, si in vestibus benedixeris, nec minus places, si sine vestibus benedixeris. Neque enim vestes etiam nos

Deo commendant. Sed nec eas consecrari velim aut benedici, velut sacrum aliquod futurae sint prae aliis vestibus, nisi generali illa benedictione, qua per verbum et orationem omnis bona creatura Dei sanctificari docetur, alioqui mera superstitio et impietas est per abominationis pontifices introducta, sicut et alia.

De Commmunione populi.

Haec de Missa et officio ministri seu Episcopi dixerimus, nunc de ritu communicandi populi dicemus, cuius gratia potissimum coena ista Domini instituta est et eo nomine vocatur. Ut enim longe absurdissimum est, ministrum verbi sic desipere, ut verbum publico ministerio pronunciet, ubi nullus est auditor, et sibi soli inter saxa et ligna aut sub divo clamet, ita perversissimum est, si ministri publicam coenam Domini parent et ornent, ubi nulli sint hospites, qui edant et bibant, et ipsi soli, qui aliis ministrare debent, in vacua mensa et aula comedant et bibant. Quare si vere Christi institutum amplecti volumus, nulla debet Missa privata relinqui in ecclesia, nisi toleretur et hic vel[1]) infirmitas ad tempus.

Hic autem servandus est ritus, qui in baptismo servatur, nempe, ut Episcopo primum significetur, qui futuri sint communicantes, petantque ipsi coena Domini communicari, ut eorum et nomina et vitam cognoscere queat, deinde petentes non admittat, nisi rationem fidei suae reddiderint, et interrogati responderint, an intelligant, quid sit coena Domini, quid praestet, quo usu illa velint potiri.

Scilicet, si poterint verba benedictionis memoriter recitare, et exponere, sese ideo venire, quod conscientia peccati, aut timore mortis, aut alio malo tentationis carnis, mundi, diaboli vexati esuriant et sitiant verbum et signum gratiae et salutis ab ipso Domino per ministerium Episcopi, quo solentur et

1) In ed. Ien. deest: vel.

confortentur, quale Christus inaestimabili caritate dederit et instituerit hac coena, cum diceret: Accipite et comedite etc.

Arbitror autem hanc interrogationem seu explorationem sufficere, si semel in anno fiat cum eo, qui petit communicari. Quin poterit tam intelligens esse, qui petit, ut vel semel in tota vita vel prorsus nunquam interrogetur. Nam hoc ritu illud cavere volumus, ne irruant ad coenam Domini digni et indigni, sicut hactenus vidimus fieri sub Romana ecclesia, ubi nihil quaesitum est aliud, quam communicari, de fide, de solatio et de toto usu et fructu Coenae prorsus ne mentio quidem aut cogitatio fuit; quin et ipsa verba benedictionis, scilicet ipsum panem vitae, absconderunt, ingenti studio, imo summo furore id agentes, ut communicantes opus operarentur bonum sua dignitate, non autem fidem alerent et roborarent Christi bonitate. Nos autem eos, qui respondere non poterunt[1]) iuxta praedicta, prorsus exclusos et alienos volumus ab istius Coenae communione, tanquam veste nuptiali carentes.

Deinde, ubi Episcopus viderit eos intelligere haec omnia, etiam hoc observabit, an vita et moribus eam fidem et intelligentiam probent. Nam et Satan haec omnia et intelligit et loqui potest. Hoc est, si viderit aliquem scortatorem, adulterum, ebrium, lusorem, usurarium, maledicum, aut alio crimine manifesto infamem, prorsus ab hac Coena excludat, nisi manifesto argumento vitam sese mutasse testatus fuerit. Nam illis, qui aliquando labuntur et redeunt dolentque de lapsu, Coena ista non solum negari non debet, quin propter eos ipsos maxime institutam esse nosse oportet, ut reficiantur et roborentur, in multis enim offendimus omnes, et onera invicem portamus, dum et mutuo[2]) nos oneramus. De illis enim contemptoribus lo-

1) In ed. orig.: poterint. 2) In ed. Ien.: et dum mutuo.

quor, qui inverecunde et sine timore peccant, et magnifica nihilo minus de Evangelio iactant.

Deinde ubi Missa celebratur, convenit, ut communicaturi seorsum uno loco et una turba constent. Ad hoc enim repertum est altare, repertus est et chorus. Non quod apud Deum aliquid sit, hic vel hic stetisse, aut quidquam fidei hinc accedat, sed quod oporteat eos palam videri et nosci tam ab iis, qui communicant, quam ab iis, qui non communicant, quo deinde eorum vita quoque melius videri et probari et prodi possit. Nam huius communio Coenae est pars confessionis, qua coram Deo, angelis et hominibus sese confitentur esse Christianos. Ideo curandum, ne velut furtim auferant Coenam, et deinde inter alios mixti ignorentur, an bene vel male vivant. Quanquam ne hic quidem legem figere velim, sed id solum monstrare, quod honestum ac decorum sit a Christianis liberis libere praestari.

De confessione vero privata ante communionem sentio, sicut hactenus docui, esse eam scilicet nec necessariam, nec exigendam, utilem tamen et non contemnendam, quando nec ipsam Coenam Dominus necessario exegerit aut lege firmaverit, sed cuique liberam[1]) permiserit dicens: Quotiescunque haec feceritis etc.

Sic de praeparatione ad Coenam hanc sapimus, ut liberum sit ieiunio et orationibus sese componere. Sobrios certe oportet adesse et sedulos ac diligentes, ut maxime nihil ieiunes aut parum ores. Sobrietatem vero dico non illam superstitiosam Papistarum, sed ne crapula ructues et distento ventre pigrescas. Nam optima praeparatio est (ut dixi) anima, peccatis, morte, tentationibus agitata, esuriens et sitiens medelam et robur. Verum quidquid est harum rerum, ad Episcopum pertinet, ut populum doceat.

Id nunc reliquum est, an utramque speciem, ut vocant, populo ministrari oporteat? Hic sic dico, postquam Evangelium nunc biennio toto apud

---

1) In ed. orig.: liberum.

nos inculcatum est, satis simul indultum et donatum est infirmitati, deinceps agendum est iuxta illud Pauli. Qui ignorat, ignoret, nec enim refert, si neutram speciem accipiant denuo, qui Evangelium tanto tempore non cognoverunt, ne forte perpetua infirmitatis tolerantia pertinaciam alat et adversus Evangelium praescribat. Quare simpliciter iuxta institutum Christi utraque species et petatur, et ministretur. Qui hoc noluerint, sinantur sibi, et nihil ministretur ipsis. Nam hanc Missae formam iis praemonstramus, quibus Evangelium annunciatum et aliqua parte[1]) cognitum est. Qui vero nondum audierunt nec cognoscere potuerunt, iis nondum quidquam huius rei consuli potest.

Nec quemquam id morari debet, quod Concilium iactant, in quo id rursum licere sanciatur. Nos Christi ius habemus, et Concilia nec morari nec audire volumus, in his, quae manifeste sunt Evangelii. Quin amplius dicimus: Si quo casu Concilium id statueret[2]) aut permitteret, tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum tam Concilii quam statuti sui vellemus aut alterutra[3]) tantum aut neutra, et nequaquam utraque potiri, ac plane eos anathema habere, quicunque autoritate talis Concilii vel statuti utraque potirentur[4]).

Miraris, et causam quaeris? Audi, si tu nosti panem et vinum a Christo institutum, utrumque scilicet sumendum esse ab omnibus, ut clarissime testantur Evangelia et Paulus, ita ut et ipsi adversarii cogantur id confiteri, nec tamen audes illi credere et fidere, ut ita sumas, audes vero ut sumas, si homines in Concilio suo id statuant, nonne tum praefers homines Christo? Nonne extollis homines peccati super Deum[5]), qui dicitur et colitur? Nonne plus fidis[6]) in hominum verba, quam in Dei

1) In ed. Ien.: aliqua ex parte. 2) Ibid.: Concilium propria autoritate id statueret. 3) In ed. orig.: utra. 4) Ibidem: potiretur. 5) In ed. Ien.: supra Deum. 6) Ibid.: confidis.

verba, imo verbis Dei prorsus diffidis, et solis hominum verbis credis. At quanta est ista abominatio et negatio Dei altissimi? Quae idolatria tum par esse potest tuae tam religiosae obedientiae erga Concilium hominum? Nonne potius millies mori? nonne potius unam aut nullam speciem accipere deberes, quam in tali obedientia tam sacrilega et apostasia fidei accipere?

Desinant itaque iactare Concilia sua, sed primum hoc faciant, restituant sacrilegium divinae gloriae, confiteantur sese Satana magistro prohibuisse unam speciem, sese super[1] Deum elevasse, verbum eius damnasse, et tot populos per secula perdidisse, et poenitentiam agant pro hac tyrannide indicibilis crudelitatis et impietatis, et sanciant, nos recte egisse, quod citra, imo contra eorum dogmata utramque speciem docuimus et sumpsimus, nec illorum Concilium exspectavimus, gratiasque agant, quod illorum perditionem et abominationem sequi detrectaverimus.

Postquam haec fecerint, libentes pronique eorum Concilium et statutum adorabimus et amplectemur. Interim dum hoc non faciunt, pergunt vero postulare, ut suam autoritatem praestolemur, nihil audimus, sed pergimus[2] et nos contraria illis et docere et facere, eo maxime, quo scimus eis maxime displicere. Nam hac postulatione diabolica quid postulant, nisi ut eos supra Deum, verba eorum supra verba Dei extollamus, et nobis portenta larvarum suarum pro idolis loco Dei ponamus? cum velimus nos totum mundum Deo subdi et obnoxium fieri.

Cantica velim etiam nobis esse vernacula quam plurima, quae populus sub Missa cantaret, vel iuxta Gradualia, item iuxta Sanctus et Agnus Dei. Quis enim dubitat, eas olim fuisse voces totius populi, quae nunc solus Chorus cantat vel respondet Episcopo benedicenti? Possent vero ista cantica sic per Episcopum ordinari, ut vel simul post latinas

1) In ed. Ien.: supra Deum. 2) Ibid.: pergemus.

cantiones, vel per vices dierum nunc latine, nunc vernacula cantarentur, donec tota Missa vernacula fieret.

Sed poetae[1]) nobis desunt, aut nondum cogniti sunt, qui pias et spirituales cantilenas (ut Paulus vocat) nobis concinnent[2]), quae dignae sint in ecclesia Dei frequentari. Interim placet illam cantari post communionem: Gott sey gelobet vnd gebenedeiet, der vns selber hat gespeiset etc. Omissa ista particula: Vnd das heylige Sacramente, an vnserm letzten ende, aus des geweyeten priesters hende, quae adiecta est ab aliquo d. Barbarae cultore, qui sacramentum tota vita parvi ducens in morte hoc opere bono speravit vitam sine fide ingredi. Nam et numeri et musicae ratio illam superfluam probant[3]). Praeter hanc illa valet: Nu bitten wir den heiligen Geist; item: Ein Kindelin so lobelich[4]). Nam non multas invenias, quae aliquid gravis spiritus sapiant. Haec dico, ut, si qui sunt poetae Germanici, exstimulentur et nobis poemata pietatis cudant[5]).

Haec de Missa et Communione pro tempore dicta sint satis. Cetera usus et res ipsa docebunt, modo verbum Dei strenue et fideliter in ecclesia annuncietur; nam quod forte petent aliqui, haec omnia Scripturis et exemplis Patrum probari, non multum movemur, quod supra diximus, in his debere libertatem regnare, et neque legibus neque imperiis liceat conscientias captivare Christianas. Unde et nihil de his rebus Scripturae definiunt, sed sinunt libertatem spiritus abundare suo sensu, pro commoditate locorum, temporum et personarum. Patrum vero exempla partim sunt incognita, quae vero nota sunt, tam varia sunt, ut nihil certi liceat constituere, videlicet, quod et ipsi libertate sua usi

---

1) Ibid.: Sed poetae et musici. 2) Ibid.: concinant. 3) Ibidem desunt verba inde ab Omissa — usque ad superfluam probant. 4) Ibid.: Ein Kindelein so löbelich. 5) Ibid.: componant.

sunt. Quin ut maxime certa et simplicia essent, nobis tamen nec legem nec necessitatem imitandi imponerent.

In reliquis diebus, quas ferias vocamus, nihil video, quod non ferri possit, modo Missae abrogentur. Nam Matutinae trium lectionum et Horae, tum Vesperae et completorium de tempore (exclusis Sanctorum feriis) nihil sunt nisi Scripturae divinae verba. Et pulchrum, imo necessarium est, pueros assuescere legendis et audiendis Psalmis et lectionibus Scripturarum sanctarum. Verum si quidquam hic novari debet, prolixitas mutari potest arbitrio Episcopi, ut tres Psalmi pro Matutinis, tres pro Vesperis cum uno vel duobus Responsoriis absolvantur. Haec vero non melius ordinantur, quam ipso arbitrio Episcopi, cuius est deligere optima in Responsoriis et Antiphonis et de Dominica in Dominicam per hebdomadam ordinare, ut nec nimia eiusdem assiduitate fastidium, nec nimia varietate et multitudine cantus et lectionum taedium spiritus generetur. Sed per partes distributum totum Psalterium in usu maneat, et universa Scriptura in lectiones partita, perseveret in auribus ecclesiae.

Hic vero, quod alias egi, agendum est, ut iste cantus non sit tantum lingua loqui, vel potius tantum, sicut sonus fistulae aut citharae, sine sensu. Ideo instituendae sunt lectiones quotidianae, altera mane in novo vel veteri Testamento, altera vesperi in altero Testamento, cum explanatione vernacula. Hunc ritum esse antiquum probat et res, et vocabulum Homilia in matutinis, et capitulum in vesperis et aliis horis. Scilicet, quod Christiani, quoties convenissent, aliquid legebant, et vernacula interpretabantur, more, quem Paulus 1. Corinth. 14. describit.

Post, successu temporis peioris, cum deficerent prophetae et interpretes, relicta est ista vox sola post lectiones et capitula, Deo gratias, tum loco interpretationis multiplicatae sunt lectiones, Psalmi et Hymni, et alia in hanc taediosam prolixitatem,

quanquam Hymni et Te Deum laudamus, aeque id testantur, quod, Deo gratias, scilicet, quod post interpretationes et Homilias Deum laudarint, et gratias egerint, pro revelata veritate sermonum Dei. Quales et ego vellem fieri nostras vernaculas cantilenas.

Tantum habui, optime Nicolae, quod de nostrae Vuittembergensis ecclesiae ritibus et ceremoniis, partim iam institutis ac propediem (Christo volente) consummandis, ad te perscriberem, cuius exemplar, si tibi et aliis placuerit, imitari licet. Sin minus, unctioni libenter locum dabimus, parati a vobis et quibusvis aliis commodiora accipere.

Nec vos aut quosvis alios absterreat, quod in nostra Vuittemberga adhuc perseverat Topheth illa sacrilega, quae Principum Saxoniae impia et perdita pecunia est, ecclesiam[1]) dico omnium Sanctorum. Nam tantum est miserente Deo apud nos antidoti per copiosum verbum Dei, ut pestis illa in angulo suo languens non nisi sibi ipsi pestilens sit. Denique vix tres aut quatuor porci et ventres sunt in ipsa illa perditionis domo, qui pecuniam illam colunt, ceteris omnibus simul et universo populo insignis nausea et abominatio est, neque licet vi aut imperio in eos grassari, ut nosti, decere Christianos non nisi virtute gladii spiritus pugnare. Sic enim et infreno populum quotidie, alioqui iamdudum domus illa omnium Sanctorum, imo domus omnium diabolorum, alio nomine ferretur in orbe.

Sed nec potestatem spiritus, quam dedit nobis Deus, in illam exercui, ferens longanimiter opprobrium istud, si forte det illis Deus poenitentiam[2]), contentus interim, quod nostra domus, quae verius est omnium Sanctorum domus, hic regnat et stat velut turris Libani contra domum omnium diabolo-

---

1) In ed. Ien.: Templum 2) Ibid. margini adscripta legitur haec nota: Non multo post etiam in eo templo sublati sunt impii cultus Missarum et alii abusus.

rum. Sic Satanam torquemus verbo, quamvis ille risum simulet, sed dabit Christus, ut spes sua fallat eum, et cunctis videntibus praecipitetur.

Ora pro me, vir sancte Dei, gratia tecum et cum omnibus vestris, Amen.

M. D. XXIII[2]).

---

2) In ed. orig. numerus anni non indicatur.

Exemplum theologiae et doctrinae papisticae.

(1523.)

Lutherus, quid hoc scripto, quo Provincialis cuiusdam ordinis Praedicatorum concionem in velatione virginis monasterium ingredientis habitam uberius illustravit, efficere voluerit, ipse satis aperte indicat in praefatione: „Cum ego sim, inquit, unus de Antipapis, revelatione divina ad hoc vocatus, ut dissipem, perdam et destruam regnum illud maledictionis, cupide et libenter eo fungor officio, sicut hactenus feci: ideo statui hunc sermonem seu portentum potius in publicum edere et in faciem sistere etc.“

In editione Opp. Luth. Ienensi (Tom. II., p. 593) et in Seckendorfii Hist. Luth. Lib. I §. 160 (Addit. III) hunc librum adscriptum videmus anno 1523, id quod non absimile vero esse videtur, quod illo tempore saepius de votis monasticis actum est (cf. Luth. Epp. ed. de Wette II, 287, 320, 365 et alibi), sed ante annum 1531 typis impressum nusquam invenimus. Anno enim 1531 hoc scriptum typis excusum esse refert liber ille rarissimus a Luthero ipso praefatione ornatus: Catalogus oder Register aller Bücher und schrifften D. Mart. Luth. durch jn ausgelassen, vom jar M.D.XVIII bis jns XXXIII. Mit einer Vorrhede. Wittemberg. In fine: Gedruckt zu Wittemberg, durch Hans Lufft.

M. D. XXXIII. 8°, et anno 1531 in lucem prodiit editio, quae adhuc in bibliothecis asservatur et hanc prae se fert inscriptionem:

Exemplum | Theologiae | et Doctrinae | Papistice. | Hanc olim pulchram veteres dixere figuram. Wittenbergae DMXXXI (sic). In fine: Impressum Wittenbergae per Nicolaum Schirlentz. 4. (Panzer IX, 90. Schütze III, 328).

Nos textum reddidimus secundum hanc editionem, quae nobis ex bibliotheca Scheurliana Norimbergensi praesto erat. In germanicam linguam translatum invenitur hoc scriptum in Walchii edit. opp. Luth. Tom. XIX, p. 808 (coll. introd. in T. XIX p. 73).

Exemplum theologiae et doctrinae papisticae.

Hanc olim pulchram veteres dixere figuram.

Praefatio D. Martini Lutheri[1]).

Non est ulli vere Christiano dubium, quod omnia pertineant ad gloriam Christi illustrandam, quaecunque dicuntur aut scribuntur ad ignominiam et destructionem abominationis istius et tyrannidis papisticae. Cum enim ipsa devastarit et conculcarit regnum Dei et Christi, nihil[2]) sanctius, nihil honorificentius, nihil divinius fecerimus, quam si vastatricem illam salutis nostrae et profanatricem gloriae Dei rursus vastaverimus et conculcaverimus, quantum possumus, iuxta illud Apoc. 18: Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis, et duplicate illi duplicia secundum opera eius, in poculo, quo miscuit vobis, miscete illi duplum. Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.

---

1) In ed. Ien. legitur: D. Martinus Lutherus Pio Lectori. 2) Ibid.: nihil utilius, nihil sanctius, nihil, quod Deo magis placeat, fecerimus.

Loquitur enim de tyrannide abominationis papalis, et longe aliter loquitur, quam ii, qui contendunt, non esse perpetuo in Papatum invehendum. Dicit enim: Duplicate illi, reddite ei duplum etc. volens scilicet hac exhortatione sedulos nos facere et assiduos in torquenda et vastanda abominatione ista.

Cum autem et ego sim unus de Antipapis, revelatione divina ad hoc vocatus, ut dissipem, perdam et destruam regnum illud maledictionis, cupide et libenter eo fungor officio, sicut hactenus feci. Ideo statui hunc Sermonem, seu portentum potius, in publicum edere, et in faciem sistere impudentibus illis frontibus et inverecundis faciebus Papistarum. Qui cum totam ecclesiam eiusmodi portentis repleverint sintque eius abominationis palam convicti, tamen adeo sunt durae cervicis et impoenitentis cordis, ut ea non modo nolint agnoscere, confiteri et emendare, sed studeant etiam occultare et tegere, deinde se ipsos ornare et colere, donec (uti sperant) adepti veterem et pristinam speciem sanctimoniae rursus eadem monstra per ecclesiam erigant et statuant.

Cogemus itaque eos videre sua monstra, revelabimusque turpitudines et pudenda eorum, et ut Propheta dicit: Proiiciemus in facies eorum stercus solennitatum ipsorum, ut tam huius quam posteri seculi homines videant, et perpetuo meminerint huius purpuratae meretricis et, cum viderint, perfecto odio oderint, et coniunctis studiis abominandas fornicationes eius detestentur ac persequantur.

Est autem hic sermo a quodam magni nominis Dominicastro in coenobio quodam huius regionis miserrimis illis puellis, quas Nonnas vocamus, non multo ante hos dies praedicatus ad commendandum Nonnarum institutum et usque ad miraculum a cunctis laudatus, denique certatim ab omnibus velut sacerrimus thesaurus tantum non adoratus et inter sacras reliquias reconditus, licet sit frustillatim, ut apparet, ex ore dicentis excerptus. In quo videre licet papisticae theologiae insigne exemplum, et

hic vere[1]) unus est florum Rosarii illius tam celebrati apud illos.

Expedit insuper omnibus, praesertim adolescentibus et puellis, nosse et meminisse, quales Doctores et magistros sub Papatu habuerimus, et quali doctrinae genere oppressi fuerimus, ut per antithesin seu oppositorum comparationem clarius intelligamus divitias et magnitudinem gratiae Dei, qua nos respexit denuo miserrimos, et illuminavit verbo suo sancto et puro cum omni abundantia benedictionis suae coelestis; simul ut in posterum cautiores reddantur ad vitanda monstra tantae abominationis. Deus det, ut tantum crescat odium nostrum et nausea in istam abominationem, quantum crescere debet gratitudo nostra et amor erga divinam hanc misericordiam in Christo nobis donatam. Cui sit laus et gloria in omnia secula, Amen.

Sermo eximii Magistri nostri I. R. Provincialis ordinis Praedicatorum, in quo, pie Lector, insigne exemplum impiae et blasphemae in Deum et Christum doctrinae papisticae cernis [2]).

Thema.

Offerentur[a]) Regi[2]) virgines[*]) post eam[**]).

Glossa magistralis super illud Proverbiorum 3: Honora Deum de tua substantia, dicit: Bene[b]) offert, qui de suis bene acquisitis bonis, melius, qui de suis bonis operibus, optime, qui se ipsum Deo offert.

---

1) In ed. Ien. deest: vere. 2) Haec inscriptio repetita est ex ed. Ien. Opp. Luth., in ed. orig. tantummodo legitur: Incipit sermo Magistri Nostri I. R. Provincialis Ord. Predicatorum. a) Id est, rapiantur a Christo et fide abnegata trudantur in monasteria[3]) sub iugum traditionum et operum. 3) Ibid.: in Monasteriis. 2) In ed. Ien.: Offerantur Regi. *) i. e. Nonnae. **) i. e. Mariam et Christum. b) Quia baptisari et credere in Christum est nihil ad ista sacrificia.

Tria enim sunt bona secundum Aristotelem[a]) septimo Politicorum, scilicet, temporalia, corporalia, et spiritualia.

Magnum est, Deo offerre temporalia pro structura ecclesiae etc., nam per hoc[b]) sperat quis[c]) consequi remissionem peccatorum suorum.

Sed maius, qui offert Deo animam per liberum arbitrium[d]) et propriam voluntatem, sicut facit Religiosus[e]), qui per hoc consequitur plenariam remissionem, quasi susciperet Baptismum[f]). Et corpus (scilicet offert[g]) per virginitatis maximum donum et clinodium, et praesertim[h]) cum illa oblatio fit in iuventute.

Ut quis nedum arborem, sed etiam fructum Deo dat per votum religionis, quod votum excedit omne genus martyrii[i]), omne[k]) votum peregrinationis, etiam terrae sanctae, et omnem poenitentiam.

Et quia praesens puella exemplo[l]) beatae virginis (quae primo virginitatis votum emisit) spernens[m]) regnum mundi et omnem ornatum seculi offert se anima et corpore aeternaliter vivere Deo, imo id quod est Deo gratissimum, virginitatem,

---

a) Aristoteles hic accipitur pro Magistris nostris eximiis in Papatu, qui istam distinctionem invenerunt, quia Aristoteles valde[4]) novit, quid sint bona spiritualia. 4) In ed. Ien.: optime. b) Per hoc. i. e. non per Christum neque per fidem, sed per negatum Christum et blasphematum. c) Quis. i. e. Papista. d) Gratia non est opus, sufficit liberum arbitrium. e) Religiosus i. e. adversarius Christi et sacrilegus fidei corruptor. f) En gloriosos Anabaptistas, vides, ut Baptismo, imo Christo ipsi, sua portenta aequent sacrilegi et blasphemi. g) Fortes plane viri, qui non accipiunt a Deo, sed dant de sua plenitudine tam grandia. h) Scilicet, cum est castitas maxime periculosa, imo impossibilis. i) Etiam Christi et omnium Sanctorum, ut sic soli Religiosi sint Sancti Sanctorum. k) Etiam omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. l) Quia fuit Monialis, et Ioseph fuit eius Abbatissa, et diversorium fuit eius monasterium, et asinus fuit eius confessor et praedicator, et praesepe fuit chorus, panni fuerunt cappa, et reliqua de eadem lectione. m) Sicut patet in Religiosis, etiam regum opibus et luxu superbientibus,

nam [a]) Deus specialiter virgines [b]) sibi eligit hic et in futuro. Status virginum hic est excellentissimus [c]), quem Christus et beata Virgo tenuerunt, laudabilissimus, quia maior [d]) victoria et duriora certamina, utilissimus, quia consequitur fructum centesimum.

Et honoratur [e]) in coelo angelica societate, gaudii [f]) singularitate, Christi conformitate; sequuntur enim virgines agnum quocunque ierit, non est enim ponderatio continentis animae, Eccles. 26: Omne aurum in comparatione eius arena est exigua.

Ideo virgo debet cogitare [g]) quae sunt Dei, 1. Corinth. 7, quae sunt sancta, pudica, omnes cogitationes, locutiones etc. offerre Deo, ut sit immaculata et sancta corpore, et anima munda, ut Christus, cui desponsata est, possit dicere: Tota pulchra es, amica mea. Si est magnum violare templum materiale, multo plus est violare templum spirituale, templum Dei sanctum est, quod estis vos [h]).

Duplex est color vestimenti, albus significat mundiciam [i]), niger humilitatem. Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt. Vide, ut vestimenta tua sint omni tempore candida [k]).

Vestis non facit Religiosum, nec nomen, sed mores.

Summa, Religiosus est angelus [l]) terrestris.

---

a) Ut patet 10. libro Physicorum, et Aesopi libro 5. b) Apostolos non sic elegit specialiter. c) Superlativum exponendo tam negative quam affirmative, ut Apostolorum status parvus esse intelligatur. d) Etiam maior quam fidei victoria, quae diabolum et mortem vicit, ut sic fides longe sit vilior, quam castitas. e) Quia ceteri Sancti non sociantur angelis, sed diabolis, quia non sunt conformes Christi, sicut virgines. f) Haec mira gaudiositas vocatur alias praemium Aureolae [1]). 1) In ed. orig.: Aurealae. g) Cogitare quae sunt Dei, exponit non de verbo Dei, sed de cogitationibus castitatis. Illis enim sancti fiunt et immaculati, etiam sine fide et Christo. h) Vos, scilicet Monachi et Nonnae soli. i) Mundiciam non fidei Christianae, sed votivae castitatis. k) Candida propter mundiciam, et nigra tamen simul propter humilitatem, ut

Primum vide Thema (ut vocant), quanto sacrilegio ex Psalmo 45 decerpat et laceret. Psalmus loquitur de virginitate fidei et de catholica ecclesia, hic vero Magister noster eximius detorquet eum in suas sectas et de opere in contumeliam fidei et Spiritus sancti exponit. At hic illis perpetuus mos est et plane canon plus quam canonicus, totam Scripturam depravare, ut in hoc exemplo cernis.

Deinde, quam magistraliter citat glossam de triplici gradu sacrificiorum, scilicet de bonis bene acquisitis, de operibus bonis, de se ipso. Et loquitur de talibus, quasi non omnes Christiani Deo ista debeant, sed solum suae virgines ex abundantia, seu ex supererogatione (ut vocant) Deo praestent, cum tamen nullus Christianus satis Deum diligere possit. Sed valet ista blasphemia ad obscuranda et conculcanda optima illa sacrificia, scilicet laudis et afflictionis seu mortificationis Rom. 12, ut sacrificia sese (id est, Papistis) digna docere possint.

Illud vero maxime est magistrale et doctorale, quod Aristotelem dicit 7. Politicorum tria bona asserere, temporalia, corporalia, spiritualia, et hoc ipsum enim pertinet ad exemplum theologiae papisticae, quod ex Aristotele vel false allegato vel nunquam intellecto ostentare solent copiam scientiae suae, tantum ut Christi, apostolorum et prophetarum nomen absque Synagogis faciant. Nam is fuit tum inter Papistas doctoralissimus, qui frequenter Aristotelem et nunquam Christum, apostolos, vel prophetas citare posset, magnifico scilicet titulo: Magister gentilis, Der heidnische Meister; tanti Theologi, gloriati scilicet, quod essent discipuli gentilis hominis, qui nihil de Deo et Christo cognovit. Et satis feliciter promoverunt, nam eandem ignoran-

---

supra. 1) Et futurus archangelus coelestis, et Nonna est angela terrestris et archangela coelestis.

tiam Dei et Christi perfecte didicerunt ex Aristotele et per ecclesiam totam seminaverunt.

Quam secure blasphemat sanguinem Christi, ubi remissionem peccatorum consequi eos dicit per oblationem temporalium ad structuras ecclesiarum, certe per hos horrendos blasphemosque sermones impleverunt non solum ecclesiam abominationibus et erroribus, sed etiam totum orbem templis et monasteriis, et ipse Papatus stat per has blasphemias. Nullus tamen Episcoporum, nullus Papa hunc errorem vidit, sed ecclesia vocabatur tunc sancta et pulchra, nec adhuc hodie de istis poenitent, verum defendunt potius et vi et ferro.

Auget vero blasphemias in infinitum, quod sequitur, Religiosum consequi per oblationem sui voti (quod per liberum arbitrium facit) plenariam remissionem, quasi baptismum. Vides hic, per liberum arbitrium sine gratia, sine fide nos posse salvos fieri, et tam sanctos, ac si baptismo et sanguine Christi essemus purgati. Certe sic eos docuisse non possunt negare, extant ubique viva exempla, et scripta testimonia per totam ecclesiam. Colligant nunc omnes haereses et errores Lutheri (ut vocant) et conferant cum his blasphemiis suis, et coget eos etiam suum liberum arbitrium (quantumvis Satana obsessum) confiteri, Papistam esse non haereticum aut erroneum, sed plane ipsam abominationem omnium daemonum.

Non dissimile est, quod sequitur, scilicet, Religiosos Deo offerre arborem cum fructu (hanc enim parabolam miris modis inculcaverunt et celebraverunt, et est apud eos ceu articulus fidei). Docent igitur hac sacra theologia sua, ecclesiam sanctam non offerre arborem, sed tantum fructus, id est, ecclesiam esse exiguum quid ad Religiosos comparatam, etiamsi Christi sanguine sit sanctificata et tota sese offerat assidue, longe maius offert liberum arbitrium sine Christo, quam Christus ipse obtulit in cruce.

Et hunc hiatum blasphemi huius portenti mihi considera, Votum, inquit, Religiosi superat omne

genus martyrii, omne votum peregrinationis, item omnem poenitentiam etc., hoc est universam ecclesiam et omnes martyres Christi prorsus conculcare et irridere, nam istis Theologis martyres Christi non offerunt arborem, cum occiduntur, atque si offerrent, tamen longe vilius offerunt quam Religiosi, qui summo otio devorant substantias alienas, interim tamen voto liberi arbitrii superant omne genus martyrii.

Eat nunc Christus et falso laudet Iohannem Baptistam, quod non surrexerit maior inter natos mulierum, cum Magistri nostri eximii cum suo Papa multo maiores eo invenerint, scilicet se ipsos. Nam hic habes, quod Nonna, quae nec ministerio verbi, nec effusione sanguinis, nec fervore spiritus, nec studio orationis, nec officio ullo caritatis Deo servit, sola castitate, per liberum arbitrium oblata, superat omnes martyres Dei. Et haec quidem apud eos vulgo et praedicata et credita fuerunt, neque hodie corriguntur, sed confirmantur igne, gladio et omni furore.

Quid putas vero sentient de statu Episcoporum, et de sanctissimo domino suo Papa? Nam Religiosi sunt (ut aiunt) in statu acquirendae perfectionis, sed Episcopi in statu exercendae perfectionis, Papam vero ut sanctissimum, super status omnes, oportet plane in statu glorificatae et coronatae perfectionis esse. Quare si Nonna superat voto castitatis et statu acquirendae perfectionis omnes martyres, necesse est, ut Episcopi cum suo statu exercendae perfectionis superent omnes apostolos et prophetas. Relinquitur unus Papa, qui statu gloriosae perfectionis superet ipsum Christum, et omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.

Hoc est quod voluerunt et impleverunt, ut diabolum in ecclesia constituerent idolum loco Dei adorandum, ex ipso enim has et alias infinitas abominationes et blasphemias didicerunt, nec tamen nunc, cum revelatae sunt, et eas agnoscere cogantur, ulla parte corrigere volunt, sed occidunt eos, qui tam horrenda monstra non adorant.

Verum ultra non proficient (ait S. Paulus 2. Timoth. 3.), postquam eorum insipientia nota facta est cunctis hominibus. Quo testimonio Spiritus noster Spiritus certissimus fit, Papistas cum suo Papa ultra non fore felices, neque habituros esse successum. Id quod simul res ipsa consentiens clamat, et practicae eorum, quas hoc seculo multas et magnas tentaverunt, et tamen omnes summa semper cum ignominia irritas et inutiles esse senserunt, nec tamen desistunt furiosi novas semper tentare, scilicet, ut Pauli praedictionem plene et imperfecte impleant et eo celerius (sicuti merentur) pereant.

Sequitur:

Praesens puella spernens regnum mundi, exemplo B. Virginis (quae primo virginitatis votum emisit), offert se anima et corpore etc. Iterum continuas et meras audis blasphemias in fidem et Christum, quod virginitas offerat corpus et animam, scilicet, quasi nullus Christianus corpus et animam offerat et mundum spernat, ne martyr quidem, sed soli Nonni et Nonnae offerunt sese totos, et spernunt regna mundi. Ceteri Christiani, quia non sunt Nonni et Nonnae, rapiunt potius Deo corpus et animam, et diligunt ac eligunt mundum.

Igitur obscuraverunt his blasphemiis sacrilegi isti theologi gloriam fidei et ecclesiae, ut ecclesia prorsus nullius esset pretii in comparatione Religiosorum. Et certe sic docuerunt, ut hic audis, sic etiam vixerunt, et omnes homines his praestigiis dementaverunt, cum tamen revera non spernant, sed possideant potius mundum cum omni gloria et opulentia sua.

Scilicet pannosus mendicus spernit in domo paterna furfures et siliquas, nuditatem et summam omnium rerum penuriam, fugit vero in monasterium, et fit alienis opibus Doctor aut Abbas, etiam Principibus adorandus, et puella, in mundo futura focaria (ut dicitur) ancilla, aut famelica materfamilias fit in monasterio Abbatissa et gloriosa domina, etiam reginis mundi venerabilis.

Quod si simplices et inferioris gradus Nonni et Nonnae manserint, tamen victum et vestitum, domum et omnia necessaria sic habent opulenter, in summo otio et securitate cum summa laude et gloria, denique cum spe vitae aeternae (ut somniant), ut totus mundus ab eis tam religiose spretus non possit nec Regum filiis tantam mundi securitatem et saturitatem cum tanta gloria et laude praestare. Habes itaque mundi contemptores nomine et fuco, sed mundi dominos re ipsa et veritate. Hoc vovet Religiosus, et praesens puella exemplo beatae Virginis.

Iam istum articulum fidei a Magistris Nonnarum repertum (scilicet quod beata Virgo primo votum virginitatis emisit) si tu neges aut dubites, plane omnium haereticorum haeresiarcha fueris. Sed unde talem articulum demonstrant? Ex Evangelio Luc. 2, ubi ipsa Virgo dicit: Virum non cognosco. Hic (non cognosco) secundam glossam significat: Non cognoscere propono. Postea secundum magistros Nonnarum (non cognoscere propono) significat: Ego votum virginitatis emisi, et Nonna esse volo spernens mundum, ut sim exemplum Nonnarum etc. Nec est hic lis Grammaticorum sub iudice, nec ullum dubium; certa est Grammatica et bona consequentia.

Eadem consequentia sequitur, quod Christus fuerit Nonnus et Nonnorum exemplum, quia et ipse potest dicere: Mulierem non cognosco, id est, non cognoscere propono; quod ulterius idem est, quod, votum castitatis (virginitatis non potuit, quia fuit masculus et non virgo seu foemina) emisi, et Nonnus esse volo, spernens mundum, ut sim exemplum Nonnorum.

Sed hic quaestio nascitur: Cuius Ordinis beata Virgo et Christus fuerit[1]), et qualem vestem et cucullum ac rasuram gestaverit[2]).

Hic Magistri Nonnarum nondum sunt concordes, tamen Nicolaus Lyranus, Iohan. 2, verisimiliter dicit,

---

1) In ed. Ien.: fuerint. 2) Ibid.: gestaverint.

Christum fuisse de ordine Minorum S. Francisci. Et probat sic: Christus (ut est in textu) fecit flagellum ex funiculis, id est, ex cingulo Ordinis Minorum, quia non apparet alias, unde tam cito potuisset funiculos invenire.

Sed Praedicatores possent eum sibi arrogare et dicere: Christus tota vita praedicavit, sed qui praedicat est praedicator, praedicator autem est de ordine Praedicatorum.

Canonici Regulares non possunt eum suo Ordini arrogare, quia ipsi generant multos pueros, ex alienis mulieribus, sed Christus fuit coelebs, et nihil genuit.

Ex Lyrano sequitur alia quaestio, an Christus etiam peccaverit, quando cingulum Ordinis dirupit et in flagellum commutavit. Videtur enim Ordini tam sancto iniuriam fecisse, quod formam cinguli mutavit et inhonoravit, dum ex sacerrimo cingulo Ordinis fecit deforme flagellum, quasi tortoris aut carnificis.

Hic potest responderi per ipsosmet egregios ac profundos viros: Ego me non intromitto de istis arduis et profundis subtilitatibus, ex invicem sine fine nascentibus.

Sequitur, Spernens mundum; nec hoc satis, etiam omnem ornatum seculi etc. Quia mundum spernere non sufficit, nisi et omnem ornatum seculi spreverint. Copiosi et acuti satis theologi, qui contemptum mundi aliud faciunt, quam contemptum ornatus secularis. Habes igitur hic iterum alium articulum doctrinae papisticae, scilicet, quod mundum spernere sit fugere in monasteria, et corpore locum mutare. Nam hanc opinionem plantaverunt per totam ecclesiam, quod spernere mundum sit in monasterium sese abstrudere, et creditum est illis, et eo fuco totius orbis opes occupaverunt. Episcopi, pastores, et quotquot regunt ecclesias, non spernunt mundum, sed vocantur sacerdotes seculares.

Sed neque ligna, neque lapides, etiamsi in monasteria portentur et perpetuo maneant in aedi-

ficiis, gaudent hoc privilegio quod dicerentur, Spernere mundum, cum tamen et ipsa eodem modo, quo Monachi et Nonnae, corpore locum mutent et de silva in monasterium trudantur, et Nonni ac Nonnae eodem modo quo ligna et lapides (utrinque trunci et saxa) in locum alium corpus suum transferunt, sed oportet esse animal rationale, sicut est homo, qui possit dici, Spernere mundum.

Igitur, cum spernere mundum istis doctoribus eximiis sit non vitia mundi, incredulitatem, fiduciam sui, ignorantiam et inobedientiam Dei, concupiscentiam, avaritiam, invidiam, reliqua opera diaboli relinquere, sed per electitiam religionem potius haec monstra statuere, fidem conculcare et fiduciam sui alere, totum regnum Christi suis abominationibus obscurare et profanare (nam regnant haec monstra in religionibus, et nisi regnarent, non possent religiones consistere, ideo enim itur ad opera religionis, quae baptismo aequant, quia receditur a fiducia in Christum), fit ut per vocabulum, Spernere mundum, aliud nihil possit intelligi, quam spernere coniugium, magistratum, officia ecclesiarum, cum eadem vitia et eandem carnem secum ferant et retineant in monasterio, quae foris in aliis locis habuerunt.

Tu nunc vide sapientiam istius doctrinae in magno mysterio absconditae. Vitia mundi non spernunt, sed divinas ordinationes, ut ecclesias regere, coniugium (etiam maximo multorum periculo) et politiam, quae omnia Deus ordinavit et colere atque honorare praecepit, illi autem deserunt et fugiunt, et contemnunt, deinde gloriantur, se offerre Deo fructum superantem omne genus martyrii.

Tamen praevaluit ista pestilens species mutati loci et in monasterium ingressus, ut pro contemptu mundi celebraretur, nec videretur, quod iste contemptus verissime fuerit contemptus Dei et suarum ordinationum, ac merus amor et honor mundi et diaboli, hostium Dei et omnium suorum operum.

Sed minor est ista blasphemia, quod spernere mundum vocant id, quod vere est spernere oecono-

miam, politiam et ecclesiam, divina scilicet opera et praecepta. Haec est multo maior, quod per ingressum religionis negant fidem Christi et damnant gratiam baptismi sui, et contumeliam faciunt Spiritui sancto. Quia non confidunt per Christum aut baptismum iusti et salvi fieri, sed per vota et opera religionis suae, tam abundanter, ut ea etiam aliis vendant, et non solum se ipsos, sed et alios per eadem salvos faciant, ecce hoc est spernere mundum. Haec abominatio tunc regnavit apud eos, nec possunt negare, et tamen non agnoscunt aut poenitent. O maledictus iste contemptus mundi, quo non potest maiore sacrilegio mundus honorari et princeps eius diabolus adorari.

Spernere vero ornatum seculi aliud nihil esse potest, quam formam vestis puellaris per formam cuculli mutare, neque enim omnes Nonnae aureas coronas, murenullas et torques habuere, quas relinquerent, omnes vero puellarem [1]) vestem, qua cum honore coram Deo et hominibus usae sunt [2]), mutant cucullo.

Quid igitur spernunt istae hypocritae [3]), nisi bonam et utilem vestem, honeste et verecunde formatam et gestatam, et in qua, procul dubio, si caste et obedientes sub parentibus vixerunt, plura et sanctiora opera fecerunt, quam in omnibus cucullis unquam facta sunt et fieri possunt. Et tamen istam bullam huius doctrinae sic iactaverunt per ecclesiam, ut omne genus martyrii superaret. Hic nullus episcopus vigilavit, nullus doctor clamavit contra has perfidas et blasphemas abominationes, sed omnes simul insaniverunt et probaverunt monstra haec, atque nunc etiam defendunt vi et furia.

Sequitur:

Offert se anima et corpore vivere Deo aeternaliter. Sic enim docuerunt isti sacrilegi asini, et hac doctrina fidem Christi exstinxerunt, et

---

1) In ed. Ien.: puellarum. 2) In ed. orig.: usi sunt. 3) In ed. Ien.: isti hypocritae.

adhuc exstinguunt, imo blasphemant Deum in omnibus suis operibus et verbis. Nam in magistratu et oeconomia non concedunt esse cultum aut obsequium Dei, nisi quando intermissis officiis publicis et domesticis ad ecclesias[1]) ibant et Missas audiebant, et sine mente orabant Rosaria et alia praescripta illis a Magistris istis Nonnarum, hoc est, quod hic sermocinator dicit, Nonnam aeternaliter servire Deo, scilicet, quod homo politicus aut oeconomicus non aeternaliter seu assidue Deo servire possit, quia occupatur officiis domesticis et publicis, quibus Deo non servitur, sed diabolo seu mundo.

Nonna vero semper vivit Deo, corpore et anima, nisi forte cum dormit aut aegrotat, quasi vero Nonnae etiam non occupentur officiis domesticis, coquendo, lavando, nendo, linum et lanam operando, et plane omnia officia muliebria et domestica, etiam magis, quam ulla uxor, exercendo, uno duntaxat excepto, quod non pariunt nec viris cohabitant[2]). At loco huius alienos pueros alunt, educant, et[3]) formant et regunt, etiam maiore studio et cura, quam matres multae solent.

Quo ergo differunt Nonnae ab uxoribus, nisi ipso coniugio? Et tamen Nonnae serviunt Deo corpore et anima aeternaliter, uxores serviunt Deo nunquam, nisi extra sui status officia. Quid hoc est aliud, quam uxoris officia ceu mundana damnare, et Deum, cuius haec sunt divina opera, in sua ordinatione blasphemare? quae tamen et ipsae Nonnae tam strenue exercent, et toties Paulus docet[4]) ea officia placere Deo, et mulierem salvam fieri per filiorum generationem. Officia autem Deo placere, quid est nisi per ea Deo serviri et vivi aeternaliter tam corpore quam anima?

Sed hoc non admittit abominatio ista monastica, ne gloriam Ordinis sui amittat. Quin potius fidem Christi conculcant et docent, Nonnam sine

1) In ed. Ien.: ad templa. 2) Ibid.: quod viris non cohabitant nec pariunt. 3) Ibid. deest: et. 4) In ed. orig.: doceat.

fide, suis nonnalibus vestibus et cultibus Deo aeternaliter vivere tam corpore quam anima, Saram vero, Rebeccam, Rahelem, Hannam, Elisabeth, et omnes alias sanctas uxores, plenas fide et spiritu, non servire Deo, sed mundo et diabolo.

Vide, qualem doctrinam et opinionem Satan per istos homines vexerit in ecclesiam. Nonne hic sentis, unam úxorem inter Christianos, etiam abiectissimam, si fidelis est, meliorem esse, quam omnium Nonnarum infinita monasteria, et omnes simul dignas non esse, ut uni tali uxori porrigant calceum, propter blasphemiam suam et sacrilegam in Deum et Christum religionem, seu abominationem potius.

Sic si Monachorum officia spectes, quid est politicorum operum, quod non exercent? Nonne agros, vineas, hortos, praedia, greges pecorum habent? Nonne vendunt, emunt? Nonne iudicia habent? Et quid dicam? Ipsa politia nusquam fuit aut est magis exercita et sollicita, quam apud monachos et episcopos, uno excepto, quod non militant ipsi in castris, licet loco eius officii alant exercitus, iuvant duces, hortantur bellatores, etiam ipsorum multi hodie per se belligerantur, et tamen ipsi serviunt aeternaliter Deo corpore et anima. Magistratus non servit Deo, sed mundo, nisi dum in templo preculas suas murmurat.

Quid est hoc aliud, quam officia illa divina magistratus, a Deo condita, instituta et paecepta, damnare et blasphemare, quae tamen et ipsi gnaviter et non segniter exercent? Ut videas ab istis monstris hominum damnari opera bona Dei, non alia causa, quam quia ipsa eadem et alii faciunt, et laudari, quia ipsi soli vellent ea libenter facere. Cum enim officia ipsi faciunt et tamen ipsos status damnant, manifeste patet, quod personas statuum damnent, vel odio vel invidia, quod non soli cuncta faciant, quae alii faciunt.

Istis blasphemis et sacrilegis opinionibus sic imbuerunt Regum et Principum animos, ut ipsi desperarent de statu suo, nec posse salvum fieri,

qui in magistratu serviebat. Et hac larva diaboli conterriti fere omnes coeperunt, neglectis suis officiis aut alteri commissis, ipsi in templis quasi monachi assidue orare et Deo servire.

Quanquam haec negligentia officiorum non tam grande malum fuit, quam quod hac opinione serviendi Deo ipsam fidem in Christum exstinxerunt et miseros homines non solum a suae vocationis officiis absterruerunt[1]), sed etiam fiduciam collocare docuerunt[2]) in ista officia a sua vocatione aliena, quae et verissima dupliciter fuere peccata, semel[3]) quod suis officiis neglectis Deo inobedientes fuerunt, secundo quod alienis officiis Deo servientes et in eis fidentes vere idolatrae fuerunt.

Ecce is fuit fructus huius doctrinae, quam iste sermo docuit, scilicet Nonnas servire Deo aeternaliter corpore et anima. Hoc scandalo abominationis subverterunt et pietatem fidei et officia politiae, utrunque scilicet regnum Dei, externum et internum.

Valuit autem illis plurimum Principes et Reges his opinionibus sacrilegis esse captos et dementatos: nam hac arte paraverunt et subiecerunt sibi mundum et omnem ornatum seculi, quem tam religiose spernunt. Nam Principes et Reges, desperantes de suis officiis et statibus, quid aliud facerent, quam ut alienis officiis sese solarentur? Et cum fides[4]) eis esset ignota et per pestilentes istos Magistros obscurata et abscondita, nulla erant reliqua officia, quam Nonnorum et Nonnarum, quorum praesidiis sperarent falvi fieri.

Igitur ad participandum illis auxerunt ea in infinitum, aedificantes, dotantes, locupletantes monasteria sine fine et sine modo, ut mundum istis speluncis diabolorum et diabolarum repleverint, donec ipsi vix dimidium rerum retinuerint, et omnia profuderint in ista aliena, id est, sacrilega et ido-

---

1) In ed. orig.: absterrerent. 2) Ibid.: docerent. 3) In ed. Jen.: primum. 4) Ibid.: doctrina fidei.

latrica officia. Tales debuit mundus ingratus Christo magistros habere et hunc et similes sermones audire et adorare pro summa veritate et pietate.

Et unde tamen sumpserunt ista sacrilega dogmata? Nonnisi e sancto Paulo 1. Cor. 7, ubi dicit: Mulier cogitat quae sunt mundi, ut placeat viro. Et vir cogitat quae sunt mundi, ut placeat uxori, et divisus est[5]). Divisa sunt haec, virgo cogitat quae sunt Dei, ut sit sancta corpore et spiritu.

Ex hoc textu habet iste Magister noster hunc Magistralem Sermonem. Hic Paulum intelligunt velut damnantem coniugium ceu mundanum statum, et docent hinc, Deo non servire[6]) posse. coniuges.

Hunc sensum stupidi isti et stertentes lectores Pauli e suo cerebro afferunt in Paulum, more suo perpetuo, cum Paulus non damnet nec peccatum esse dicat cogitare ea, quae sunt mundi, et placere coniugi, sed distinguat et comparet diversa officia virginum et coniugum, sic tamen, ut in utrisque eidem Deo serviatur. Nam coniugis officium sanctum et Deo gratum est, amare coniugem et studere, ut illi placeat. Hoc fit autem cogitando ea quae mundi sunt, id est, domum curando, familiam regendo, alendo prolem, laborare et alia domestica opera exercendo, pro victu et amictu liberorum, deinde servire civibus, et parere magistratibus. Haec enim sunt mundi et in mundo necessaria, et ea cogitare est ea sollicite et fideliter curare et praestare, haec etiam placent viro in muliere, et mulieri in viro.

At nostri asini cogitare non intelligunt aliud, quam vel castis vel non castis cogitationibus intentum esse, quasi Paulus de libidine et voluptate carnis inter coniuges et de continentia Nonnarum loquatur, cum de officiis, laboribus et molestiis coniugii loquatur, quibus distrahuntur, ne semper illi

---

5) Ibidem desunt verba: et divisus est. 6) In ed. orig.: non serviri.

unico et optimo officio, scilicet verbi Dei, possint vacare, sed coguntur saepius in sua officia distrahi, in quibus tamen aeque serviunt Deo, atque faciunt in officio verbi.

Virgo vero potest assidue (ut mox dicit) in officio verbi seu (ut Paulus ait) in obsequio Domini esse, ut quae officiis erga maritum, prolem, familiam, domum, agrum [1]) et alias molestias libera est.

At nostri asini magistrales servire Domino hic vocant cogitare de castitate et in choro cantare et preces murmurare. Nam nemo fuit ab officio verbi remotior (id est, vero cultu Dei) quam Nonni et Nonnae. Deinde (ut dixi) nemo implicatior et attentior in cogitando ea, quae sunt mundi, exceptis officiis erga coniugem et prolem, cetera omnia mundi, tam oeconomica et politica, sic cogitaverunt, ut toti mundo exempla praebuerint colendi, aedificandi, alendi, emendi, vendendi et omnia officia mundana exercendi.

Sequitur:

Imo id quod est Deo gratissimum, scilicet virginitatem.

Quam secure pronunciat hoc os Diaboli, virginitatem esse prorsus rem gratissimam prae omnibus obsequiis. Et [2]) ferendum erat, si pro laudanda virginitate aliqua tali hyperbole aut superlativo uterentur, modo hyperbolen esse sinerent, et figurate dictum accipere permitterent. Nunc autem simpliciter et serio sic docuerunt, et absque hyperbole virginitatem istam foedae et corruptae carnis praetulerunt fidei et omnibus donis fidei, et per hoc purae et castae fidei pietatem exstinxerunt, et in locum eius idolum virginitatis et multa alia statuerunt. Nam miserarum istud puellarum vulgus,

---

1) In ed. Jen.: demum agrum. 2) Ibid. deest: et.

istis laudum prodigiis delusum, credidit se esse summum ecclesiae miraculum, contempta fide et negato Christo. Sit virginitas Deo gratissima, sed in suo gradu et ordine, ut et coniugium maneat Deo gratissimum, nihil autem gratius pura fide in Christum, imo nihil tam gratum.

Sequitur:

Nam Deus specialiter eligit virgines sibi hic et in futuro.

Scilicet tam cupidus est multarum sponsarum, ut ne in futuro quidem amore virginum expleri possit. Sed sicut dixi, hic sermo exemplar est doctrinae papisticae, ideo per singula verba spirat vinum illud fornicationis in aureo calice purpuratae meretricis, ut ipse solus possit ille ipse calix aureus fornicationis dici. Deus eligit specialiter virgines. Hoc specialiter iterum non hyperbolen esse sinunt, sed praeferunt virginitatem fidei et toti spiritui.

Sequitur:

Status virginum est excellentissimus, quem Christus et beata Virgo tenuerunt.

Audis hic, quod Christus et Maria nihil tenuerunt excellentius virginitate? Forte Maria mentita est cum dixit: Respexit humilitatem ancillae suae, cum dicere debuerit: Respexit excellentiorem virginitatem.

Item laudabilissimus, quia maior victoria et duriora certamina.

Hoc verbum ex S. Augustino habent dicente: Inter Christianorum certamina duriora sunt castitatis proelia, ubi quotidiana est pugna et raro victoria. Sed ipse viderit, quid dixit. Forte voluit dicere: Duriora, id est, magis assidua et diuturniora, sicut illud indicat: Quotidiana pugna; sed

non dicit maiorem esse victoriam, sicut hoc os Satanae addit.

Duriora sunt enim fidei certamina prae omnibus, ut in Iacob, David et aliis patet, quae si Augustinus non est expertus, ignoscetur facile eius verbis, corde candido et sincero prolatis, sed non, ut dogma fiant aut conscientias informent. Deinde victoria fidei vincit mortem, peccatum, infernum, diabolum, mundum, quin absente fide virginitas vincitur et fit scortatio et omnis generis immundiciae.

Item utilissimus, quia consequitur fructum centesimum.

Ista animalia immunda omnia sine iudicio devorant, quae in Patribus legunt, et evomunt nobis ea postmodum[1]) pro decretis fidei. Erravit hic S. Gregorius et hunc locum Evangelii de diversis fructibus verbi depravavit ad fructus operum, seu praemiorum potius. Ita factum est, ut per totam ecclesiam eius depravatio cantata, lecta et celebrata sit, maxima autoritate, non in parvum scandalum et iacturam fidei et fidelibus, scilicet hac depravatione firmata sunt ista scandala monasteriorum, et obscurata fides Christi.

Centesimus igitur fructus est, quod Evangelium seminatum seu praedicatum per unum plus, quam per alium operatur, unus etiam plura dona fidei acquirit, quam alter. Sic Paulus centesimum fructum habet, comparatus aliis apostolis, quia plus laboravit et latius praedicavit, Augustinus centesimum habet prae multis episcopis etc. Non igitur de praemiis, sed de fructibus verbi loquitur hic Christus.

Sequitur:

Et honoratur in coelo angelica societate, gaudii singularitate, Christi conformitate, sequuntur enim virgines agnum quocunque ierit.

Haec omnia sic dicuntur de virginibus, quasi

1) In ed. Jen.: postea.

omnes alii Sancti excludantur, sed (ut dixi) oportuit hunc sermonem fieri perfectum exemplum doctrinae et sapientiae ipsorum. Toties iam repetiit, quod Christus etiam virgo fuerit, et virgines similes illi prae omnibus Sanctis. Ita delectat superbiam istam carnis mortuae omnes Sanctos despicere, et suam virginitatem unice admirari, in fidei et Christi iniuriam et blasphemiam.

Sed quid ad illud dicemus, quod virgines, quae agnum sequuntur, sunt masculi, non foeminae? Dicit enim de eis Apoc. 14: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt etc. Quomodo autem possunt mulieres cum mulieribus inquinari? Sed qui totam Scripturam transeunter[2]) et obiter legunt, quomodo possent hunc locum observare, cum in multo apertioribus stertant et sua somnia fingant?

Igitur virgines istae sunt Christiani virginitate fidei, qui spretis fornicationibus idolorum et doctrinarum Meretricis purpuratae solum Christum et purum eius verbum sequuntur. Aut si carnaliter intelligi coinquinationem velimus, significat eos, qui foedum et inquinatissimum coelibatum papistarum spernunt, et casto coniugio fidem Christi ornant, sicut hodie fieri videmus.

Quam papaliter vero adducit illud Sapientiae: Omne aurum in comparatione eius arena est exigua; et illud Eccles. 26: Non est digna ponderatio continentis animae.

Scriptura illis quovis loco quodlibet valet ad omnia quae volunt. Et ludunt in ea pro libito, sed nimis serio ludo, in perniciem fidei et ignominiam Christi, et subversionem ecclesiae, quam his pestibus opprimunt.

Sed satis sit per haec indicasse portenta in hoc sermone congesta, nullum verbum in ea reperient fideles, quod non praeferat virginitatem per liberum arbitrium oblatam fidei, hoc est, quod non

---

2) Ibid.: negligenter.

blasphemet Christum et ecclesiam eius, seu, ut Apocalypsis dicit, Deum et tabernaculum eius. Et haec quidem sunt illa nomina blasphemiae, quibus plena est Bestia illa coccinea decem cornuum. Christus perdat eam cum[1]) illustratione adventus sui, cui sit gloria in omnia secula, Amen.

M. D. XXIII.[2])

---

1) In ed. Jen. deest: cum. 2) Hic anni numerus repetitus est ex ed. Jenensi, in ed. orig. non legitur.

Adversus armatum virum Cocleum Martinus Lutherus.

1523.

Lutherus anno 1523 (mense Februario, cf. Luth. Epp. ed. deWette II, 307) adversus Iohannem Cochlaeum conscripsit hunc librum, quem Guilielmo Niseno, magistro Lovaniensi, qui tum Wittembergae commorabatur, dedicavit. Johannes enim Cochlaeus, qui alias Dobeneck cognominabatur, sed a vico patrio in agro Norimbergensi sito, cui nomen est Wendelstein, nomen sumere maluit, et primum inter Sacellanos Georgii Saxoniae Ducis, deinde Francofurti ad Moenum collegiatae ecclesiae ad B. Virginem Decanus, tum Canonicus ad aedem S. Victoris Mogontiaci fuit, postremo anno 1528 a Duce Georgio Dresdam ad Vicariam B. Mariae Virginis in Capella S. Crucis vocatus est (cf. Luth. Epp. ed. deWette-Seidemann VI p. 654), quum perpetuo in Lutherum odio flagraret, hunc plurimis libellis infestavit. Lutherus spernere quidem hunc adversarium et dicteriis variis a cochlea et cochlearibus petitis irridere solebat, sed quum Bullae Leoninae defensionem edidisset Cochlaeus, ei hunc opposuit librum, quo gloriantem eum, quod Lutherum Wormatiae sermone suo ad lacrimas adegerit, reprimit, adversarii ineptias exagitat atque propositionem suam, quod s o l a f i d e s i u s t i f i c e t, strenue defendit (cf. Seckendorfii Hist. Luth. I §. 160. Addit,

III et Walchii introd. in Tom. XIX Opp. Luth. p. 64.) Huic Lutheri scripto asperrimum opposuit Cochlaeus librum, cuius titulus erat:

Adversus Cucullatum Minotaurum Wittenbergensem, Ioh. Dobeneck Wendelstinus alias Cochlaeus, De Sacramentorum gratia, iterum: Redde retributionem eorum ipsis Ps. 37. Scurrantur Scurrae, tractant fabrilia fabri. Scurram sanna decet, sic Luder Apostata ludit. Redde retributionem superbis Ps. 93. (s. l. et a.)

(Schütze III, 305.),

sed ad hoc scriptum Lutherus respondere contempsit, quod meliora haberet, quae ageret, nam Spalatino suo Calendis Februariis anni 1524 scripsit: „Cochleo non est ut respondeatur, cum aliis simus occupati melioribus, et eiusmodi libri per sese pereant quotidie multi“ (cf. Lutheri Epp. ed. Aurif. II, 182 b. deWette II, 473).

Hic Lutheri liber adversus armatum virum Cochlaeum anno 1523 ter et latine et germanice typis evulgatus est. Hae sunt editiones:

Adver | sus Armatum | Virum Cokle | um Martinus | Lutherus. (Signum typographicum folii transversi). Vitenbergae. | Anno M.D.XXIII. Colus mulierem decet. Arma decent teneras fususque colusque puellas. (Tituli pagina signis typographicis est ornata). In fine nihil scriptum est nisi haec:

Colum decent mulieres.
Et Colus decet mulieres. 4. (Bibl. regia Monac.).

Aduersus armatum uirum Cokleum. Martinus Lutherus. Wittenbergae. Anno M.D.XXIII. Colum mulierem decet. In fine: Colum decent mulieres. Et Colus decet mulieres. 4. (Tituli pagina signis typographicis non est ornata).

(Panzer IX, 83. v. d. Hardt I, 154.)

Adversus Armatum Virum Cokleum Martinus Lutherus. Wittenbergae M.D.XXIII. Colum mulierem decet. 4.

(Schütze III, 305).

Wydder den gewaffeten man Cocleum D. Martini Luther, schoner bescheyd vom glauben vnd wercken. Wittenberg M.D.XXIII. Ein weib steht eyn rocken wo an. 4.

(Schütze III, 305).

Wyder den gewaffetē man Cocleum D. M. Luther schöner Beschaid vom Glauben und Wercken. Wittemberg im 1523 Jahr. 4.

(Bibliotheca reip. Norimb.)

Wyder den gewaffneten | man Cocleum D. Martini Luther schoner | beschaid vom glauben vnd wercken. | Wittemberg im M. | D.XXIII. Jar. | Aim weyb stat ein rogk woll an. | Tituli pagina signis typographicis non est ornata, in fine nec locus nec annus indicatur, sed in pagina ultima haec sunt:

Die weyb standen ainem rocken wol an:
Ain rock stat den weyben wol an. 4.

(Bibl. Scheurl. Norimb.)

Nos textum reddidimus secundum editionem Wittembergensem, quam supra laudavimus et quae in bibliotheca regia Monacensi asservatur. Latine exscriptus est hic liber etiam in ed. Opp. Luth. Ien. Tom. II, 599. Wittemb. II, 438, germanice in ed. Altenb. II, 905, Hall. T. 160, Lips. XVIII, 460. Walch. XIX, 689.

Adversus armatum virum Cocleum Martinus Lutherus.

Colus 1) mulierem decet.

Guilielmo 2) Niseno suo Martinus Lutherus gratiam et pacem in Christo.

Arma virumque cano, Mogani qui nuper ab oris
Leucoream fato stolidus Saxonaque venit
Littora, multum ille et furiis vexatus et oestro
Vi scelerum memorem Rasorum cladis ob iram,

1) In ed. Ien.: Colum. 2) Ibid.: Vilhelo.

Multa quoque et Satana passus, quo perderet urbem
Inferretque malum studiis, genus unde malorum
Errorumque Patres, atque alti gloria Papae.

Si ineptire videor tibi, mi Guilielme [1]), pro istis Bacchanalibus, cogita, quod tu mihi autor es huius ineptiae [2]) satis imperiosus, qui me tali homini cogis respondere, quem prae morbo animi iamdudum mente captum esse non solum tu belle nosti cum tuis Francofordiensibus, sed et ipsemet libellum hunc nulla videtur causa edidisse, quam ut maniam suam testatam faceret orbi.

Quid est enim iactare arma virorum, nisi mania? Scilicet, postquam per me Dominus Papam, Episcopos, Monasteria et Academias totumque illud corpus Behemoth non solum percussit, sed et paene iam palam traduxit per orbem, illa tandem festiva et festina testudo arma requirit. Papa sentit vulnus, Papistae queruntur suum casum, et undique plurima mortis imago, et ille negat mihi esse arma? Imo ut cum insano cerebro insaniam, si non fuerunt mihi arma, quid sic plorat? quid gemit? quid eiulat testudo ista, tanta per me esse facta? Cur queritur tanto ululatu, Philippum esse a me perditum, quem tanti facit? Si haec stipulis et plumis effeci aut solis, quod insanit, conviciis, cur tanto impetu armorum in me surgit? Cur non contemnit Hector iste tam puerilem et muliebrem Lutherum?

Deinde, si quid reliquum in eo esset salvi cerebri, secum cogitasset procul dubio fortunam hactenus adversus Lutherum bellantium, quibus ne calcar quidem tangere posset (ut aiunt) Coclear istud. Eccius certe, in scholasticis erroribus incomparabilis ad Dominum Coclear, deinde et pontificiis Bullis et viribus consensuque totius Behemoth in me grassatus nihil nisi ignominiam retulit. Hoc sine armis factum glorietur popinarium istud Coclear. Parisiensis Academia sic sese traduxit in hac causa, ut immortalis sit impiissimae ruditatis eius

1) In ed. Ien.: Vilheile. 2) Ibid.: ineptiendi.

infamia. Et oportuerat sane Dominum Coclear, si sapuisset, aestimare quid una testudo cum suis fugitivis cornibus tentet adversus illum, quem Parisienses, Lovanienses, Colonienses, Romanenses et quidquid est virium in corpore Papae superare non potuerunt.

Sed erat una solatii spes, quod liceret gloriari: Ego scripsi unum librum contra Lutherum; si quidem multis aliisque libris in me scriptis nihil est opinionis et gloriae quam quod hoc titulo vehuntur: Contra Lutherum. Ego citra et praeter votum meum in publico exaltatus per Christum cogor ista stercora mecum in sublime vehere, ut vulgo dicitur de luto rotis haerente, ut semper summa petit livor impotens.

Iam quantum est dementiae argumentum, quod gloriatur, sese Vuormatiae sic mihi locutum, ut ad lacrimas cogeret. Non imputabo hoc nequitiae, sicut dixi, sed dementiae, malo eum insanum et misericordia dignum, quam malum et odio dignum haberi, alioqui si compos sui sic impudenter mentiretur, quis non Cocleum insignem nebulonem iudicaret? Scilicet iste Pericles Lutherum ad lacrimas moveret, qui sic pueriliter loquebatur et agebat omnia Vuormatiae, ut ab omnibus, qui aderant, etiam me invito et prohibente tanquam fatuus rideretur. Testem appello suam ipsius conscientiam, si sanus meminit, quantum vel ab uno D. Hieronymo Schurff salis et nasi passus est, tum maxime, cum vellet sapientissimus et prorsus armatus ille Cocleus videri, sensit enim et indigne etiam tulit.

Sic et hoc mendacium morbo tribuerim, non malitiae, quod iactat triumphum, nempe quod oblatum duellum recusarim. Teste etiam Cocleo sic res habet. Cocleus, sive propria stultitia sive alienis verbis subornatus, postulabat a me, ut fidem publicam Caesaris resignarem, tum sese velle mecum disputare palam. Hic antequam ego responderem, communi cachinno excepta hominis absurditas est. Pars eum insanire putabat, ut qui disputare nollet, nisi fide publica postposita, quasi disputari non pos-

sit salva fide publica. Pars vero proditorem malignum arguebat, qui non disputationem quaereret, sed ut exutum fide proderet Papistis. Pessimo nomine sese tum Cocleus et omnium odio per hoc verbum oneravit, quo se in perpetuum non exonerabit. Et nunc gloriatur pulchra ista testudo, sese mihi recusanti duellum obtulisse, et cantat victorias, cum ego nec disputationem resusarim, nec fidem publicam resignare [1]) detrectarim. Vides itaque, cuius autoritatis esse debeat isto libello Cocleus, quem tam impudentibus mendaciis auspicatur, necdum pudet eum Vuormatiae fuisse derisum, gloriatur vero in turpitudine sua.

Hoc nimirum est, quod suam illam insaniam hoc libello ornare anhelat, quod adhuc mihi unus duellum offert, magnificis verbis et minis id agens, ut qui legunt ex animo eum loqui credant. Obsecro, cur hoc non faciebat Vuormatiae, ubi vallatus erat Caesaris et Papae tutela et praesidio? Sed testudini convenit haec tarda et sera gloriatio post amissos triumphos. Cur non adhuc me accedit Vuittembergam, aut vocat in locum tutum? Quid est, quod inanibus verbis crepat testudo ista? Scilicet, quia novit nunquam fore, ut mecum congredi possit, secure triumphant hic arma viri sine adversario. Du arme Schnecke, was soltistu disputiren? Testudo es et aliud nihil et cornua tibi testudinis sunt formidine tantum et fuga nobilia, quae ubi nihil sit, quod obstet, satis audacter sese in vacuum erigunt, ubi autem vel aranei filum occurrit, retro fugiunt.

Sed ego plane hoc tribuo divinis consiliis, ut Papae et Papistae fere nullos habeant patronos, nisi qui vel insigni inscitia, vel mendaciis impudentibus semper suam autoritatem traducant, ne quis amplius per abominationem Romanam decipiatur. Nullus adhuc adversus me scripsit, qui non sit insigniter et palam ac multis modis mentitus. Plorandam certe sortem Papae, quod sui non nisi men-

1) In ed. Ien.: offerre.

daciis profecti[1]) in arenam descendunt, nec desinunt tamen mentiri, postquam multos vident a me palam convictos, uno furore mentiendi omnes pergunt. Habes ergo, Nisene, hic partem armorum, quae virum illum decent; et quem decerent arma talia, nisi talem virum?

Veniamus nunc ad rem ipsam, et reliquam armorum partem videamus armatae testudinis. Imitabor autem exemplum Domini Coclearis, ut unum aut alterum articulum, cuius maxime referat, confutem[2]). Nam et ipse non totum Lutherum aggressus est, sed tres illas priores Propositiones a me assertas adversus Bullam Eccioleoninam. Igitur hoc maxime urget toto libello Cocleus, ut falsum et haereticum faciat, quod passim asserui, sola fide nos iustificari.

Atque ut hic aliquod iucundum audias pro ratione istorum dierum, vide quaeso, mi Nisene, arma ista vulcanissima masculinissimi viri. Postquam multis Patrum dictis docuisset, per baptismum nos ablui a peccatis, per Christum deleri peccata, caritate operiri multitudinem peccatorum et si qua sunt similia, tandem cogit perorator ille omnia in hunc suavissimum epilogum, dicens: Non ergo sola fides iustificat, iustificat enim Spiritus sanctus, iustificat et gratia, iustificat et baptismus, iustificat et Christus, iustificat et caritas etc. I nunc, Luthere, et nega Cocleum esse armatum virum.

Tu, Nisene, forte vel dirumperis indignatione, vel fatiscis risu. At interim tuo imperio ego tempus perdo cum insulsa ista et stolida testudine, quae adversus me scribens non tantum saltem habuit cogitantiae, ut argumenti vim seu, ut cum testudine aristotelissem, materiam subiectam praevideret, ut sciret, quid, contra quid scriberet.

Et satis miror, tam diligentem compilatorem non auxisse istum epilogum, cum Paulus ad Rom. 11. scribat, se conari, ut aliquos ex Iudaeis salvos

---

1) In ed. Ien.: protecti. 2) Ibid.: refutem.

faciat. Ergo etiam apostolus et praedicator [1]) salvat, non sola fides. Quare Lutherus haereticus. Et cur non iuvemus Coclear istud in armis suis tam strenue sudans? et in ordinem statuamus modos salvandi magistraliter [2]) sic: Pater salvat, Filius salvat, Spiritus sanctus salvat, Christus salvat, gratia salvat, fides salvat, caritas salvat, sacramentum salvat, praedicator [3]) salvat, opera salvant. Decem nimirum sunt hic salvatores, ergo non sola fides salvat, ut taceam illum vulgatissimum salvatorem, nempe verbum Dei, quod verbum salutis dicitur, eo quod salvare possit animas nostras teste Iacobo *).

Et vide sapientiam nostram, istos modos salvandi volumus pulchre cum suis attributis et propriatis distinguere, plane magistralissime. Pater salvat autoritative, Filius mediative, Spiritus sanctus applicative, Christus meritive, gratia reputative, fides subiective, caritas active, Sacramentum significative, praedicator ministrative, verbum doctive, opera probative, omnia armative et testudinative et cocleative, ergo non sola fides iustificat, ergo Lutherus est haereticus, ergo Cocleus est armatus vir.

Vides ergo nullum librum esse tam malum, quin in aliqua parte sit bonus, ut Plinius putavit. Nam nisi Cocleus hic nos docuisset, salutem etiam per Deum, per Spiritum, per Sacramentum venire, ubi staret ecclesia? ubi fides? ubi ullus Christus? Gratias Atlanti novo, qui ruiturum coelum robustis istis et bene armatis humeris sustentat.

Sed satis sit lusum in stolidum istud caput, pro amici obsequio, serio de istis rebus paululum loquamur non propter Cocleum, qui ceu porcus indignus est, ut margaritum istud pretiosum ante eum proiiciatur, sed propter eos, quos vehementer movet, quod dixi, Sola fide nos iustificari, cum in Apostolo dictio illa, Sola, non inveniatur, et causantur temere et impie a me adiectam, pro meo statuendo errore. Huius ergo temeritatis meae rationem red-

---

1) In ed. Ien.: concionator. 2) Ibid.: satis magistraliter. 3) Ibid.: minister verbi. *) Iac. 1.

dam et me cum modestia expurgabo, ut videant et me posse humiliter et modeste rationem reddere, ubi tales fuerint, qui digni sint audire verbum Dei.

Primum ego conatus sum reddere, quam potui clarissime, vim Paulinae sententiae, quam Sophistae diuturno et sacrilego verborum abusu penitus obscurarunt. Nam ubi ad Romanos de fide et operibus disputat adversus iustitiam operum, certe id vehementissime urget, ut iustificationem operibus in totum adimat et soli fidei tribuat. Haec enim sunt verba eius *): Ex operibus legis nemo iustificatur; et iterum: Arbitramur hominem iustificari ex fide, sine operibus legis, et iterum: Omnes peccaverunt et vacui sunt gloria Dei, gratis autem iustificati per fidem etc., et Rom. 14: Peccatum est, quidquid non ex fide est.

Denique haec confirmat potentissimo exemplo Abrahae, qui iustificatus est non ex circumcisione, quod erat optimum et egregium opus divinitus mandatum et omni obedientia perfectum, sed fide ante circumcisionem. Negatque eum habere gloriam coram Deo, si ullis operibus sit iustificatus, Scripturam vero dicere: Fide esse iustificatum etc. Haec certe sunt fulmina divinae autoritatis.

Tu nunc vide, an non Paulus vehementius asserat, sola fide nos iustificari, quam ego, licet vocabulo, Sola, non utatur, quo ego sum usus. Nam dicere: Opera non iustificant, sed fides iustificat, certe robustius affirmat, solam fidem iustificare, quam si dixeris: Sola fides iustificat, nisi quod hoc clarius sonat quam illud, dum per impios Sophistas Pauli tum phrasis tum sententia neglecta periit. Loqui autem hoc loco Paulum de iustificatione spirituali, seu, ut Sophistae loquuntur, formali et subiectiva, nulli nisi uni Cocleo est ignotum. Contendit enim contra opera et iustitiam Legis et prorsus in re conscientiarum versatur, ubi sola fides totum est, opera nihil sunt, imo opera fructus sunt iam iusti-

*) Rom. 3.

ficatae per fidem arboris, ut etiam iuxta communem sensum impossibile sit operibus iustificari.

Proinde satis ridiculum est, in hunc modum cavillari: Sola fides iustificat, ergo Spiritus Sanctus non iustificat, vel: Spiritus iustificat, ergo non sola fides, cum his disputationibus nunc non sit locus, sed de fide et operibus tantum sit quaestio: An iustificationis quidquam sit operibus tribuendum [1]), quibus cum nihil tribuat Apostolus, soli fidei absque dubio asserit. Nec puto quemquam tam vecordem, qui crediderit me negare voluisse, per Christum, per Spiritum sanctum, per verbum iustificari, nisi Cocleum, qui hoc libro satis docuit, sese prorsus non intelligere, quid sit fides, gratia, Christus, caritas, Sacramentum, et a nullo credo suum ipsius librum minus intelligi, quam a se ipso.

Ego certe meis adsertionibus hoc egi, dum soli fidei iustificationem tribui, ut impia studia Sophistarum et Monachorum confutarem [2]), qui totum orbem seduxerunt in fiduciam operum. Sciebam eos non negare, saltem verbo, iustificationem per Christum, per baptismum, per Spiritum contingere, sed videbam eos negare solius fidei esse iustificare, operibus vero totam fere gloriam iustificationis tribuere. Quod nisi fecissent, non essent tanta examina monasteriorum, Collegiorum, scholarum et infinitorum studiorum per opera iustitiam quaerentium. Omnia enim haec super opera nituntur, non super solam fidem, et fingunt fidem nescio quid in anima latentis formae, quae sit veluti pars, non summa omnium virtutum. Quare non est, ut verbum meum extra argumentum seu materiam subiectam trahas, et, ubi de fide et operibus disputo pro conscientiae iudicio instituendo, tu de potestate Dei fidem creantis cogites.

Porro si qui sunt, qui per opera Legis in Paulo non omnia opera, sed tantum ceremonialia intelligunt, cum illis non censeo disputandum esse, saltem hac hora, quod videantur de industria velle

---

1) In ed. orig.: tribuendi. 2) In ed. Ien: refutarem.

Paulum nescire. Certe circumcisio Abrahae fuit optimum opus omni (ut dixi) obedientia ornatum, atque adeo iam iustificati Abrahae, ut non posset non summe placere Deo, ceu quodcunque opus, quod illi bonum audeant definire, et tamen huic Paulus adimit iustificationem.

Quod autem Petrus *) dicit, nos per baptismum salvari, quis non videt, hinc nihil contra me strui, quasi hinc falsum sit, sola fide iustificari? Certe baptismus sine fide non iustificat, fides autem sine baptismo iustificat, ideo non potest ulla pars iustificationis tribui baptismo; alioqui si ulla parte iustificaret, non liceret negare baptismum sine fide iustificare. Cum autem ei denegetur, soli fidei recte relinquitur. Vult ergo Petrus per baptismum ceu signum externum fidem provocari et exerceri, quae salvet, sicut nec verbum ipsum, quod longe praevalet signo visibili, nullum tamen per sese iustificat nisi credentem. Sic Epistola Ebraeorum **) dicit: Nihil profuit eis sermo auditus non admixtus fidei in his quae dicebantur.

Quod si qui sunt ex Patribus, qui senserunt, Sacramentum sua virtute iustificare, esto etiam Augustinus, ut Cocleus contendit, nihil moror, hominum sunt dicta, sibi ipsis saepius pugnantium et pleraque humano sensu extra Scripturas docentium. Nos certissimam Scripturam sequimur, quae sine fide nec verbum nec signum prodesse dicit. Nam hoc, quod maxime iactat Cocleus, parvulos, cum sint sine fide, per baptismum iustificari, fortiter negamus. Sed dicimus cum Augustino: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat. Et iterum: Iustificat, non quia fit, sed quia creditur. Quod si Augustinus alibi contrarium dicit, sequimur eum, ubi cum Scriptura sentit, et relinquimus, ubi citra vel contra Scripturam loquitur. Frustra igitur corrasit tot Patrum dicta quasi nos in hominum verba coacturus, cum toties testati simus, nos in re conscientiarum nullius hominis, sed solius Dei verbum

*) 1 Petr. 3. **) Ebrae. 3.

amplecti, quod soli Deo, nulli homini conveniat, conscientias regere [1]) et docere.

Non tamen negamus parvulos esse baptisandos, nec asserimus eos baptismum accipere sine fide, sed dicimus, ad baptismum eos credere per vim verbi, quo exorcisantur, et per fidem ecclesiae eos offerentis et eis fidem orationibus suis impetrantis. Alioqui mera et intolerabilia essent mendacia, quando baptisans a parvulo quaerit, an credat, non baptisaturus, nisi vice eius respondeatur, Credo. Ut quid interrogat, an credat, si certum est eos non credere? ut Cocleus contendit. Esto, Augustinus sic aliquando dicat, sed Cocleo satis sit esse sic ab homine dictum, nos volumus hoc dictum divinis testimoniis probatum. Quin asserimus, parvulos prorsus non esse baptisandos, si verum est eos in baptismo non credere, ne illudatur maiestatis Sacramentum et verbum. Debemus autem et hunc negatae in parvulis fidei errorem Sophistis, qui hominum dicta, sicut animalia immunda, vorant sine iudicio et simul contrària docent, dum negant parvulo esse fidem et tamen, ut baptisari possit, exigunt ab eo fidem.

Gratiam vero iustificare sic debuit intelligere Cocleus, ut fidem sciret esse ipsam gratiam et non distinctam quandam formam ultra fidem et caritatem fingere, seu ex fictis fingentibusque suis Magistris Sophistis asserere, sic non fuisset ei opus tam inepte argutari: Gratia iustificat, ergo non sola fides iustificat, saltem ut ipsi de gratia loquuntur. Ceterum gratia Scripturae usu favorem Dei significat, quo nobis ipse bene vult, et hic nos iustificat, id est, gratuito donat fidem, qua sola iustificamur. Iam in tota Scriptura non legitur caritati tributam iustificationem, cum potius sit fructus fidei iustificantis, Gal. 5: Fructus spiritus est caritas etc.

Error autem vulgatissimus inde manavit, quod verbum Petri ex proverbiis Salomonis sumptum perperam intelligunt. Non enim de propriis cuiusque,

---

1) In ed. orig.: tegere.

sed de alienis peccatis loquitur, quando dicit: Caritas operit multitudinem peccatorum, ut sit sensus, caritas non irritatur, omnia suffert, non offenditur, omnia sustinet, ut non possit tam multum in eam peccari, quod non ferat, tegat, ignoscat et parcat, iis autem operibus nemo iustificatur, sed nisi iustificatus iam sit, hos fructus caritatis non profert. Hunc autem esse sensum ex Proverb. 10. capere licet per antithesin, Odium suscitat rixas, universa autem delicta operit caritas, hoc est, qui odit proximum, etiam in bono illius opere quaerit, quod calumnietur, qui autem diligit, contrarium facit, ut etiam omnia peccata proximi tegat et toleret.

His credo satis esse responsum pro defensione trium Propositionum mearum a Cocleo damnatarum, et fortiter manere hoc dogma meum: Sola fides iustificat. Per hoc tamen non oportere negari, quin verbum, Sacramentum, Christus, Praedicator, Spiritus et Deus pater iustificet. Deus enim omnia facit, ut iustificemur, Christus meruit, ut iustificemur, Spiritus sanctus exsequitur meritum Christi, ut iustificemur. Verbum est instrumentum, quo exsequitur Spiritus meritum Christi, similiter et Sacramentum et praedicator. Sed formalis iustificatio relinquitur soli fidei, cum sine fide nec Deus, nec Christus, nec aliud quidquam prosit ad iustitiam. De operibus autem, ut iustificare dici possint, dixi in Sermone de Mammone iniquitatis.

Haec serio dicta satis sint. Revertamur ad ludentem meam testudinem et coronidis vice videamus, ut Lutherum doceat Dialecticam.

Ubi in Assertionibus meis dixi, Paulum asserere, nos fide iustificari, adieci: Non dicit Paulus nos Sacramento iustificari. Hic testudo, quasi esset Dialectices aliqua parte perita, ostentat cornua sua pulchre et tamen cornutum syllogismum non facit, dicens: Ubi hanc didicisti Dialecticam, quod ab autoritate negative ducis consequentiam? Non dicit: Lutherus non est homo, ergo est asinus. Quis, rogo, non ad exstasim miretur testudinis tam aptum et argutum elenchum? Haec scilicet est illa Dia-

lectica tam acuta, posse dicere: Ergo tu es asinus? Quis tam ridiculum asinum e Luthero facere queat, nisi venustissima ista testudo? Respondeo tamen:

Et tu pulchra testudo, ubi didicisti theologiam et rem Christianam tuis praerancidis et sordidis consequentiarum regulis metiri, scilicet divinas literas putas Sophisticas nugas esse? Satis declaras hic, sacrilege Coclearis, quid ex animo sentias de rebus spiritus, dum inter eas et nostras prorsus nihil discernis. Quoties, rogo, dixi et scripsi: In re Christiana nihil esse asserendum, quod Scriptura non habet? quod toties mandat Scriptura? quod Hilarius quoque docuit, et ipse tam Hieronymus quam Augustinus, quorum hic scribit: Solis eis libris, qui Canonici dicuntur, hunc honorem tribuo, ille vero: Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Vides, Chrysippe testudinarie, quos viros tua asinifica et asinina Dialectica petat blasphemiis suis? In rebus igitur sacris vehementissimus et robustissimus locus est, arguere ab autoritate negative.

Sed tantus Dialecticus quam aptum facit exemplum huius Topicae, dum dicit: Non dicit: Lutherus non est homo, ergo est asinus, scilicet loco negativae infert affirmativam, cum dicere debuisset hoc modo: Non dicit: Lutherus non est homo, ergo non est homo. Haec enim sequela nihil valet in hac Topica. Furiae et intemperiae totum hominem agitant, sicut solent Sophistas, ut sua propria neque intelligant, nec, si intelligant, commode uti possint[1]. Vade ergo, tu sordidum et popinarium Coclear, cum tua inepta et insulsa Dialectica et inter ollas et farragines tuas saltem illa disce apte uti, ut veniam demus, si in re sacra perperam utaris. Ego aptiore exemplo docebo te hanc Topicam, scilicet, Francofordienses negant, testudini suae cor et cerebrum esse, ergo testudini suae nihil est cordis et cerebri. Tu videris, an valeat consequentia.

---

1) In ed. Ien.: possunt.

Verum quid ego hic facio, nisi ut his stolidus et insanus fiam ipse, qui cum tam stupido et stolido capite et verba et tempora perdo? Quid enim cum eo tandem efficies, qui novo monstro prodit, et ecclesiae autoritatem palam praefert verbo Pauli, seu, ut vult prudentissime et callide locutus videri, sono Pauli? Sic enim dicit:

Dato, quod Paulus ita diceret (quod non facit), non tamen contra omnem ecclesiam per verba Pauli protervire [1]) oporteret. Maior est sensus ecclesiae, quam sonus Scripturae, non oportet ubique sonum sequi Scripturae.

Quis tam parum de re Christiana novit, qui non olfaciat, quis spiritus halet hanc Mephitim per armatam istam testudinem? scilicet, ut nobis suspectas reddant Scripturas, se ipsos autem et suos Patres ecclesiam faciant Lallat ista nequitiosus Satanae angelus, ut tuti sint ab ore gladii spiritus, tum in eorum [2]) arbitrio sit, quid et sentire et sonare oporteat. Sed Christo gratia, qui populis illuxit et docuit iam orbem adversus haec sacrilega portenta verbum Dei palam blasphemantia sic sapere, ut etiam angelo de coelo non credant, si aliter doceat, quam sonat Scriptura, ut pereat ecclesia illa testudinacea cum suo sentimento et sonamento.

Si sonus Pauli suspectus et non sequendus est, cur sequendus est sonus ecclesiae? An ecclesia testudinis sensum sine sono aliquando prodit? Sonet ergo Paulus, sonet testudo, sentiat Paulus, sentiat testudo cum sua ecclesia. Doce, quaeso, quem sonum et sensum sequemur? An denuo nova ratio invenienda est, ut nec ecclesiae sonum, sed sensum alterius ecclesiae sequamur? Sed ille sensus ecclesiae iterum prodibit [3]). Et iam quartus erit sonus necessarius, quo tertius sensus certificetur. Deinde quarto sono quintus sonus sonabit pro quarto

---

1) In ed. orig.: protervere. 2) In ed. Ien.: tum ut in eorum. 3) Ibid.: iterum sono prodibit.

sensu. Obsecro, quis tandem finis erit sonorum et sensuum?

Scelerati et impii Sophistae, qui postquam sacras literas pro stercore habuerunt, invenerunt viam istam, ut Scripturam non per Scripturam, sed per suos blasphemos sensus traderent, idque tum ecclesiae autoritate factum iactarent, qui si toti sese dedissent, sicut titulo iactant, meditationi legis Domini, non esset locus isti insulsae et impiissimae differentiae soni et sensus in Scripturis. Nihil unquam dictum est simplicius, purius, clarius, facilius, quam verbum Dei, id quod quando scirent istae testudines, limaces, talpae, lacertae, erucae, locustae, bruci, vespae, imo viperae et stelliones, qui totis vitae diebus in terrenis suis volutabris reptant et pereunt in immunditiis suis sophisticis? Quid mirum, si sonum graecae linguae non intelligas, qui nihil graece didiceris? Lux enim est verbum Dei omnium hominum, ad quod et venit in hunc mundum; non autem homines lux verbi Dei sunt, ut Cocleus hic sacrilegus cum suis insanit.

Dicamus ergo: Deus creavit coelum et terram, et accedat hic testudo et distinguat nobis sonum et sensum, ut aliud ostendat hic Mosen sonare et aliud sentire. Hoc autem debet ostendere. Nam si verum est, quod uno loco Scriptura aliud sonat et aliud sentit, ubique de ea dicendum est, ut aliud sonet et aliud sentiat, cum nulla sit ratio, cur alicubi et non ubique, nisi forte hic nova testudinaceae ecclesiae Dialectica ab autoritate affirmative sic arguatur: Nos testudines Aristotelis Dei nostri gratia et sentimento nobis reservamus de plenitudine potestatis ius decernendi, ubi Scriptura aliud sonat et aliud sentit, ergo Scriptura, ubi testudines volunt, aliud sonat et aliud sentit. Quid autem, si et nos dicamus: Cur non et Patres tui dicendi sunt aliud sonare, quam sentire, cum nihil sit pugnantius dictum, quam quod Patres inter sese et inter sua quoque propria dicunt? Neque enim in Scripturis semel invenies aliud sonari et dici, ubi in Patribus

(qui sensum Coclei, non sonum Pauli habent) centies aliud sonatur et aliud sentitur.

Sed, ut dixi, reptilia ista immunda omnia versant et moliuntur, ut Scripturis iudicium derogent et sibi vendicent; ideo, quidquid Scripturis tribui oportuerat, sibi et suis tribuunt, rursus, quod sibi et suis tribui oportuerat, Scripturis tribuunt. Scripturis iudicare debent et ecce Scripturas iudicant. Quid illis aliud merito dicetur, quam illud Christi: Et iustificata est sapientia a filiis suis?

Quod si hoc agerent, Scripturas aliquoties figurate loqui, recte dicerent, aliud sonari (sed Sophistis, Grammaticae scilicet ignaris) et aliud sentiri. Nam dum Christus dicit: Ego sum lux mundi, certe Sophistis aliud sonat et aliud sentit, quod ad Sophistas prorsus nihil pertineat scire hic metaphoram esse, sed proprietatem hic esse parvorum logicalium, quae dicitur alienatio vel remotio termini, nam Grammaticis nusquam et nunquam aliud sonat Scriptura, quam sentiat, ut quae simplicissime loquatur.

Nunc autem testudines meae sceleratae etiam in iis locis arguunt Scripturam hypocrisis, imo mendacii, ubi prorsus sine figuris atque adeo sine proprietatibus parvorum logicalium loquitur, ut est locus propositus: Fide iustificamur, hic aliud sonari et aliud sentiri vult Coclear meum.

Sed finis hic esto cum larvis nugandi; sicut enim recte dicitur: Solus Deus creavit coelum et terram, licet Scriptura tantum dicat: Deus creavit coelum et terram, cum non sit alius creator, ita nostra loquendi ratio exigit dicere: Sola fides iustificat, licet Scriptura tantum dicat: Fides iustificat, cum nihil nisi fidem iustificare ipsa clarissime probet.

Vale, mi Nisene, in Christo et testudini tuae dic, ut desinat tempus perdere bonis ingeniis suis sentimentis et sonamentis, tum stolidis tum impiis prorsus.

Colum decent mulieres,
Et colus decet mulieres.
M.D.XXIII.

Breve Clementis Papae VII ad Fridericum Ducem Saxoniae.

1523.

Clemens Papa VII*).

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Nuper Nobilitati tuae, ut audiebamus, ad Norimbergensem Conventum vel profectae vel profecturae, scripsimus, nos, qui tunc dilectum Filium Hieronymum Rorarium, familiarem et Camerarium nostrum, illuc mittebamus, propediem Nuncium Apostolicum missuros esse, qui, si quid ad Sedem Apostolicam spectaret, nostro nomine praesto esset, in omnibus, quae provinciae istius tranquillitatem et animarum salutem respicerent, procurandis.

Postea nos pro maiore istius nobis semper dilectae nationis decore dilectum Filium nostrum Cardinalem Campegium, virum summa prudentia parique doctrina praeditum, nec minus isti provinciae notum et, ut speramus, carum, mittendum censuimus, qui Nobilitatis tuae et aliorum Electorum ac Principum opera, favore atque autoritate ea perficiat, quae in universum salutaria atque utilia apparebunt. Quem dum expedimus et a nobis dimittimus,

---

*) Textus repetitus est ex edit. Opp. Luth. Ienens anni 1557, II, 603.

hortamur Nobilitatem tuam in Domino, ut pro suo officio ac pro tam necessaria causa, Deo omnipotenti gratissima futura, ad Conventum ipsum, nisi profecta sit, proficisci velit ibique dare operam, ut Legatus noster, tali dignitate vir ad vos veniens, non solum tuto venire possit, sed honorifice a te et ab aliis excipiatur et benigne exaudiatur, sicut Nobilitatem tuam decet (quae tot Romanos Pontifices et Pontificum advocatos Caesares habuit) et eam[1]) facturam speramus. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII. Decembris, Anno M.D.XXIII.

Pontificatus nostri anno primo.

Dilecto Filio, nobili viro, Friderico Duci Saxoniae, sacri Romani Imperii Principi Electori etc.

---

1) In ed. Ien. 1557: ad eam.

Duae episcopales Bullae, prior pii, posterior papistici pontificis super doctrina Lutherana et Romana.

1524.

Lutherus mense Ianuario anni 1524 duas episcopales Bullas diverso animo editas Vittembergae typis evulgavit velut duos fructus insignes, alterum reflorescentis pietatis, alterum inveteratae malitiae. Altera Bulla est Georgii Polentii, ex familia de Polentz orti in Misnia et Lusatia nobili, episcopi Sambiensis (Samland), qui primus ex episcoporum numero Ioanne Brismanno auctore Christo nomen dedit, diplomate ad parochos die 28. Ian. 1524 misso Lutheri libros legendos commendavit linguaque patria baptismum administrari iussit (cf. Luth. Epp. ed. deWette II, 474 et Seckend. Hist. Luth. I, §. 164); altera est edictum a Mauritio, Warmiensi (Wermeland) episcopo, die 20. Ian. 1524 contrario plane sensu editum, cui Lutherus notas adspersit. In lucem prodiit hic Lutheri libellus sub hac inscriptione:

Duae episcopales Bullae, prior pii, posterior Papistici Pontificis super doctrina Lutheri et romana. Praecedit Mart. Lutheri praefatio. Wittenbergae MDXXIV. 4.

(Panzer IX, 85).

Latine redditur hic Lutheri libellus etiam in ed.

Opp. Luth. Ien. III, 62b. Wittemb. II, 417, germanice in ed. Lips. XIX, 313, Walch. XIX, 2424. Nos textum repetivimus ex ed. Opp. Luth. Ienensi a. 1557, cum editio orig. praesto nobis non esset.

Duae episcopales Bullae, prior pii, posterior papistici pontificis super doctrina Lutherana et Romana.

Martinus Lutherus pio lectori salutem in Domino.

Has duas Bullas diverso spiritu editas placuit invulgari velut duos fructus insignes, alterum reflorescentis pietatis, alterum inveteratae malitiae, ut videres, pie lector, verum esse, quod Esaias dixit de cursu verbi Dei: Verbum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, et Christus: Gladium et ignem veni mittere in terram, utinam iam ardeat, et Paulus: Bonus odor Christi sumus, aliis odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem.

Habeat sane papistica doctrina hanc gloriam, quod blande suscepta est per mundum, nunquam contra eam pugnantibus regibus et principibus, sed eandem etiam osculis beatorum pedum, tum profusione prodigalissima et prodigiosissima opum suarum confirmantibus, licet aliquoties pro terrenis iuribus et honoribus laborarit, sic tamen, ut et hic vicerit semper et crucem Domini nunquam experiri oportuerit. Nos hanc gloriam omni ignominia foediorem ducimus, gaudemusque eandem a nobis esse quam remotissimam.

Hoc potius gratulamur, quod imagini Filii Dei assimilamur, dum reges et principes in nos armantur, dum mundus damnat, dum exsecratur ac diris nos devovet, sicut Christus dixit: Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? et iterum: Beati estis, cum maledixerint vobis ho-

mines et persequuti vos fuerint et dixerint omne malum adversus vos.

Velut etiam hic Mauricius, divina indignatione episcopus, quam magnificis blasphemiis et maledictis Bullam suam refersit, interim tamen eo argumento taxat Lutheranos, quod maledici sint. Maledictum autem vocat, quod non laudamus et probamus papatum, sed damnamus, mordemus, arguimus et exsecramur, sicut meruit, quemadmodum et Christus ficum illam maledixit.

Sed videtur satan vulnus et malum sentire, ideo sic misere omnia versat et tentat, quibus tamen velut Caiphas prophetat et futura sibi ipsi mala praedicit. Mirum est enim, quanto studio praetexant sibi haec folia fici, quod Lutherani sint impatientes et maledici, quasi hoc perizomate tectam habeant trabem illam in oculis suis, quorum vita omnium libidinum, fraudum, insaniarum, nequitiarum genere iamdudum orbi est intolerabilis, interim tamen festucam nostram trahunt et dicunt: Lutherani sunt impatientes, quare nemo iam videt amplius, quam abominabiles nos sumus, cum nostra impatientia (ut glorier) non ea sit, qua pro reculis, honoribus, dignitatibus, quas nec habemus nec quaerimus, sicut ipsorum furor furit, sed pro contemptu verbi Dei et pertinacia impietatis ardeat, ubi anathema sit, esse patientem.

Ceterum spero, Papae regno hoc genus fati impendere, quod his solet contingere, qui nunquam tota vita aegrotant, quorum aegritudo mors in ianuis est. Sic Papa, cum hactenus sua doctrina et tyrannide semper regnaverit ac triumphaverit (quod maximum et infallibile argumentum est, antichristi spiritum in eo regnasse), iam cum incipiat tandem aegrotare et succumbere, spes est certa, quod succumbat in finem, et destruatur Homo peccati et Filius perditionis, frustra defendentibus, furentibus, renitentibus universis regibus, principibus et omnibus larvatis episcopis. Crucem Domini semper horruerunt, quae sunt stigmata Domini nostri, gloriam autem et honorem semper quaesierunt, ideo nihil

certius eos manet, quam quod gloria eorum desinat in confusionem et pro contempta cruce ignominiam sustineant aeternam, sicut scriptum est: Quantum sese glorificavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Actum est, ait angelus, cecidit, cecidit illa Babylon, mater fornicationum terrae. Dicat omnis spiritus, Amen, Halleluia. Mense Ianuario, Anno MDXXIV.

Georgius solius Dei gratia Episcopus Sambiensis.

Honorandis nobis in Christo dilectis plebanis in Fischausen ad S. Adalbertum ceterisque singulis, quibus hoc mandatum est offerendum, Salutem in Domino.

Haud quaquam vos ignorare arbitramur, quam foede misereque a multis annis collapsa sit Christiana orthodoxaque religio, quandoquidem etiam ii, qui Christiano nomine appellantur, non plus nunc tenent Christianae intelligentiae, quam ii, qui a Christo sunt alienissimi, imo proh dolor multi reperiuntur sexagenarii atque decrepiti, qui nesciunt, quid in se contineat baptismi professio. Quam quidem ignorantiam magna ex parte huic consuetudini imputandam existimamus, quod ignota vulgo lingua, id est latina tantum, hactenus apud nostros baptisatum sit. Siquidem nihil prosunt circumstantibus sancti baptismi et exorcismi verba, ignoto sermone prolata, quae etiam fortassis ne ipse quidem, qui baptisat, satis exacte intelligit. Quid enim utilitatis aut fructus accedat auditoribus, cum non intelligant, quid sit, quod sermone ipsis incognito profertur? Nec solum inutile, verum etiam molestum fuit circumstantibus audire presbyterum verba ipsis non intellecta sonantem. Par est, non ignorare, quid sit, ad quod respondes. Quid igitur respondebunt circumstantes, si nesciant, quid interroget aut dicat baptisans? Accedit ad hoc, nec defuisse eos, qui in re tam seria, tam pia, tam sancta divinaque ob

sermonis imperitiam saepiuscule ad levitatem atque cachinnos concitati sunt.

Proinde vos omnes hortamur in Christo, rebellibus denique, si qui forent, quod absit, mandamus secundum potestatem, quam Dominus dedit nobis in aedificationem et non in destructionem, ut in concionibus vestris promissiones divinas et baptismi vim populo accurate explicetis et frequenter inculcetis, et facta populi instructione lingua deinceps vernacula baptisetis, maxime apud quas teutonica lingua viget. Sic itaque baptisantis et exorcisantis vox penetrabit animos audientium. Hoc proderit nedum infantulo, sed etiam circumstantibus, ut in dies reddantur firmiores ac se ipsis meliores. Sicut enim Deus per omnes omnium gentium linguas vult Evangelium et promissiones sanctas divulgari, ita quoque variis linguis ac diversis labiis sua cupit sacramenta conferri. Quid enim prodest sacramentum sine verbo et fide? Porro, quod ad reliquas forte linguas attinet, ut sunt Lithuonica, Prutenica atque Sarmatica, dabimus operam, Christo propitio, ne ipsis quoque desit Christiana institutio.

Ut vero Christum praedicaturi manuductionem quandam in divinas literas habeatis, consulimus vobis *), ut lucubrationes aliquot praeclarissimi Doctoris Martini Lutheri diligenter et pio animo legatis, nempe veteris et novi Testamenti factam ab eo translationem, item de libertate Christiana, de bonis operibus, explicationes Evangeliorum et Epistolarum, quas Postillas vulgo vocant, opusculum super cantico Virginis, Magnificat, cum reliquis operationibus eiusdem Lutheri in Psalmos etc. Quod si feceritis, procul dubio fructum non mediocrem sentietis. Gratia Dei sit cum omnibus vobis, Amen.

*) (Nota ex ed. Ien. repetita:) Prudenter consulit, non fulminibus insanit. Forte locos Philippi non vidit, quos futuro theologo maxime omnium profuturos recte asserunt.

In cuius rei testimonium praesens nostrum mandatum Officiolatus nostri sigillo iussimus communiri, datum in ecclesia nostra Sambiensi, XXVIII. Ianuarii anno M.D.XXIIII.

Mauricius Dei gratia [a]) episcopus Warmiensis.

Honorabili domino archipresbytero plebano in Braunsberg, omnibusque aliis et singulis presbyteris, tam religiosis quam secularibus plebanis, viceplebanis, divinorum rectoribus, capellanis, vicariis, altaristis, ac verbi Dei concionatoribus [b]), clericis ac literatis, quibuscunque sub dicta sede ubilibet constitutis, salutem et sinceram in Domino caritatem.

Certo nobis persuadebamus factionem illam Lutheranam, in quam nunc plerique Christianorum, sine discretionis iudicio, proni ruunt, sua sese temeritate dudum in interitum praecipitaturam fuisse, quod adhuc futurum (ubi Deo placitum erit, et flagellum iracundiae suae clementer a nobis averterit) minime dubitamus, non enim in perpetuum [c]) irascetur, aut misereri obliviscetur ipse, cuius miserationes super omnia opera eius, nec sinit ecclesiam suam procellosis haereticarum tempestatum fluctibus quassatam naufragium pariter facere, qui eam super firmam petram aedificari et sanguine tot millium martyrum consecrari voluit.

Quo enim pacto labes haec pestifera [d]) diuturna esse possit? quae tantum exsecrabilium abominationum acervum in eandem ecclesiam, illabatam Christi sponsam, invexit, quandoquidem, qui eius sectae studiosi sunt, mortiferis declamationibus, quia

---

a) Id est: Ira Dei, per antiphrasin. b) Hi novissimum locum in ecclesia Papae habent, cum sit apostolicum et summum ministerium. c) Hoc iam certe coepit, sed istis Bullis provocatus desinere forte possit. d) Vide, qui patientiam in Lutheranis desiderant et maledicentiam damnant, quam sint ipsi patientes et benedicentia pleni tota hac Bulla, quam Spiritu sancto plenam vult videri.

simplicium Christianorum corda vulnerantes sacrosancta Missarum sacrificia [a]) ut tetram abominationem inaudita temeritate exsecrantur, et animo ea abrogandi adeo pudendis conspurcant verbis, ut referre pudeat, ecclesiastica [b]) sacramenta pro sua libidine abiiciunt, foecunditatem ventris, veteris legis constituto, tantis praeconiis efferunt, ut virginitatis candorem plane damnare videantur, et ob id sanctimonialium et monachorum claustra aperire iubent, ut violato castitatis voto egrediendi et nubendi libera cuique sit facultas, sacerdotibus pariter nuptias sua temeritate permittentes [c]).

Domini nostri Iesu Christi crucifixi et Sanctorum statuas deiiciendas et incinerandas [d]) impio ore praedicant et praesertim genitricis eius gloriosae virginis Mariae, de qua veteres cantiunculas et laudum praeconia tanquam sacrilega [e]) dici vetant; Papam, episcopos, presbyteros, monachos, Deo [f]) dicatas virgines et totum clericorum coetum, ut Laicis invisiores reddant et statum ecclesiasticum deiiciant, multa ignominia afficiunt et infami criminatione immaniter contaminant, reges praeterea ac principes, et quoslibet in summitate constitutos, quos Apostolus, etiam si improbi sint, venerari iubet, maledico [g]) ore lacerant.

Et dum vitia, quibus plane mundus universus scatet, arguere contendunt, ceremoniarum superflui-

---

a) Hoc est, sacra vitia, sicut auri sacra fames. b) Rom. Ecclesiae, ut aspersorium, thuribulum, et sancta crux, illos tres sanctos sacramenta eorum. c) Cum interim Papistae non permittant castum thorum, sed urgeant ad omnem immunditiam, Sodomitis etiam abominabilem. d) Calumnia est, siquidem non usus, sed abusus statuarum tollitur. e) Videlicet blasphemum illud, Salve regina, in quo nomen vitae et spei Christo eripitur. f) Moloch. g) Sanctissime autem eis resistitur, dum verbum Dei per eos impugnatur et antichristus pro Christo defenditur, sicut nuper a Rege Angliae factum est, qui ob id defensoris titulum nactus est.

tatem amputare, et cuncta ad normam apostolicae traditionis innovare volunt, totam Christianae religionis sinceritatem et observantiam veterem pariter conculcant. Ut praeterea deiectis constitutionibus humanis solam [a]) Evangelicam doctrinam astruant, salutares legum et Canonum sanctiones abrogant, ac Christianae libertatis praetextu, quicquid libet, licere sibi arbitrantes, tam ecclesiasticam quam temporalem iurisdictionem ac censuras petulanter contemnunt, satisfactionem, purgatorium, confessionem, poenitentiam, ieiunia, horas Canonicas, et pias alias precationes, Sanctorum suffragia, animarum commemorationes et indulgentias tanquam humanas inventiunculas, meras nugas et pecuniarum aucupia ludibrio habent, pristinum insuper ecclesiae morem, novandarum rerum desiderio aestuantes, aut penitus tollunt, aut pro sua libidine mutant. Turbato [b]) itaque rerum ordine obedientiam dominis subtrahunt, sectas inducunt, tumultus excitant [c]), ac coelum et terram miscentes omnia confundunt. Ut autem portentorum huiusmodi lernam uno complectamur verbo, quicquid errorum hactenus in singulis haereticis singulatim damnatum est, in hanc spurcam omnium flagitiorum sentinam congestum innovare nituntur.

Et tamen haec cum tam enormia tamque impia sint, et sua absurditate cuivis Christiano merito exsecrabilia videri debeant, habent tamen suos pertinacissimos assertores, non modo laicos, sed (quod non sine cordis ingenti dolore [d]) recensemus) sacerdotes quoque tam religiosos quam seculares, qui ordinis et professionis suae immemores ea tanquam sancta et e spiritu divino profecta magno studio amplectuntur, et credulae [e]) alioqui plebi ac novi-

---

a) Vide satanae stultitiam et impotentiam, qui damnat hoc palam, si astruatur Evangelica doctrina sola. b) Hoc est, detecto Rom. Curiae exsecrabili errore. c) Quia Papista ad veritatis auditum furit sicut satan, quoties a Christo esset eiiciendus. d) Lacrimae crocodili. e) Vere nimis olim credulae erroribus antichristi, nunc autem per Dei misericordiam aperiuntur oculi caecorum.

tatis semper cupidae, facile amplectenda persuadent, eamque tum in damnationis abyssum miserando rapiunt spectaculo; sicque in doctrinam Lutheranam feruntur praecipites, ut quidquid Lutheranum audiunt, mox Evangelium[a]) esse putant, quidquid ex Luthero non est, ab Evangelio alienum esse arbitrantur.

Et cum autoris sui doctrinam plerique aut non viderint omnino, aut visam minime intelligant, pro ea tamen asserenda, non pro veritate eruenda in ebriis compotationibus[b]) inter scyphos crassa inscitia et incompositis clamoribus pertinaciter digladiantur, etiamsi sentiant, nec se nec alios nova hac professione sua vel pilo reddi meliores, imo magna peccandi licentia longe, quam antea fuerint, deteriores. Porro Spiritus Dei patiens amor est benignus[c]), mitis et pacificus est, hoc autem hominum genere quid impatientius? quid inimicitius? quid usquam maledicentius? quid tumultuosius? quid denique ad quamvis iniuriolam excandescentius? Haec ubi sunt, divinus ille pacis et veritatis amor spiritus esse utique non potest.

At nihil prorsus ambigendum est, criminum nostrorum[d]) magnitudine tantum aerumnarum curriculum nobis invexisse, utpote qui alias innumeras calamitates incessanter patimur, omnium demum perniciosissimo etiam hoc religionis dissidio longe durius a Domino affligamur: nimirum, ut qui corporum temporaria castigatione non resipiscimus, terribili quidem, sed iusto Dei iudicio horrenda animarum morte divinam manum sentiamus et haereticae[e]) perfidiae veneno necati in profundum perditionis barathrum miserabiliter provolvamur.

---

a) Nam Lutherus nihil sine constanti Scripturae testimonio asserit. b) Papistae autem sunt valde sobrii, et casti et docti in Scripturis. c) Sicut haec Bulla probat. d) Quae tandem nec argui nec emendari volumus, sed taceri, vel maledicos decernere et perdere eos, qui arguunt. e) A quo soli isti lenones scortorum et impietatis defensores liberi sunt et alios etiam liberant.

Nos ergo, cum videamus teterrimam hanc pestem contagionis suae virus in dies latius spargere, et grassando increscere, adeo, quod electi quoque nutare videantur, fomitem suggerentibus iis, qui effrenam debacchandi licentiam merito cohibere debuerant, religionis zelo et pastoralis officii sollicitudine permoti diutius rem dissimulare aut silentio praeterire non possumus, metuentes, ne de manu pastoris sanguinem ovium suarum requirat Dominus, neve silentio nostro [a]) coinquinationis huiusmodi participes esse videamur, mandatis praeterea sedis Apostolicae et Imperialis maiestatis, ut debemus, obtemperare et orthodoxae ecclesiae nos conformare volentes, vos omnes et singulos per viscera Domini nostri Iesu Christi obsecramus, ac per iustum et horrendum eius iudicium obtestamur, et praeterea autoritate nostra ordinaria (si modo apud vos illaesa hactenus perseverat) paterne requirimus et monemus, atque in virtute sanctae obedientiae firmiter et districte praecipientes mandamus:

Primum, ut piis vestris et populi supplicationibus misericordem Deum devotissime precemini, ut ablata praemissorum malorum causa, peccatorum videlicet nostrorum [b]) sarcina, flagellum pariter indignationis suae a nobis miseratus amoveat, principibus Christianis, ut ecclesiae tot tempestatum turbine agitatae [c]) salubriter consulant, pacem concedat, populum pretioso Filii cruore redemptum divino suo spiritu vegetet, in unitatem fidei reducat et a perditionis interitu misericorditer eruat.

Deinde ut eundem populum curae vestrae creditum, omnes videlicet et singulos tam sacerdotes et clericos, quam utriusque sexus laicos diligenter

---

a) Qui tota vita ne iota quidem praedicant, iactant se non silere, et qui participes et autores scortationum, fraudum, violentiae esse non cessant, fingunt tandem sese coinquinationis non esse participes, o impudentia. b) Sic tamen ut perseveret licentia peccandi et tyrannis pontificum. c) Hoc enim ad Deum non pertinet, sed ad principes, quia Deus dormit fortasse.

hortemini, salutari admonitione et verbo doctrinae[a]), non maledicentiae furore inducatis, ne deinceps supradictum Lutheri dogma, privatim aut publice, asserere, docere, vel de eo contendere aut decertare ullo pacto audeant, nec vos ipsi audeatis, nec quenquam in ecclesiis, domibus, congregationibus vestris, aut alibi id facere permittatis, sed quoad fieri potest, prohibeatis, ac veterem ecclesiae ritum, a Christi apostolis, sanctis subinde Patribus divini numinis instinctu salubriter inductum et a multis iam seculis, magno totius orbis Christiani consensu, religiose observatum teneatis et teneri faciatis, nec quidquam, quod ecclesiastica institutum est autoritate, vestra violare aut mutare praesumatis temeritate, nec, quantum in vobis est, ab aliis mutari sinatis.

Si quis autem paternam[b]) hanc admonitionem nostram supino fastu contempserit et Christi ecclesiam pernicioso schismate scindere perrexerit, perpetuam illi maledictionem imprecamur, ipsumque diris et exsecrationibus[c]) devoventes, anathematis mucrone ferimus, iraeque divinae ac districto Dei iudicio diiudicandum destinamus. Volumus autem praemissa ad omnium et singulorum, quorum interest, notitiam deducere, et has nostras literas a vobis et aliis sacerdotibus descriptas de vicino ad vicinum plebanum, cum exsecutionis nota, ut moris est, mitti et a novissimo tandem ad Cancellarium in arcem nostram Heylsberg reddi.

Datum sub testimonio Sigilli nostri, vigesima mensis Ianuarii, Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

---

a) Decretalibus scilicet, nam Lutherani solam Evangelicam doctrinam astruunt, quod est maledicere et furere, secundum hunc Mauritium. b) Quae tot maledictis referta est, ut a patre diabolo recte paterna dicatur, nam vide, ut hic devovet, imprecatur et maledicit pro eo, quod iuxta Paulum episcopus doctrina sana deberet contradicentes redarguere. c) In me sit ista maledictio, quia maledicent illi, Tu vero benedices.

D. Martini Lutheri Praefatio in vetus Testamentum
et
Concio, quomodo et quo fructu libri Mosi a Christianis legendi sint.

(1524.)

D. Martini Lutheri Praefatio in vetus Testamentum primum germanice anno 1523 in lucem prodiit, quo anno versio germanica veteris Testamenti a Luthero typis invulgata est (cf. Walchii introd. in Tom. XIV Opp. Luth. p. 1), postea (1524) in latinam linguam translata est paucisque mutatis et additis redditur latine in Lutheri libro: Pentateuchus, Liber Iosuae, Liber Iudicum, Libri Regum, Novum Testamentum. Wittembergae MDXXIX (cf. Walchii introd. in Tom. XIV Opp. Luth. p. 8. 52. 54. 72. et part. II eiusdem tomi p. 1—14). Latine exscripta est haec praefatio etiam in ed. Opp. Luth. Ien. III, 66. Wittemb. III, 1, germanice in ed. Lips. XII, 1, Walch. XIV, 1.

Concio, quomodo et quo fructu libri Mosi a Christianis legendi sint, a Luthero habita est anno 1524. Quum enim eo anno Wittembergae Mosem prophetam concionibus explicare populo instituisset, ut tumultuosos spiritus Muntzerianos reprimeret, qui falsa gloria ac perversa veteris Testamenti intelligentia inducti ex Christianis Iudaeos facere populumque iterum ad Mosem ablegare studebant,

hoc institutum perficere coepit hac concione: Unterricht, wie sich die Christen in Mosen schicken sollen, gepredigt durch D. Martin Luther, cuius germanicae concionis haec nostra latina, quomodo et quo fructu libri Mosi a Christianis legendi sint, accurata fere est translatio. Conciones autem ipsae a Luthero de primo Mosis libro habitae in lucem prodierunt anno 1527 sub hac inscriptione: Über das Erst Buch Mose, predigte Mart. Luther. sampt einer unterricht, wie Moses zu lernen ist. Gedruckt zu Wittemb. 1527. In fine: Gedruckt zu Wittemberg durch Georg Rhawen M.D.XXVII. 4. (Schütze Ung. Briefe Luth. III, 317) annoque subsequente forma octonaria sub hoc titulo: Über das Erste Buch Mose predigete Mar. Luthers sampt einer unterricht wie Moses zu leren ist. Gedruckt zu Wittemberg durch Georgen Rhaw. (1528) (Schütze III, 359), et latine typis editae sunt sub hac inscriptione: Declamationes D. M. Lutheri in genesin. 1527. 8. (cf. Walchii introd. in Tom. III Opp. Luth. et Seckend. Hist. Luth. II § 38).

Latine redditur haec Lutheri concio etiam in ed. Opp. Luth. Ien. III, 70, germanice in ed. Wittemb. V, I, Ien. IV, 1, Altenb. IV, 1, Lips. I, 1, Walch III, 1.

Nos Ienensis editionis exemplum sequentes hanc Lutheri concionem non minus quam eiusdem praefationem in vetus Testamentum reddidimus textumque horum scriptorum repetivimus ex ed. Opp. Luth. Ienensi anni 1557.

Praefatio D. Martini Lutheri in vetus Testamentum.

Multi sunt, qui veteris Testamenti libros non satis magni faciunt, quod putent illos Iudaeis tantum scriptos esse, nec porro aliquem eorum esse usum, cum nihil contineant praeter quasdam veterum historias; sic enim sentiunt, sufficere sibi novum Testamentum, in veteri nihil quaerendum praeter

allegorias. Atque haec fere Origenis et Hieronymi sententia est et aliorum multorum. Verum Christus Iohan. 5. aliter sentit, sic enim inquit: Scrutamini Scripturas, illae enim de me testantur, et Paulus monet Timotheum, ut sit sedulus sacrarum literarum lector, et ad Rom. 1. gloriatur Evangelium in Scripturis a Deo promissum esse. Item 1. Corinth. 15. dicit, Christum, sicut in Scriptura praedictum est, ex semine Davidis natum, mortuum esse et resurrexisse. Et Petrus quoque saepius lectorem ad Scripturam remittit. Docent autem nos omnes hi loci, quam non contemnendi sint veteris Testamenti libri, sed quod summo studio sint legendi, cum ipsi apostoli testimonia suae doctrinae ex veteri Testamento accersant illiusque autoritate Evangelium confirment. Sicut S. Lucas quoque scribit, Act. 17, quod Thessalonicenses quotidie scrutabantur Scripturas, num cum Pauli doctrina convenirent. Magni igitur aestimandi sunt veteris Testamenti libri, quod sint ceu fundamentum quoddam, quo novum Testamentum nititur, unde certa argumenta novi Testamenti peti possint. Et novum Testamentum quid quaeso aliud est, quam aperta quaedam praedicatio sententiarum et promissionum veteris Testamenti, quae per Christum sunt completae?

Volui igitur breviter in libros veteris Testamenti praefari, ut simplicioribus viam quandam aperirem, quam secuti maiore cum fructu hos libros legerent. Ac principio quidem omnes pios diligenter admonitos volo, ne offendantur simplicitate orationis, item absurdis in speciem historiis, quae saepius lectori occurrent. Sint enim quantumvis simplicia et stulta, quae hic scribuntur, tamen sunt divinae maiestatis, potentiae et sapientiae divinae verba, opera, iudicia et facta. Hae enim illae sunt literae, quae ex sapientibus et prudentibus stultos faciunt, quas non nisi parvuli et stulti assequuntur, sicut Christus quoque Matth. 11. Ergo cum hos libros legis, non tuum iudicium nec rationem tuam sequeris, sed sic senties, te omnium maximas ac

pretiosissimas res tractare, te in possessionem amplissimi cuiusdam thesauri venisse, cuius pretium nemo unquam aestimare queat, ex quo divina sapientia hauriatur. Ideo autem simplicius et stultius sapientiam suam nobis in his libris proposuit Deus, ut superbiam et arrogantiam nostram penitus retunderet. Hae enim sunt illae fasciae, hoc praesepe illud est, in quo Christus iacet, ad quod pastores remittit angelus, tenues quidem et viles sunt fasciae, verum thesaurus involutus maximi est pretii, Christus scilicet.

Hoc igitur primum scias, hunc librum esse librum legis, in quo docemur quid faciendum, quid non sit faciendum, praeter haec adduntur quoque exempla et historiae servatae et non servatae legis. Et quemadmodum Evangelium gratiae est liber, qui docet, unde ea facultas petenda sit, ut legi satisfaciamus, sunt autem praeter illam gratiae doctrinam multa alia praecepta de mortificando vetere homine addita (illis enim praeceptis opus est, cum semper in nobis haereant reliquiae peccati, neque quisquam hominum perfectus sit), sic in veteri Testamento legibus quaedam promissiones et sententiae de Christo intertextae sunt, quibus servati sunt sancti patres, qui sub lege ante revelatum Christum, in fide tamen promissi liberatoris vixerunt; et quemadmodum novum Testamentum hoc praecipue agit, ut gratiam et pacem per remissionem peccatorum in Christo nobis annunciet, sic vetus Testamentum hoc praecipue agit, ut proponat leges, peccata ostendat et arguat, exigat quoque a nobis bona opera. Atque hunc veteris Testamenti scias esse scopum.

Ut autem principium a Mosi libris sumamus, is in primo suo libro docet creationem omnium rerum, quae sunt, et unde peccatum, unde mors originem suam duxerint, nempe ex Adae per satanam decepti lapsu. Atque haec quidem potissimum causa fuit scribendi primi huius libri. Statim autem, priusquam leges condat, docet unde ventura esset salus, qua peccatum ac mors tolleretur, non legibus

(neque enim tum datae erant leges) nec operibus, sed per Christum, per semen illud mulieris, Adae et Abrahamo promissum, ut ita fides in Christum per totam Scripturam a principio ad finem usque omnibus operibus, legibus ac meritis humanis praeferatur. In primo igitur Mosis libro haud fere aliud videbis, quam exempla fidei et incredulitatis, item fructum fidei et incredulitatis, est igitur primus hic liber valde Evangelicus.

In secundo autem libro Deus Mosen cum lege scripta mittit, seligit sibi proprium populum, ut essent in mundo, qui haberent lucem aliquam, qui per legem peccatum cognoscerent; sic enim tum in mundo agebatur, omnia erant plena erroribus, adeoque tum homines erant excaecati, ut fere nemo amplius sciret, quid peccatum esset et unde mors in mundum venisset. Illum igitur populum variis legibus circumscribit, discernit eum ab omnibus aliis populis, iubet ut tabernaculum exstruant, certum quoddam religionis genus instituit, duces et iudices praeficit, ut tam legibus quam magistratu omnia optime essent constituta, ne quid deesset tum ad hanc externam vitam inter homines, tum ad spiritualem illam coram Deo.

In tertio libro sacerdotium praecipue constituitur, una cum iure suo et certis suis legibus, quas sequi sacerdotes oportebat et docere populum. Videbis autem sacerdotii instituendi nullam aliam fuisse causam, quam peccatum, ut sacerdotes et ostenderent populo peccata, et apud Deum pro populo intercederent. Sacerdotis igitur officium non est aliud, quam peccata et peccatores curare. Atque ob eam rem constitutum est, ut nullas certas haberent possessiones, neque etiam ad politiam admissi sunt, hoc enim ipsorum unicum officium erat, agere curam populi in peccata prolapsi.

Quoniam autem leges iam conditae, sacerdotes et magistratus constituti, tabernaculum exstructum, certa praescripta religio, iam quoque perfecta et absoluta omnia erant, quae ad populum Dei pertinebant, incipit in quarto libro illorum omnium qui-

dam usus et fit periculum, qualem optime constitutae leges sint habiturae fortunam et successum. Continet igitur ille liber multas historias eorum, qui non paruerunt legibus et magistratui, praeterea poenas quoque populi continet. Adduntur etiam aliae leges, aliae latius explicantur. Sic enim plerumque fit, facile quidem conduntur leges, verum cum iam in usum sunt producendae, nihil minus fit, quam ut eas sequatur vulgus, et diversa potius omnes faciunt. Est igitur hic liber insigne exemplum, quod legibus non reddamur meliores, sed quod, sicut Paulus ait, lex peccatum potius et iram operetur.

Cum ergo populus poenas peccati dedisset eumque iam Deus gratia sua invitasset, ut beneficiis adducti amarent legem (iam enim duo regna eis donaverat), repetit Moses in quinto libro totam legem cum omnibus, quae interim erant acta, et denuo leges explicat tam morales quam politicas, eam tantum partem omittens, quae ad sacerdotium pertinebat. Vides igitur Mosen perfectum legislatorem esse, qui suum officium summa cum diligentia facit. Neque enim hoc tantum agit, ut optimas condat leges, sed ubique praesens monet et hortatur. Sicubi autem minus servari leges videt, exponit et instaurat eas. Porro illa legum latior expositio in quinto libro nihil docet praeter fidem in Deum et amorem proximi, atque is est scopus omnium divinarum legum; usque ad 20. ergo caput omnia illa prohibet Moses, quae fidem erga Deum impediunt, reliqua autem libri pars ea prohibet, quae caritatem impediunt.

Praeter haec autem hoc quoque observandum est, Mosen adeo diligenter hunc populum legibus circumscripsisse, ut prorsus nullum locum relinqueret aut novi cuiusdam operis aut alterius religionis excogitandae, neque enim hoc tantum docet, quomodo Deo fidendum, quomodo is metuendus ac diligendus, sed addit quoque ceremonias sacrificiorum, votorum, ieiunii et similium, ut prorsus nihil necesse sit novos alios ritus, alia opera excogitare.

Praeter hoc etiam tradit rationem plantandi, aedificandi et militandi, item oeconomica illa, quomodo educandi liberi, regenda familia et res familiaris administranda sit, item politica, rationem vendendi et emendi, oppignorandi, et redimendi pignoris. Adeo ut exactam quandam formam praescribat omnium illorum, quorum usus est tum ad politicam tum ad spiritualem vitam recte agendam. Tanta autem diligentia ista tractat, ut multa stulta et vana lectori videantur. Cuius rei si quis rationem quaerat, illi paucis sic respondeo.

Acceperat iam Deus hunc populum in suam tutelam et curam, et promiserat hunc populum Dei populum, se autem huius populi Deum fore. Sic igitur omnia instituit, ut certum verbum haberent, Deum omnia ipsorum opera probare. Non enim Deus illa opera probat, quae sine certo suo verbo et mandato a nobis fiunt. Nam in 4. et 13. Deuteronomii capite sic inquit: Vos nihil neque addetis neque detrahetis legi meae, et in 12. monet eos, ne faciant, quae ipsis recta videntur. David praeterea in Psal., item prophetae omnes de hac una re queruntur, quod populus se talibus operibus Deo commendare studeat, quae ipsi excogitassent, non quae Dei verbum praescripsisset. Neque enim ferre hoc Deus potest, ut quidquam instituamus, quantumvis bonum in speciem, quod ipse non ante mandaverit. Nam opera nihil aeque commendat atque obedientia, quae verbum Dei sequitur.

Quia ergo haec vita sine externis ceremoniis transigi non potest, ideo tam multos certos ritus constituit et mandavit Deus, ut si omnino vellent ceremoniis Deum colere, non novas aliquas excogitarent, sed iis uterentur, quas praescripsisset Deus, ut certi essent, se omnia ex praescripto divino facere. Diligenter igitur ab omni parte cautum fuit, ne vel rationem suam vel liberum arbitrium in deligendis bonis operibus aut sanctiore vita instituenda sequerentur, rursus satis quoque operum eis praescriptum fuit, et fuit constitutus certus locus, certa opera, certae personae, et modus quoque

certus, ut nulla de re possent conqueri, neque gentium religiones necesse esset sectari.

Secundo, sunt autem tres legum ordines. Aliae enim sunt morales et politicae, quales fere apud nos sunt imperiales leges, eas autem potissimum condidit Deus ad reprimendos flagitiosos et improbos homines, neque enim aliud faciunt illae leges, quam ut prohibeant peccata. Talis illa est de libello repudii, item illa de sacrificio zelotypiae. Huiusmodi igitur leges ad politiam pertinent. Aliae sunt ceremoniales, de quibus paulo ante diximus. Praeter hos duos legum ordines sunt, quae fidem et caritatem docent. Porro ex his fidei et caritatis legibus omnes aliae sunt interpretandae et corrigendae. Sic enim aliis legibus obtemperandum est, ne has fidei et caritatis violemus, et omnes aliae leges potius violandae sunt, quam in has aliquid committamus.

Hinc illud est, quod David Ioab illum, qui ob admissam caedem mortem meritus erat, non occiderit. Et 2. Sam. 14. promittebat Thecoënsi illi mulierculae, dimissurum se filium eius incolumem, quamvis ob interfectum fratrem morte puniri eum leges iuberent. Dimittebat quoque incolumem Absalom. Et ipse David comedebat contra leges panes popositionis I. Reg. 21. Thamar quoque putabat licere, ut Amnoni novercae filio in uxorem a rege collocaretur. Ex his atque aliis similibus exemplis patet, reges et sacerdotes saepe, cum id postularet fides et caritas, liberrime legibus esse usos. Et sane sic fieri oportet, fides et caritas interpretes omnium aliarum legum esse debent, et ceu magistrae in reliquas leges tanquam in subditos ius habeant. Nam cum omnes aliae leges fidem et caritatem inprimis urgeant, merito pro legibus illae non erunt habendae, quae diversum a fide et caritate postulant.

Longe igitur errant Iudaei, qui tam rigide plerasque Mosis leges exigunt, ut in caritatem peccare et publicam pacem turbare multo magis velint, quam nobiscum vel comedere vel bibere, vel simile aliud facere. Non enim ea legum est voluntas. Et sic

omnes leges accipiendae sunt tam Iudaeorum, quam aliarum gentium, ut nihil peccetur in communem hominum societatem. Sic enim et Christus dicit Matth. 12, quod liceat violare Sabbatum et bovem in puteum delapsum Sabbato extrahere, ob parvum scilicet incommodum vitandum. Quanto autem liberius aliae quoque leges violandae sunt, cum id praesens aliquod vitae discrimen exigit? si modo nihil in fidem et caritatem peccetur, quemadmodum Christus Davidem fecisse ait, cum propositionis panes ederet Mar. 12.

Quaerat autem aliquis, quaenam ratio sit, quod Moses ita confuse nullo certo ordine leges tradiderit, cur non politicas et morales, cur non ceremoniales, cur non illas fidei et caritatis leges redegerit in suum ordinem? Praeterea hoc quoque nonnunquam facit, subinde unam aliquam legem repetit, etiam iisdem verbis ad fastidium usque. Respondeo, Mosis liber est ceu forma et imago politicae vitae. Sic enim omnia describit, ut plerumque in politia geri solent. Sic autem in rebus publicis fieri solet, iam hoc, iam illud opus urgetur, neque quisquam hominum ita suam vitam instituere potest, ut certo constituat, se hoc die nihil nisi spiritualia, alio nihil nisi politica tractaturum. Quemadmodum enim stellae coeli et flores in agris nullo certo ordine sunt dispositi, sic quoque cum legibus agitur, et oportet hominem singulis horis paratum esse ad quodcunque opus, ut hoc, quod sese primum obtulerit, exsequatur. Ad hunc igitur modum et Moses suas leges nullo certo ordine proposuit.

Hoc autem proprie officii sui est, quod unam legem saepius repetit et urget. Qui enim legibus multitudinem vult regere, illum nunquam cessare, nunquam interquiescere oportet, et sunt homines cogendi ad suum officium faciendum non secus atque iumenta ad ferendos labores. Neque enim ullum legis opus sponte nostra facimus, et omnia, quae praecipiunt leges, coacta atque vi expressa fiunt. Cum igitur Moses sit legislator, significat illa assi-

duitate, qua legem exigit, legis opera non spontanea, sed coacta esse, et defatigat populum eo usque, donec morbum et inobedientiam suam intelligat, et gratiam Dei imploret, qua legi possit satisfacere, sicut iam ostendemus.

Tertio, est autem haec potissima ratio, quare tot leges condiderit Moses, ut per legem peccata sua hominibus aperiret et praesumptionem humanarum virium confunderet. Hinc est, quod Paulus Gal. 1 ministrum peccati eum vocat et ministerium eius ministerium mortis, 2. Cor. 3. Et Roma. 5. et 7. dicit, per legem tantum peccata cognosci, et Rom. 3: Per opera legis nemo iustificatur coram Deo. Neque enim Moses aliud potest, quam ut significet hominibus, quid faciendum, quid non faciendum sit, facultatem autem faciendae legis non praestat, sed deserit peccatis oppressos homines, neque affert aliquod remedium. Porro peccatis oppressis mors imminet ceu poena peccati divinitus decreta. Hinc est, quod Paulus peccatum vocat aculeum mortis, quod scilicet mors propter peccatum ius in nos habeat. Si igitur nulla lex esset, nullum quoque esset peccatum. Et Moses facit, ut sentiamus peccata, cum per legem ea commovet et ostendit nobis. Sequitur igitur certa poena peccati, mors, et Paulus merito ministerium Mosis mortis ministerium appellavit, neque enim aliud suis legibus facit, quam ut indicet nobis nostra peccata eaque morte puniat.

Porro hoc mortis et peccati ministerium non solum non malum, sed maxime etiam necessarium est. Absque enim lege Dei ratio nostra prorsus nullam peccati cognitionem haberet. Hoc enim prorsus ignorat ratio, quod Deo non credere et desperare sint peccata. Imo hoc quoque ignorat, quod Deus exigat illa a nobis. Secura igitur et excaecata obambulat, neque gravissima illa peccata agnoscit, et tamen deligit quaedam bona in speciem opera, quibus se exercet, honestam et civilem agit vitam, atque haec satis esse putat ad iustitiam consequendam, id quod videmus in plerisque gentilium, et in hypocritis, cum sanctissime vivunt.

Praeterea hoc quoque ignorat ratio, quod concupiscentia carnis, odium inimicorum et similia sunt peccata, verum iudicat illa licere neque damnari posse, cum omnes homines natura sic sint, ut idem faciant. Ea enim tantum peccata esse iudicat, quae foris fiunt. Secura igitur morbum pro fortitudine, peccatum pro iustitia, malum pro bono interpretatur, neque enim aliud potest.

Ad hanc caecitatem et induratam praesumptionem tollendam Mosis ministerio opus est. Non potest autem tolli, nisi prius ostensa agnoscatur. Principio igitur per legem eam ostendit. Sic enim docet, Deum timendum eique credendum esse, reponendam in ipsum omnem fiduciam cordis, amandum eum esse, praeterea concupiscentiam et odium prorsus eiicienda esse ex animo. Quae cum audit ratio, graviter terretur. Hic enim videt, quam non amet Deum, quam illi non credat, quam non timeat eum, item, quod non amet proximum, quod concupiscentia ardeat, videt quoque incredulitatem, desperationem, contemptum et odium Dei, item odium erga homines. Statim igitur mortis facies animo obiicitur, quae peccatori minatur interitum et aeternam damnationem.

Atque hoc quidem est, quod peccatum aculeus mortis dicitur, et quod mors propter peccatum in nos ius habet, hoc item est, quod lex peccata arguit et subiicit ea oculis, ut ita praesumptio et superbia in desperationem et metum vertantur. Is enim peccati sensus efficit, ut homo cum Propheta exclamet, se a Deo abiectum, se in satanae potestate esse, neque ullam spem salutis apparere. Hoc demum vere est in infernum praecipitari, id quod Paulus breviter significavit, cum peccatum aculeum mortis esse dicit, et legem potentiam peccati, 1. Cor. 15, quasi diceret: Quod mors ius habet pungendi et occidendi nos, peccatum efficit, affert enim secum mortem ceu poenam, quod autem peccatum in nobis est et nos morti tradit, id legi debemus, lex enim peccata ostendit, quae, si nulla lex esset, prorsus nescirentur.

Iam autem hoc videamus, quam potenter hoc suum officium Moses exsequatur. Nam ut confundat rationem et peccatis homines obruat, non solum leges fert de iis, quae vere et sua natura peccata sunt (qualia sunt illa in decalogo), verum de iis quoque, quae revera et proprie non erant peccata. Nam diffidentia, item concupiscentia revera et proprie sunt peccata morte punienda. Illa autem, in Paschate non vesci fermentato pane, non comedere immunda, non inurere notam corpori, et alia his similia, quae Leviticum sacerdotium peccata esse iudicat, proprie non sunt peccata, nec sunt sua natura mala. Ideo autem mala et peccata fiunt, quia legibus erant prohibita, quamvis illae leges tolli et abrogari aliquando possent. Alia autem decalogi ratio est, qui ita tolli non potest, qui enim in decalogum delinquit, peccat, etiamsi scriptam legem non habeat neque se peccasse sciat, sicut quoque infidelitas in gentibus est peccatum, quamvis id ignorent neque peccatum esse iudicent.

Videmus igitur non ideo solum tam varias leges a Mose esse conditas, ne quid ipsi invenirent et deligerent ad placandum Deum et ad bene operandum, verum ob hanc potissimum rationem, ut crescerent et augerentur peccata, et conscientia peccatorum multitudine magis gravaretur. Ita enim futurum erat, ut agnoscerent suam infirmitatem et sentirent, quam non possent aliquid boni facere, ut tandem per legem cogerentur maius aliud, quam vel Mosi leges vel propriae vires essent, quaerere, nempe gratiam Dei in venturo Christo promissam. Hoc enim omnino verum est, quod omnes leges Dei tum bonae, tum etiam iustae sint, etiamsi is vel stipulam ex agro evellere praecipiat. Iam si quis Dei leges aut prorsus non aut invitus servet, is iudicandus est malus et improbus. Cum igitur nostra natura non possit legi Dei subiici, et faciat invita, quaecunque tandem facit, necesse est, ut in bonis Dei legibus malitiam suam agnoscat ac sentiat, atque adeo, ut gratiam in Christo promissam ex animo desideret et oxoptet.

Lex igitur tum necessario cessat, cum Christus accedit, praesertim autem ea legis pars, quae Levitica dicitur, quae peccata iudicabat, ubi proprie peccata non erant. Cessat quoque tum decalogus, non quod praestari a nobis amplius non debeat, sed quod officium et ministerium Mosis cesset, neque enim tum peccato vim per decalogum addit, et ipsum peccatum non amplius mortis est aculeus. Nam per Christum peccatum iam remissum est et Deus nobis placatus et cor iam purificatur, ut porro amemus legem, eamque inchoemus, ut Moses nihil iuris habeat accusandi et damnandi nos. Moses enim eos tantum damnat, qui legem non praestiterunt, et qui meruerunt mortem, quales omnes nos sumus, antequam Christus sua gratia nos dignatur.

Atque hoc S. Paulus monet, 2. Corinth. 3, ubi inquit, quod gloria vultus Mosis cessat propter gloriam, quae est in vultu Iesu Christi, hoc est, ministerium Mose, quod nos confundit, et suo splendore nostra nobis aperit peccata, illud iam nos non amplius laedit, neque etiam terret nos per mortem. Habemus enim aliam gloriam in vultu Christi, hoc est, habemus ministerium gratiae, per quod Christum cognoscimus, cuius iustitia, vita et morte legi satisfacimus, peccatum et mortem superamus, sicut quoque tres illi apostoli in monte Thabor Mosen quidem et Eliam videbant, non tamen metuebant eos. Erat enim in vultu Christi gloria, quae omnem metum animis adimebat, contra filii Israel ferre illam gloriam in vultu Mose non poterant, sed cogebatur Moses praetendere velamen, neque enim tum aderat Christus, Exod. 34.

Habet enim lex tria discipulorum genera, primi sunt, qui legem quidem audiunt, verum contemnunt eam, et turpem absque omni metu agunt vitam, et ad hos lex non pervenit. Illi enim vituli cultores in Exodo horum figuram gerunt, ad quos Moses non perferebat legem, sed commotus ira legum tabulas frangebat.

Secundi sunt, qui tentant suis viribus praestare legem, sine gratia Dei. Horum figuram hi gerunt, qui gloriam in vultu Mosis ferre non poterant, cum denuo referret leges. Atque ad hos quidem pervenit lex, verum ipsi non possunt eam ferre. Obducunt igitur eam velamine, et hypocriticam vitam simulatione externorum operum legis agunt. Verum lex etiam illa ipsa opera iudicat esse peccata, ubi velamen amotum fuerit. Convincit enim nos, quod nostrae vires nihil sint, sed tantum Christi gratia nobis sit opus.

Tertii iam sunt, qui in Mosis faciem sine velamine possunt defigere oculos, hoc est, qui vere intelligunt legem et vident, quam sit impossibile humanis viribus eam praestare, atque hic quidem sese exserit illa peccati vis et potentia mortis, haec est illa hasta Goliath immensae magnitudinis, cuius cuspis sexcentos aeris siclos pendet. Fugiunt igitur eum omnes Israelitae, praeter unicum Davidem, id est, Christum nostrum Dominum, qui nos ab omnibus illis monstris liberavit. Nisi enim gloriam vultus Mosis Christus maiore gloria obscuraret, nemo illum legis fulgorem, hoc est peccati ac mortis terrores, perferre posset. Hi igitur omnia opera, omnem praesumptionem de suis viribus abiiciunt, neque alium legis norunt usum, quam ut per eam peccata sua agnoscant, et misere desiderent Christum, quod proprie Mosis officium est et germanus legis usus.

Sic et Moses ipse testatus est suum officium et doctrinam suam non diutius duraturam, quam ad Christi adventum, nam Deut. 18. sic ait: Deus ex fratribus tuis prophetam tibi excitabit, sicut me, illum audies. Atque ea quidem sententia omnium in Mose est praestantissima, qua et apostoli usi sunt gravissimi testimonii loco, ad confirmandum Evangelium et ad legem abrogandam, et sane, si quis diligentius eam introspiciat, is videbit, quam multa inde prophetae hauserint. Nam cum Deus promittat alium Mosen, quem audiant, certo colligitur, quod is aliam quandam doctrinam sit allaturus,

et Moses quoque cedit illi, suamque autoritatem et officium suum in illum transfert, quem vult ut audiant. Deinde hoc quoque hinc colligitur, illum prophetam non leges aliquas traditurum; nihil enim iis, quae a Mose erant traditae, addi poterat, adeo omnia diligenter constitúerat. Necessario ergo intelligitur illa sententia de Christo et de doctrina gratiae et Evangelii, cum ad ferendas leges nullo alio propheta esset opus.

Atque eam ob rem appellat Paulus Mosis legem vetus Testamentum, id quod Christus quoque facit, cum novum Testamentum instituit. Ideo autem Testamentum appellatur, quod Deus terram Canaan populo Israel in eo promiserit et ceu legaverit, si modo nihil contra, quam praecepisset, facerent, neque fefellit eos, sed dedit eis promissam terram, et confirmavit quoque illud pactum per sanguinem agnorum et hircorum. Verum quoniam Testamentum illud non divina gratia, sed operibus humanis nitebatur, necesse erat, ut aliquando abrogaretur, et occupata terra rursus eriperetur. Neque enim operibus legi satisfit, et necesse quoque erat, aliud quoddam Testamentum condi, quod nunquam abrogaretur, item quod non nostris operibus, sed verbo et operibus Dei niteretur, ut ita perpetuo durare posset, quare etiam filii Dei morte et sanguine est confirmatum, et promissa quoque et exhibita perpetua hereditas.

Atque haec quidem de officio Mosi eiusque libris sunt dicta, quaerat autem aliquis iam, quid de libris prophetarum et historiis sacrarum literarum sit sentiendum? Respondeo, omnes tum prophetarum, tum historiarum libros nihil aliud agere, quam hoc, quod Moses agit. Cavent, ne pseudoprophetae a vero legis usu ad propria opera populum reducant, et in hoc unice incumbunt, ut verus legis intellectus maneat, ut homines per legem suam infirmitatem agnoscant, quod eam praestare prorsus non possint, atque ita ad Christum recurrant, id quod Moses quoque facit. Latius igitur et copiosius promissiones de Christo, quae in Mose sunt,

explicant, et addunt quoque exempla tam illorum, qui verum legis intellectum habent, quam illorum, qui non habent, tum praemia et poenas utrorumque. Nihil igitur aliud sunt, quam testes Mosis, et ministerii, quod gessit, ut ita homines per legem ad Christum reducant.

Essent autem postremo attingendae quoque allegoriae legum Leviticarum, item sacerdotii, verum ea res in immensum excresceret, et volunt allegoriae in otio copiosius viva voce tractari. Neque enim dubium est, quin ex Mose ceu ex fonte et scaturigine quadam omnis sapientia manarit, et quidquid prophetae tum noverunt, tum docuerunt, id totum ex Mose hauserint; praeterea novum Testamentum quoque, sicut principio ostendimus, ex Mose profluxit, neque aliunde plura argumenta peti possunt, quibus Evangelium confirmetur, quam ex veteri Testamento. Ut tamen et hanc partem attingamus, brevem iuxta ac utilem rationem tractandi allegorias praescribam, quae iuvare potest diligentius ea de re cogitaturos.

Qui bene et sine periculo allegoriis ludere volent, illi Christum sibi proponant, Christus enim ille est, in quem omnia sunt referenda. Aaron igitur Christi typum gerit, quemadmodum quoque epistola ad Ebraeos monet, quae vel sola satis erat ad omnes Mosi allegorias commode tractandas. Manifestum iam et hoc est, quod Christus sit sacrificium, imo altare quoque, ipse enim se una cum suo sanguine sacrificavit, id quod eadem ad Ebraeos epistola testatur. Quemadmodum igitur summus sacerdos in lege ea peccata, quae proprie peccata non erant, suis sacrificiis expiabat, sic summus noster sacerdos Christus, cum ipse se sacrificasset, ea peccata, quae nobiscum una nata erant, abstulit, et semel in Sancta Sanctorum ad Deum accessit, ut placaret eum nobis. Atque hunc in modum omnia, quae de summo sacerdote dicuntur, ad Christi personam tantum referes.

Filii summi sacerdotis, qui quotidiana et leviora sacra curabant, nos Christiani sumus, qui

apud Christum patrem nostrum in coelis sedemus, nam quod ad corpus attinet, adhuc super terram vivimus, fide autem cum ipso sumus. Illorum quoque officia mactare et offerre nihil aliud sunt, quam praedicatio Evangelii, illud enim veterem nostrum hominem occidit, et igne caritatis in sancto Spiritu combustum et absumptum Deo offert. Est autem hoc sacrificium grati odoris apud Deum, hoc est, serenat et exhilarat conscientias erga Deum. Atque ad hanc allegoriam Paulus Roma. 12. alludit, ubi monet, ut nostra corpora Deo offeramus hostiam vivam, sanctam et gratam, quod per assiduum Evangelii usum fit (sicut indicavimus) tum praedicando, tum credendo. Atque haec breviter de veteris Testamenti allegoriis, in quibus praeter Christum et Evangelium nihil est spectandum.

Quomodo et quo fructu libri Mosi a Christianis legendi sint, Concio D. Martini Lutheri.

Saepe hoc dictum est, Deum bis tantum manifesto testimonio et voce palam de coelo sonante tradidisse verbum suum, quod certo scirent homines esse doctrinam divinitus patefactam: semel, cum populo Israel et legem tradidit et politiam peculiarem instituit, iterum, cum misso visibiliter Spiritu sancto per apostolos Evangelium in omnium gentium linguas spargere coepit. Etsi enim et alias cum patribus Adam, Noha, Abraham, Isaac, Iacob, adeoque et per illos aliis locutus est usque ad Mosen, tamen id non est factum eiusmodi aliqua manifesta in omnium oculos incurrente specie seu pompa et publice de coelo sonante voce, sed privatim patribus ostensa specie, verbum suum sonante, tanquam luce ipsorum cordibus adfulsit, et per ministerium vocis eorundem etiam in alios sparsit, qui eos audierunt, ut pater Baptistae Zacharias inquit: Sicut locutus est per os sanctorum prophetarum, inde usque ab initio; quemadmodum

et hodie per ministerium vocis humanae nobis loquitur. Nam universum ministerium in ecclesia omnibus temporibus mundi nihil aliud est, quam perpetuum quoddam testimonium et propagatio illius coelestis vocis, quam semel Deus voluit manifestis signis palam edere.

Harum duarum concionum prior quando et quomodo promulgata sit, in historia Exodi 20. describitur. Cum iam populus Israel ingentibus miraculis eductus esset ex Aegypto, et Deus ei praeter miracula etiam certo testimonio ostendere vellet, quod genus doctrinae vellet teneri, et quibus ritibus quaque forma politiae regi hunc populum, cui iam per patres traditae erant promissiones, haec fiunt populo collecto ad montem Sina conspicua et mirifica pompa, totum coelum concutitur tonitruis, coruscat fulgure, ardet fumo fulminum, quibus radices montis quassantur, oculis, auribus et mentibus totius populi horrore et metu spectaculi perculsis.

Praeter hanc altera concio publice edita est, divinitus misso Spiritu sancto, post resurrectionem Christi et novissimum Pascha, die quinquagesimo, multo augustiore et magis mirando spectaculo. Hic enim spiritus sanctus visibili specie conspectus est, ut dicitur Actorum 1., tanquam vehementis flatus de coelo, implens totam domum, in qua una erant apostoli, in quibus conspectae sunt tanquam igneae divisae linguae, ita ut insideret singulis eorum, et cuncti repleti Spiritu sancto inciperent loqui aliis linguis.

Haec miranda et vere gloriosa opera testabantur Spiritum sanctum adesse concionibus apostolorum, tam potenter tantaque efficacia, ut, quod attinet ad illam externam gloriam, quae tunc conspiciebatur, nihil unquam simile viderit ecclesia. Nam haec revera etiam mundo fuerunt miranda, loqui tot gentium linguis homines Iudaeos, quibuscum gentibus nulla commercia fuerant, et facere inusitata et impossibilia naturae hominum. Haec nunc non similiter conspiciuntur geri in ecclesia;

etsi enim Deus semper vult propagari hanc ipsam doctrinam Evangelii, quam tunc sparserunt apostoli, tamen non vult id fieri novis miraculis palam de coelo editis, sed satis ei fuit, his duabus manifestis et conspicuis revelationibus de coelo sonasse. Etsi his etiam annummerari potest illa admiranda revelatio, qua se tota divinitas palam ostendit, sonante voce aeterni patris de Christo filio, cum baptizaretur in Iordane, item cum in monte cum eo colloquerentur Moses et Elias, sed haec non a tota multitudine, sed paucioribus testibus conspecta sunt.

Et hanc posteriorem manifestam Evangelii revelationem ideo fieri oportuit, quia antea voce et scriptis prophetarum praedictum erat, Deum sparsurum esse in totum orbem terrarum hanc novam lucem doctrinae de Christo. Nunc postquam haec prolata et patefacta est, non vult Deus aliqua nova revelatione palam de coelo loqui, aut aliud genus doctrinae tradere. Sed hic erit quasi tertius et postremus actus, cum manifesto adventu ad iudicium se palam ostendet conspiciendum omnibus creaturis, in gloria et maiestate divina, ubi non erit opus ministerio vocis seu doctrinae, sed palam omnium oculis et sensibus exposita erunt omnia.

Magnopere vero necesse est haec duo genera doctrinae coelestis, videlicet legem et Evangelium, accurate et recte discerni. Nequaquam enim congruunt inter se, nec commisceri et confundi se patiuntur sine corruptela. Et ut recte discernatur, quid sit lex, quid Evangelium, ex Scriptura sumendum est iudicium. Haec ostendit legem esse Dei vocem seu sententiam immutabilem, praecipientem quales nos esse, et quid facere, quid omittere oporteat, seu requirens obedientiam perfectam erga Deum, iuxta ea, quae in decalogo praecipiuntur, ac denuncians aeternam iram et poenas aeternas non obtemperantibus. Itaque legis doctrina tota est in exactione nostrae obedientiae et de nostra vita ac moribus concionatur. Nam legis vox haec est: Hoc facias, hoc ne facias, hoc tibi praeceptum

scito, itaque in summa praestes obedientiam, aut sustineas iram Dei et poenas.

Econtra Evangelii vox non hoc agit, ut doceat, quid a nobis postuletur, aut exigat nostram obedientiam, non clamat: Talem te esse, haec facere, illa omittere iubeo, sed sic concionatur homini misero et iam per legis sententiam apud Deum iudicem reo et damnato: En tibi, mi homo, propono Dei filium, qui tua causa induit humanam naturam, ut pro te fieret victima, qui in sese recepit tua peccata, et pro te sustinuit iram Dei adversus tua peccata et sua morte luit et pependit λύτρον seu pretium, ac factus pro te deprecator placavit tibi patrem, ac iam liberavit a iure et potestate peccati, mortis aeternae, satanae et inferorum. Hoc ingens et inenarrabile beneficium Dei per filium in te collatum tibi nuncio et offero, hoc si fide accipis, salvus es. Hic clarum est, multum interesse inter haec duo ministeria, hoc est, inter doctrinam legis, quae ostendit, quid nos Deo debeamus, et vocem Evangelii, quae Christi beneficium nobis proponit, sicut clarum est, magnum discrimen esse inter Dei opera et nostra opera, adeoque inter Deum et nos.

Sed nunc de priore, hoc est, de ministerio legis dicendum est. Hic primum consideremus, quomodo et qua pompa tradita sit lex populo Israel in Sina monte, et propter quas causas. Principio enim Deus etiam locum peculiarem sibi deligere voluit, unde voluit palam conspici suam praesentiam et audiri vocem suam. Non quod Deus more nostro corporali et sensu percepta voce loquatur, cum sit non corporea, sed spiritualis essentia, nec habeat physica organa vocis articulatae, sed quod, qui condidit rerum naturam et os ac linguam omnium hominum, idem etiam illum sonum seu vocem in Sina auditam tunc condidit, nam cum nemo hominum, quibus lingua et instrumenta vocis data sunt, cogitata et sensa animi voce proferre possit, nisi etiam hoc Deus addat, ut voce possit uti, satis apparet tam esse Dei donum et opus ipsum sermonem, adeoque et vocem eiusque facultatem, quam

sunt quaevis alia dona, sicut in satis et plantis non satis est, vim seminis fructificam inesse ipsis, nisi etiam Deus hoc det, ut fructum edant. Aeque igitur facile est Deo, conditori oris et linguae, vel organis addere vocem, et facere, ut per ea sermo edatur, vel etiam sine organis vocem efficere.

Sic ergo voce divinitus condita haec verba, quae in promulgatione legis Deus locutus esse dicitur, et per angelum ministrum prolata sunt. Etsi hic quoque non unus tantum angelus minister adfuit, sed ut alibi ingens multitudo et numerosus exercitus angelorum, quorum ministerio Deus usus est in hac patefactione legis. Et hic angelus, qui dux et minister fuit vocis seu concionis factae ad populum, ita loquitur, quasi personam gerens Dei loquentis: Ego sum DOMINUS Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti etc., perinde ac si quis apostolus, Petrus aut Paulus, nomine Dei et mandato ex eadem persona loqueretur: Ego sum Deus vester, qui vos salvos facio, propter unigenitum filium meum etc.

Sic Paulus ipse testatur Gal. 3. legem datam fuisse per ministerium angelorum, hoc est, angelos a Deo ad hoc ordinatos fuisse, ut ipsi mandato et nomine Dei ad populum perferrent hanc vocem legis, sed addit Paulus id factum esse per manum mediatoris, videlicet Mosi, ita ut ipse cum angelis in monte collocutus vocem ab ipsis acceptam postea ad populum pertulerit. Fuitque haec vox angeli prorsus similis humanae, etiamsi sine organis linguae et gutturis, eodem genere sermonis, quo illi utebantur, ita ut auribus percipi ac articulate discerni verba et intelligi possent, nisi quod vox fuit augustior humana et plena maiestatis, ut de ea Deutero. 4. dicitur, vocem quidem auditam, sed speciem loquentis nullam conspectam fuisse, tanquam si quis in loco obscuro procul ex aliqua edita turri, aut aliunde, claram et grande sonantem vocem ad se perferri nemine conspecto audiret. Atque ideo haec Dei vox fuisse dicitur, quod humanam vocem maiestate et sono multum superaret.

Haec primum de modo et pompa datae legis dixi, ut consideretur, hanc ita a Deo tunc publice editam esse, ut constaret, quis esset autor huius doctrinae adeoque totius ministerii Mosaici. Etsi enim semper in mundo fuit notitia doctrinae legis apud omnes homines, ut erat initio creationis divinitus humanae menti impressa, et iam inde a primis patribus, Adam, Noha, Abraham et aliis agitata et illustrata, tamen cum Deus propter promissiones de Christo patribus traditas vellet deligere hunc populum, quem certis testimoniis constaret vocatum a Deo et habere Dei verbum, adeoque certo genere doctrinae, religionis et cultuum, deinde et politiae forma ab aliis gentibus segregatum, voluit hoc palam testatum fieri editis miraculis et illa promulgatione totius legis Mosaicae facta in Sina, et addere quasi confirmationem, qua ostenderet se approbare et ratam habere illam ipsam doctrinam legis, cum eam in politia populi constituenda primum repetere et inculcare voluerit.

Hoc igitur est, quod hic dicere institui, quod Deus illo loco, et in illo coetu, et per hunc ministrum Mosen gubernatorem illius legem edidit, haec testantur hanc totam patefactionem et traditionem legis, videlicet manifestam exhibitionem miraculorum et descriptionem certae doctrinae, item rituum, et politiae, proprie tantum illi populo factam esse, propter hanc causam, ut hunc his velut limitibus circumscriptum segregaret ab aliis gentibus, et hac velut disciplina coerceret ac regeret, donec id, cuius causa hanc politiam constitui voluit, perfectum esset, scilicet ut iuxta promissiones Christus exhiberetur.

Nam cum duplex sit gubernatio divinitus constituta, et omnibus temporibus conservata in mundo, altera politica per magistratus et potestatem gladii, qua disciplina morum regitur, ut conservetur tranquillitas publica, et poenis coerceantur improbi et nocentes, altera ecclesiae per ministerium docendi verbi Dei, quo Deus regit corda hominum, et per quod dato Spiritu sancto efficit in eis verum timo-

rem Dei, fidem et interiorem obedientiam, harum utramque administrationem iam in illo populo constituerat Deus, dederat praecipuum gubernatorem Mosen, qui et ipse populo dicebat ius, et iam consilio viri sapientis soceri sui Iethro constituerat praefectos, magistratus et iudices, per quos politica gubernatio administrabatur. Deinde per eundem Mosen dederat et doctrinam de vera agnitione et cultu Dei, acceptam a patribus, per quos traditae erant promissiones Evangelii. Habebant igitur utramque et politicam gubernationem, quae tantum est externa ac corporalis, ad huius vitae necessitatem, et eam, quae est ministerii ecclesiastici, quae est proprie spiritualis et aeterna. Etsi enim et ministerium visibile est, et coetus visibilis, tamen quae per hoc efficiuntur in cordibus eorum, qui audiunt et credunt verbo, scilicet remissio peccatorum et donatio vitae aeternae etc., ea non iudicantur neque conspiciuntur oculis, nec continentur externis observationibus.

Sed praeter haec duo addita est et tertia species, quae potest censeri media inter utramque. Quia, ut dixi, hunc populum peculiariter vocarat et segregatum voluit esse ab aliis gentibus, videlicet ut sciretur Christum ex hoc populo nasciturum esse, addidit ad illam ecclesiae gubernationem, hoc est, ad ministerium doctrinae, certos ritus externi sacerdotii et ceremonias, addidit et politicae gubernationi certas leges de formis iudiciorum, de poenis, de divisionibus hereditatum, et similes, non prorsus congruentes cum aliarum gentium legibus aut politiis. His legibus omnibus tanquam disciplina hunc populum contineri et regi voluit, ita ut tanquam formam praescriptam haberent, iuxta quam, quod ad externam disciplinam attinet, in omnibus vitae negotiis Deo et hominibus obedientiam suam testarentur.

Hinc igitur hoc primum statuamus, totam illam legem Mosaicam eiusque promulgationem tantum ad populum Iudaicum pertinuisse, nec ea obligari alias gentes, ac ne nos quidem, qui dicimur Chri-

stiani. Manifestum est enim eam tantum illi populo datam esse, et populus Israel ita eam accepit ut a se et posteris suis servandam, exclusis gentibus, sicut soli huic populo data erat promissio occupandae terrae Canaan, item de Christo ex ipsis nascituro. Ut enim ab his exclusae erant gentes, ita et tota illa politia legis Mosaicae nihil ad eos pertinebat, adeoque ne haec quidem concio, quae in monte Sina habita est. Nam etsi etiam gentes earum legum, quae in decalogo continentur, et aliarum quarundam communem notitiam et approbationem cum Iudaeis habent, ut quod Deus sit, quod sit colendus, neminem laedendum esse, pudicitiam et sui et alieni corporis tuendam esse, non esse rapiendas res alienas etc., disciplinam et pacem publicam violantes puniendos esse, quia hae notitiae natura omnium cordibus inditae sunt, tamen constat, nunquam aliis gentibus manifesta voce de coelo datas esse leges praeterquam uni populo Israelitico. Quod igitur his solis datum est, non potest, quantum quidem ad hanc promulgationem attinet, alios obligare.

Hoc propter quosdam imperitos fanaticos spiritus sciendum est, qui politiam et leges Mosaicas ita praedicant, ut nobis etiam illas leges praescribant, quia Moses suum coetum, qui tunc dicebatur populus Dei, his legibus rexerit, ideo necesse sit, nunc easdem leges et nos servare, videlicet novi magistri, aliquid maius docturi, quam nobis Evangelii doctrina proponit, hoc est, fidei doctrinam de Christo non maximi facientes, haec urgent, mirantur illam Mosi politiam, haec inquiunt: Libri veteris Testamenti tradunt, quae sunt potissima pars Scripturae, et habent testimonia, quia ipsius Dei voce de coelo sunt comprobata, sunt igitur et nobis servanda; ita nobis novam formam politiae inducunt, qua necesse sit regi populum Dei.

Haec fanatica et aliena a vero intellectu doctrinae Evangelii prorsus repudianda sunt, adeoque non audienda, ut potius mentio omnis Mosi abiicienda sit ex concionibus, quam ut patiendum sit,

obscurato beneficio Christi et amissa libertate ab ipso nobis parta nobis illud iugum Mosaicum imponi. Nec volumus, nec debemus Mosen tanquam nobis datum legislatorem agnoscere, neque Deus hoc voluit, qui hunc tantum Iudaico populo dedit rectorem et νομοθέτην.

Cum igitur audis fanaticos aliquos de Mosis libris aut legibus ratiocinantes: Sic Moses scripsit, sic ille praecepit populo Dei mandato et autoritate divina, igitur et nobis haec servanda sunt, has voces uno verbo recte refutabis: Quid nobis et Mosi? nihil ad nos attinet illius ministerium et vocatio, quae illi ad unum populum Israel tradita est, nec ita ut maneret perpetua et aeterna, sed tantum usque ad Christum, cui ipse omne suum ius cedit, cum inquit: Alium prophetam suscitabit Dominus, quem audietis.

Deinde si hoc concesseris, Mosis unam aliquam legem accipiendam nobis esse, iam non poteris effugere, quin totum Mosen, hoc est, omnes eius leges recipere et servare cogaris. Quare semel recepto hoc magistro et legislatore, iam te his vinculis illaqueasti, ut cogaris et circumcidi, et illis Iudaicis purificationibus baptismi et lavacrorum occupari, iisdem cibis abstinere, denique omnia ad praescriptum omnium legum servare, sicut illos oportuit. Talem Mosen absit ut nos quasi redivivum recipiamus, qui iam diu a Deo ipso sepultus est, nec debuit longius proferre suae politiae gubernationem, quam eo usque, dum Christus ipse veniret, cui tanquam Domino omne ius et potestatem suam cederet.

Quod vero Moses gentes non obliget nec ad eas pertineat, ostendi potest vel ex ipsis verbis, quae in promulgatione decalogi recitantur, Exodi 20, cum inquit Deus: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te e terra Aegypti, ex domo servitutis etc. Audis clare, quibus loquatur et praecipiat, videlicet his, quos ex Aegypto eduxit, quare ad nos et reliquas gentes non pertinent, quae hic dicuntur, quae non sunt eductae ex Aegypto in terram Canaan.

Falso ergo fanatici lege Mosi nos onerant, qui ad nos nihil locutus est, doctorem sane Mosen recipimus et agnoscimus, unde multum salutaris, ut paulo post dicetur, doctrinae discimus, sed legislatorem aut gubernatorem non agnoscimus, cum ipse suum ministerium tantum ad illum populum restrinxerit.

Et cum in decalogo mentio fit eductionis ex Aegypto, hoc tanquam signum seu testimonium additur illi populo datum, quod Deum recte apprehenderent scirentque se hunc Deum invocare debere, qui se ipsis dato verbo patefecerat, et hac ipsa miranda liberatione testatus est, se esse Deum huius populi, cui dederat promissiones. Nobis Christianis aliud signum, aliud opus ostensum et datum est, quo Deus vult se apprehendi, scilicet non illud corporalis et particularis liberationis, sed novae et aeternae liberationis, a peccato et morte, non per Mosen, sed per filium Dei, qui factus est nobis a Deo (ut inquit Paulus) sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio.

Potest idem et ex ipso praecepto decalogi de Sabbato ostendi: palam est enim Sabbati legem nihil pertinere ad gentes, neque ullis gentibus mandatum aut observatum fuisse, imo Paulus et apostoli, cum inchoarunt novum Testamentum sparso Evangelio in gentes, clare liberant eas ab observatione Sabbati. Sed et prophetae ipsi praedixerunt futurum, ut aliquando desineret illud Iudaicum Sabbatum, sicut Esaias inquit capite ultimo, postquam Christus venerit, fore ut discrimen Sabbati et aliorum dierum tollatur, sed futurum Sabbatum ex Sabbato, mensem seu neomeniam ex neomenia. Cum igitur Moses ipse testetur de suo ministerio, non sunt audiendi, qui Christianos ad Mosaicas leges adigunt, sed contra illis dicatur, ut ad Iudaeos Mosen suum relegent, nos missos faciant. Nam ut dixi ex Paulo Gal. 3, qui Moses unam legem tanquam necessariam accipit, hic iam se debitorem facit totius legis servandae ac prorsus se Iudaismo addicit.

Hic iam quaerat aliquis: Cum Mosen dicas nihil ad nos pertinere, quare ipse Mosen doces, aut quare omnino a Christianis leguntur libri a Mose scripti? Sic quaerenti respondeo: Magnae et graves sunt causae, quare hos libros et servari et legi necesse sit in ecclesia. Sunt autem tria praecipue, quae nobis in lectione Mosi cum fructu proponuntur.

I.

Primum. De legibus illi populo propter politicam gubernationem traditis hic nihil dico. Nam hae (ut dixi) ad nos non magis pertinent, quam Solonis aut Draconis leges, nisi quod liberum esset etiam nobis ex iis aliquas recipere, si quae viderentur convenire. Multa enim sunt in Mosaicis legibus optime et pulcherrime constituta, quae prodesset imitari etiam alias politias, qualis est lex de decimatione bonorum plena humanitatis. Nam si haec servaretur sublatis aliis exactionibus, et facilius tolerarentur pensiones necessariae, et benedicente Deo crescerent reditus, ut de natis decem bobus darem singulos, item decimum quemque manipulum frugum, hac proportione, ut, quanto plus fructus perceptum esset ex rebus nascentibus, tanto plus daretur. Haec iuxta Dei benedictionem crescerent. Nunc cum certi reditus seu pensiones pecuniariae in singulos annos aequaliter exigantur, etiam cum fructus praediorum aut fundi non respondent, imo haec ita exiguntur, ut cogaris pendere, etiamsi granum nullum perceperis, et saepe accedant extraordinaria onera, fit, ut, quia perpetuo tolerari haec onera non possunt, ad extremum exhauriatur populus nec habeat unde det. Quanto aequius et humanius esset, hanc aequalitatis rationem servari, ut, si fructus rerum largiores aut parcius contigissent, eo etiam largius aut parcius penderetur. Tale est et illud, quod Moses vetat vendi agros aut praedia sic, ut esset perpetua translatio dominii, sed ut quoque anno Iubilaeo (hoc est, quinquagesimo)

redirent possessiones ad priores dominos, ac ita conservarentur in familiis.

Tales multae fuerunt illius politiae leges optime constitutae, quae nunc quoque liceret similiter usurpari in imperiis et politiis, sed ita, ne accedat opinio necessitatis, quasi Dei mandato aut necessario exemplo oporteat nos iisdem legibus uti. Hanc necessitatem imponi nobis non patiamur, sed libertatem retineamus vel Mosaicis aliquibus vel etiam aliis utendi. Potest Imperator consensu imperii et populi exempla aliqua Mosaicae politiae imitari, ea sic recepta valerent, sicut nunc valet ius publice in foro receptum, vel quod Civile, vel quod Saxonicum dicitur, nec ideo Mosi se quidquam obligarent, non enim propter Mosen, sed quia ipsis sic videretur, pro loco et tempore, quando et quamdiu liberet, ea servarent.

Quare fanaticis illis clamitantibus, servanda esse haec aut illa scripta in Mose, quia sint divinitus praecepta, simpliciter respondeatur, ut dixi: Nos nec servare, ac ne quidem debere quidquam servare propter Mosen, nam totus Moses nihil ad nos attinet, sed nos recte uti forma nostrarum politiarum, sive ea Mosaicam sequatur et cum illa congruat, sive non congruat. Nihil ergo ad nos, quid ille aut per illum Deus populo Israel praeceperit.

Sed inquis: Certe Mosi, hoc est, Dei praecepta sunt, non habere Deos alienos, Deum timere, ei confidere et obedire, non abuti eius nomine, parentibus honorem habere, non occidere, non furari, non moechari, non dicere falsum testimonium etc., an non haec necesse est nos servare, an non in universum omnibus hominibus praecepta sunt? Respondeo: Sunt ab omnibus servanda, et ad omnes pertinent, sed non quia a Mose praecepta, sed quia naturae hominum hae leges (quae in decalogo recitantur) inscriptae sunt. Impressit enim Deus has notitias omnibus hominibus in ipsa creatione. Quare etiam gentes, quibus Moses ignotus fuit, et quibus Deus non est locutus, ut illis, no-

runt Deo esse obediendum, Deum esse invocandum, honorandos parentes, abstinendum a caede, et iniuria aliorum etc., quia haec Deo displiceant et ab eo puniantur.

Hoc ipsum testantur omnium gentium idolatriae. Nulla enim unquam gens fuit, quae non habuerit aliquas religiones, quae non invocarit aliquod numen, etiamsi a vero Deo aberrarunt, quemadmodum et Iudaei suis praeter Dei verbum et mandatum confictis cultibus non minus idolatrae fuerunt, etiamsi legem manifesta patefactione a Deo traditam acceperant.

Quod igitur ad notitiam horum praeceptorum seu legis (quam vocant moralem seu decalogum) attinet, nihil est discriminis. Tam sunt ea gentibus praecepta, tam norunt esse servanda, quam Iudaei, sed non ideo, quia per Mosen tradita, sed quia ipsorum cordibus natura impressa sunt, ut Paulus ad Roma. 2. inquit: Gentes, quae non habent legem, cum natura legis opera faciunt, hi cum legem non habeant, sibi ipsis sunt lex, videlicet ostendentes opus legis cordibus ipsorum inscriptum. Est igitur in utrisque eadem notitia, a qua tamen utrique, et gentes et Iudaei, saepe deerrarunt. Non igitur aliquam novam doctrinam attulit Moses, cum haec praecepta dedit, sed idem illud, quod Deus voce de coelo sonante per Mosen populo Iudaico tradit, iam ante omnium cordibus inscripsit in ipsa conditione, nisi quod Iudaeis accesserunt manifesta testimonia et ministerium Mosi, quo lex et scripto et voce conservaretur et illustraretur.

Dico igitur servanda esse haec praecepta decalogi, non quia Moses ea tradidit (quod ad illum populum tantum pertinebat), sed quia has notitias naturae impressas omnes homines habent, cum quibus etiam Moses congruit, ac pulchrum sane et utile est considerare, quod illa ipsa manifesta promulgatio decalogi facta ministerio Mosi in illo populo et tradita manifestis miraculis est evidens et perspicuum testimonium voluntatis Dei de lege, quod videlicet haec ipsa notitia legis sit immuta-

bile decretum voluntatis Dei, quam velit ab universa creatura rationali servari, et hanc totam naturam ad hoc a Deo conditam esse, ut iuxta has notitias Deo obediat etc. Huius, inquam, voluntatis Dei testimonium et confirmatio est, quod manifestis miraculis et voce de coelo sonante publice hanc doctrinam legis confirmavit, quam alioqui omnes homines natura insitam habent et intelligunt.

Haec de ea parte legis intelligenda sunt, quae proprie dicitur moralis, hoc est, praecipiens, qualis debeat esse vita et mores hominum, quae quidem diligenter discernenda est ab aliis partibus. Nam reliquae, quia non sunt naturae hominum impressae, nihil ad gentes pertinent, sed ita sunt propriae politiae Iudaicae, sicut unaquaeque gens suam politiae formam, suas leges forenses aut politicas habet, quae alienae reipublicae cives nihil obligant, sed, ut dixi, etiam in his Mosaicis legibus videre est multa insignia exempla honestissimarum legum utilium politicae societati, et accedit praecipua utilitas, quod in explicatione decalogi cernitur illustre testimonium, quo Deus notitiam legis moralis impressam omnium hominum mentibus confirmavit illa manifesta patefactione facta huic populo.

II.

Secunda utilitas ex lectione Mosis est, Moses non tantum leges tradit, sed continet etiam promissiones traditas inde ab initio patribus de filio Dei venturo in carnem. Haec pars in Mose praecipua est, unde hoc discitur, quod natura non docet, nec ratio per se intelligit, sicut legis doctrinam aliquo modo percipit, sed divinitus de coelo revelari oportuit, et voce Evangelii traditur, quod non proponit mandata, nec docet, quales nos esse oporteat, sed proponit suavissimam vocem Dei, promittentis nobis remissionem peccatorum et bona aeterna propter filium, atque haec fide docet accipi, quae credat auditae promissioni, et ea nitatur certa fiducia

adversus omnes terrores et tentationes peccati, mortis, satanae et inferorum.

Hoc illud est eximium et singulare in scriptura Mosaica, quod etiam nobis gentibus prodest, et tam ad nos, quam ad Iudaeos pertinet. Altera pars, scilicet legis traditio, nobis nec data, nec scripta est (erat enim lex aliunde nota), sed hanc divinam revelationem tota mente amplectamur, et Mosen audiamus proponentem nobis dulcissimas promissiones, quibus fiducia erga Deum in cordibus accenditur et confirmatur, cum intelligimus Deum ineffabili benignitate dedisse promissiones patribus (multo ante promulgatam legem) de liberando toto genere humano a peccato et morte per filium etc.

Haec enim est sententia primae promissionis, cum dicitur ad serpentem Gene. 3: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum ac semen illius, ipsum conteret tibi caput, et tu mordebis calcaneum eius. Hic audis illam primam vocem Evangelii de Christo, promisso toti generi humano (non tantum Iudaeis), seu posteritati nasciturae ex primis parentibus, videlicet venturum esse semen, non viri sed mulieris, qui deleto peccato, abolita morte et conculcata potestate diaboli humanum genus liberaret. Huic promissioni cum crederent Adam et eius posteri, hac fide a Deo recepti et salvi facti sunt.

Haec promissio postea clarius repetita est, et tradita Abrahae Gen. 12: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Haec tum fuit secunda Evangelii instauratio de Christo nascituro quidem ex semine Abrahae, sed ita, ut eius beneficium seu benedictio nominatim intelligeretur pertinere ad omnes gentes, sicut Paulus hunc locum enarrat ad Gal. 3.

His promissionibus agitatis a patribus addit Moses ipse manifestum vaticinium de Christo, cum ait ad populum, Deutero. 18: Prophetam suscitabit tibi Dominus ex fratribus tuis, hunc audietis, sicut postulasti a Domino Deo tuo in Horeb etc. et mox repetit verba ad ipsum facta: Et dixit Domi-

nus, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum tanquam te, et dabo verba mea in os eius, et loquetur ad eos omnia, quae praecipiam ei, et quicunque non audierit verba eius, quae loquetur in nomine meo, ego deposcam ab illo. Haec clare de Christo dicuntur, cui uni Mose suum ministerium cedit, nam alioqui ipse solus audiendus erat, et significat eum aliud novum genus doctrinae sparsurum, hunc iubet audiri, videlicet iuxta promissiones de ipso factas patribus, in quibus etiam includitur vocatio gentium. Similes leguntur promissiones et alibi in historiis patrum, quas omnes postea prophetae clarius enarrarunt, et apostoli earum testimoniis ad confirmandam doctrinam Evangelii saepe utuntur.

Hic rursus indocti et leves spiritus deerrant a via, sicut de lege errant, cum nos ad Mosen revocant, ita de promissionibus halucinantur, quia non discernunt promissiones proprias Evangelii de beneficiis Christi, et eas, quae proprie tantum huic populo factae sunt, de rebus corporalibus seu conservatione istius politiae, et quidem alligatae ad conditionem legis; haec peculiaria isti politiae non sunt transferenda ad alios, ut faciunt indocti, decepti κακοζηλίᾳ exemplorum, quae leguntur de sanctis, et sic ratiocinantur: Haec leguntur in Mose, hic constat Deum ipsum locutum esse, haec opera Deus mandavit sanctis, et haec testatus est sibi placere, ergo necesse est et nos eadem facere. Sic Monetarius et eius satellites, autores seditionis, vociferabantur in populo: Deus locutus est Gedeoni, ut occideret Midianitas, mandavit populo Israel, ut ad internicionem usque delerent Amalechitas, et hoc placuit Deo, et laudantur, qui praestiterunt obedientiam, ergo et nos deleamus omnes impios principes et magistratus. Hic imperita plebs capta his verbis (haec Deus ipse locutus est, hoc Dei mandatum est) ruit quocunque ducitur, ut a Monetario et suis magna multitudo seducta misere periit.

Hic ergo necesse est nosse discrimen inter ea,

quae illi populo aut sanctis in illo coetu facienda fuerunt iuxta suam vocationem, et ea, quae ad nostram vocationem pertinent. Deus locutus est Mosi de constituenda politia, iussit populum occupare terram Canaan, expulsis veteribus incolis, iuxta promissionem datam Abrahae et posteris: Tibi et semini tuo dabo terram hanc; sed hinc non sequitur, nos, qui nunc sumus ecclesia, debere occupare regna aut ditiones aliorum. Non enim habemus peculiare Dei mandatum, ut illi habuerunt, nec nobis promissa sunt certa imperia aut certae sedes, Deus multa locutus est cum patribus, quae ad nos nihil pertinent. Locutus est Adae, nec ideo mihi eadem omnia facienda aut patienda sunt, quae illi, ac ne potero quidem. Non enim sum idem, qui fuit ille. Abrahae mandatum erat, ut filium faceret victimam, et praedicatur in hoc opere eius fides et obedientia; sed hinc non sequitur, pium opus esse, etiam nos Deo mactare liberos. Non enim sumus nos, qui fuit Abraham, nec habemus idem mandatum, quod ille. Ita David voce et iussu Dei multa fecit, quae ad nos nihil pertinent, non satis igitur est dicere: Hoc Deus locutus est, haec Dei mandato facta sunt; sed videndum est et hoc, quid, quibus mandarit, seu ad quos sit locutus.

Prudenter itaque iudicandum est de hac varietate mandatorum et promissionum, et simul considerandum, quae, ad quos et quibus de rebus factae sint. Non satis est te audire esse aliquod Dei verbum, esse Deum haec aut illa locutum, sed huc etiam respicias, tibine dictum sit, an aliis, ad tuamne vocationem pertineat, an ad alienam. Quod Davidi locutus est et cum illo peculiariter egit Deus, id ad me nihil attinet, mihi enim non dicitur, sed ad hoc verbum respiciendum est, quod ad me proprie pertinet, hoc est, quod vel mihi dicitur peculiariter, pro mea vocatione aut loco, aut quod, cum omnibus dictum et universale sit, me quoque una includit, huic tuto innitor, et huius fiducia recte acquiesco. Nihil ergo est, quod clamant inepti illi, qui nobis Mosen inculcant, haec mandata fuisse,

haec promissa habuisse, haec fecisse populum Dei, igitur et nos eadem facere et exspectare debere. Hic error per illos fanaticos, qui se propheticos dici volebant, multos misere seductos perdidit, qui putabant se exemplis illius populi recte facere, si, quos ipsi iudicarent impios, vi et caedibus persequerentur, et piis concionatoribus iniqui erant, seu oderant potius, cum existimarent hanc tanquam necessariam partem dotrinae de impiis ferro persequendis sibi occultatam fuisse.

Sic igitur illis clamatoribus fanaticis respondeas: Relinquamus sane Mosen illi populo, et sint ita inter se coniuncti, ut Moses suum illum populum obliget, vicissim ille populus a Mose pendeat, et habeat suas leges et promissiones quasdam peculiares, nunc utrique finem habent, et Moses successori, seu potius Domino Christo cessit, et politia illius populi intercidit. Quare ad nos illa nihil attinet, nos aliud verbum et mandatum habemus nobis dictum, non de observatione certarum legum aut rituum, aut de occupandis imperiis et gladio persequendis hostibus, sed de docendo et propagando Evangelio, doctrina et confessione nostra, sicut dicitur: Ite in orbem universum, praedicate Evangelium, non tantum uni alicui populo, sed omni creaturae; item Luc. 22: Sic oportuit Christum pati ac resurgere, et in nomine eius praedicari poenitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Ierusalem. Data est et promissio nobis, non de certis sedibus aut regno corporali, sed de aeternis bonis: Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit; hanc recte statuo etiam ad me pertinere; item de sustentatione ac defensione huius corporalis vitae: Primum quaerite regnum Dei, et cetera adiicientur vobis; et Quicunque reliquerit parentes, uxorem, liberos, agros propter me, centuplum recipiet in hac vita cum tribulatione et in futuro vitam aeternam; item, de operibus communis vitae et societatis hominum: Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis, haec est, inquit, lex et prophetae.

Haec nisi Christus omnibus dixisset, tam non dicerem ad me pertinere, quam nunc Mosaicas leges mihi latas esse nego. Non enim ille gentium, sed Iudaeorum legislator est; cum vero Christus non uni alicui populo aut parti hominum, sed omnibus creaturis iubeat Evangelium praedicari, et missus sit a Deo, ut sit salvator omnium hominum, nemo hic neque Iudaeorum neque gentium se exclusum esse existimet, sed sciat ad huius vocem alligari omnes et singulis praedicari idem Evangelium, et hanc esse voluntatem et mandatum Dei, ut assentiantur et credant Evangelio.

Hoc discrimen inter Mosi et Christi, hoc est veteris et novi Testamenti, ministerium diligenter considerent praesertim doctores in ecclesia. Nam si hic intellectus servatus esset, minus fuisset confusionum in doctrina, et nuper servati fuissent multi, qui in motu orto a fanaticis doctoribus misere perierunt, necesse est enim oriri sectas in doctrina ecclesiae et confusionem politici ordinis, si sic sine discrimine indocti vociferentur iu vulgus: Hoc Dei verbum, Dei mandatum est. Sed considerandum est et hoc, ut dixi, quid, ad quos loquatur, et nos hoc verbum sequamur, quod scimus manifestis testimoniis nobis patefactum et propositum esse, ut scimus nos in Christo per Evangelium vocatos ad baptismum, fidem in filium Dei et obedientiam iuxta suam cuiusque vocationem.

Facile hoc vel ex politico aut oeconomico exemplo iudicari potest, cum paterfamilias convocata familia mandat villico aut atriensi, ut iungat boves, aret agrum, aut ad lignandum exeat, rursus villicae seu ancillae, ut pecus mulgeat, lac cogat, coniugi matrifamilias penus et culinae curam commendat, aliud filiae, aliud filio familias mandat. Haec sunt omnia mandata eiusdem domini seu patrisfamilias. Iam si his auditis ancilla iungat currum aut aratrum sequatur, villicus rem pecuariam curet, materfamilias filiae munia obeat, filia matris, neglecto eo, quod sibi mandatum fuit, et horum singuli allegent mandatum patrisfamilias, quid nisi

plagas merito omnes accipiant, quod, cum suum cuique munus seorsim attribuerit, eo neglecto in alienam functionem irruant. Verum si idem paterfamilias in genere praecipiat familiae: Hunc diem omnes festum agatis, hoc die conveniemus ad precandum, postea ad epulas etc., hic recte omnes et singuli in familia pro se quisque sibi praecipi intelligerent.

Eadem prorsus est ratio in discernendis Dei mandatis, si quid seorsim praeceptum est uni aut pluribus, de eo illis curae sit, quibus datum est mandatum, tu hoc agas, quod tibi praecipitur, sed si universale est mandatum et omnibus ex aequo propositum, scias et te includi. Ita quod per Mosen Deus locutus est, quia testatur se uni populo Israel loqui, ideo ad reliquas gentes non pertinet, at Evangelii patefactio, ut erat per prophetas praedicta et promissa, ita per Christum ac apostolos in totum orbem sparsa est et sine exceptione omnibus proponitur, quare hanc singuli ita accipiant, tanquam ad se peculiariter dictam.

Recitavi duas causas, quare Mosi lectio nobis prosit, non ut putemus nos obligari illius legibus, sed quod de ea parte legis, quae natura indita est menti humanae, nos admonet et has notitias illustrat et confirmat, planeque ita cum iis congruit, ut nusquam melius ordine distributae sint leges naturae, quam in ipsa expositione decalogi, itaque hic tanquam speculum nobis propositus esse debet, in quod intuentes, cum de obedientia admonemur, imbecillitatem nostram agnoscamus et agnoscentes peccatum Christi beneficium quaeramus et postea ad hanc normam totam vitam nostram regamus. Deinde prodest, ut dixi, praecipue ad hoc, quod promissiones de Christo continet (quae in hoc populo editae tanquam in sacrario asservatae sunt, ut inde in omnes gentes propagarentur), quae non solum propter populum Iudaicum editae sunt, sed ad omnes gentes pertinent, ut clare Abrahae multo ante constitutam politiam Mosaicam tradita promis-

sio testatur: In semine tuo benedicentur omnes gentes etc.

III.

Tertia utilitas ex lectione Mosi est, quod hi libri continent pulcherrima exempla fidei, invocationis, caritatis, afflictionum et obedientiae in historiis sanctorum patrum proposita, Adae, Abel, Noha, Abraham, Isaac, Iacob etc. ac in Mose ipso, unde et nos accendamur ad timorem Dei, fidem et veros cultus. E regione conspiciuntur exempla impietatis et horribilium poenarum, quae admonent de ira Dei adversus impios et contumaces, nam ut puniti sunt propter impios cultus et scelera, caedes, libidines Cain, Sodomitae, item principes et multitudo populi Israel, ita semper vagatae sunt poenae in mundo, et nunc quoque vagantur per impios pollutos similibus sceleribus. Nam et haec exempla ad nos pertinent, sicut lex ipsa praecipiens de moribus, indita mentibus nostris (etiamsi nulla fuisset a Mose lata), et iudicium Dei adversus peccata perpetuum ac idem est omnibus temporibus.

Quare etsi ego non sum Cain, nec nos sumus Israelitae, tamen similiter ut illi contumaces adversus Deum punientur. Et ideo proposita sunt exempla, ut in illis ipsis vox legis et iudicium Dei universo generi hominum omnibus aetatibus declaretur et omnes ad poenitentiam invitentur. Rursus etiam piis sanctorum exempla concionantur de fide, de invocatione ac mirandis liberationibus ecclesiae, de veris consolationibus in cruce et afflictionibus, de praemiis et glorificatione piorum. Nec usquam alibi illustriora exempla leguntur, praesertim de fide et obedientia sanctorum. Quare minime abiicienda est piis lectio Mosi aut omittenda in ecclesia, sed hic liber in pretio habendus et asservandus est, tanquam totius Scripturae praecipuus, in quo sunt veri fontes omnis doctrinae coelestis, unde et prophetae et apostoli largissima flumina suae sapien-

tiae derivarunt. Et hoc modo lux accedit veteris Testamenti libris, cum ad dicta et conciones propheticas confertur doctrina Evangelii de Christo et adiunguntur exempla, quae dixi; accedit et hic usus, quod prodest videre in legibus Mosaicis et illa ipsa politia, quam multa prudentissimo consilio tunc constituta sint, plenissima sapientiae politicae et humanitatis, unde gubernatores pii et prudentes saepe adiuvari possint.

Hactenus dixi, diligenter cogitandum esse piis omnibus ac praecipue docentibus, ut recte de Mose iudicent et discernant, quid ad Iudaeos pertineat, et quid nobis prosit, videlicet ut, cum leges tradit, ne iudicemus nos obligari, nisi quatenus cum notitia legis naturae congruit et eam declarat, sit Moses sui populi doctor et legislator, nos alium magistrum habemus Christum, qui nobis abunde tradidit omnia, quae nobis discenda et facienda sunt, confirmat illam ipsam doctrinam legis divinae, quae in Mose exposita et illustrata est, sicut inquit: Non veni solvere legem et prophetas etc., et addit Evangelii doctrinam de suo beneficio.

Sed tamen et Mosi libros propter has, quas dixi, utilitates retineamus et studiose legamus, quod decalogi doctrinam diligenter et copiose enarrat et illustrat, quod plenus est exemplorum et de poenis impiorum et de fide et obedientia et glorificatione sanctorum, quod collegit dulcissimas promissiones de Christo, quae proprie etiam ad nos pertinent, itaque sic legamus Mosen, ut etiam ipsam Evangelii historiam legimus, in qua etsi multa sunt, ut sic dicam, personalia, quae ad alios nihil pertinent, ut quod leprosos Christus mittit ad sacerdotes cum sacrificiis, et similia, tamen exemplum fidei et obedientiae ad omnes pertinet.

Haec copiosius fuerunt dicenda, propterea quod saepe multi in ecclesia in hoc errore fuerunt de legibus Mosaicis, nec viderunt, quid nobis ex Mose praecipue discendum sit, aut quomodo discernendum inter legem moralem seu decalogum, et alias politicas seu forenses leges, ut et Origines et alii

eum secuti hic halucinati sunt, et nostra aetate multi contenderunt, etiam forenses controversias ex Mose diiudicandas esse, exstiterunt interdum etiam Anabapistae et horum similes fanatici, qui circumcisionem et Sabbata Iudaica contenderent observanda esse.

Simus igitur cauti et de Mose ex Christiana doctrina iudicemus, quae monstrat, quomodo utiliter legendus sit, et quae copia salutaris doctrinae ex ipso peti possit, quae nos erudire potest ad salutem (ut Paulus 2. Timoth. 3 de lectione sacrarum literarum loquitur) et confirmare fidem nostram in Iesum Christum, qua similiter patres, ut nos, Deo accepti et salvi facti sunt.

Finis.

De servo arbitrio Martini Lutheri ad D. Erasmum-Roterodamum.

1525.

Lutherum et Erasmum iam paulo post inceptam sacrorum reformationem in diversas et sentiendi et docendi de rebus sacris restaurandis discessisse rationes uberius exposuerunt Seckendorfius in Comment. hist. et apolog. de Lutheranismo I, 179 sqq., Walchius in introd. in T. XVIII Opp. Luth. p. 106 sqq., Gieseler in libro clarissimo: Lehrbuch der Kirchengeschichte, III, 1 §. 3. Itaque iam anno 1522 Phil. Melanchthon haec de utriusque ratione sentiendi ac docendi scribit:

„In rebus theologicis duo potissimum requirimus, alterum, quo nos consolemur adversus mortem et iudicium Dei, quoque animum erigamus adversus omnes insidias Satanae, adversum vim portarum infernarum. Ea demum vera, evangelica et christiana praedicatio est, ignota mundo et omni rationi humanae. Hanc profitetur Lutherus. Et haec iustitia cordis est, quae postea bona opera parit. Hanc qui in Scripturis legendis sequitur, facile intelliget multa mysteria Scripturae. Alterum, boni mores, civilitas. Haec fere Erasmus docet, sed et gentiles philosophi docuere. At quid quaeso cum

philosophis Christo? aut spiritui Dei cum caeca ratione hominum? Qui hoc genus sequuntur, caritatem quidem docent, sed fidem non docent. Porro, nisi ex fide dimanet caritas, ea iam pharisaismus est, sicut est, non caritas, quanquam equidem Erasmum nihil dubitarim veteribus omnibus praeferre.

Vuittembergae in Saxonibus
Anno salutis MDXXII.

cf. Philippi Melanchthonis de Erasmo et Luthero Elogion in libro, qui in bibliotheca regia Monacensi asservatur et hunc prae se fert titulum: Iudicium D. M. Lutheri de Erasmo Roterodamo. Philippi Melanchthonis de Erasmo et Luthero Elogion. Ratio discendi per eundem tradita. Eiusdem, quo iudicio Augustinus, Ambrosius, Origenes et reliqui Doctores legendi sint. D. Martini Lutheri ad Vuolfgangum Fabritium Capitonem theologum Epistola utilissima. (sine loco et anno) 4.

Haec virorum doctissimorum dissensio sensim in asperius accrevit, et anno 1524, initio mensis Septembris, Erasmus tam ab Hadriano papa, quam ab Henrico VIII, Angliae rege, incitatus (cf. Seckendorf., Walch., Gieseler. l. l.) prior Lutherum impugnavit libro, quem sub hac inscriptione edidit:

De libero arbitrio Διατριβή sive Collatio, Desiderii Erasmi Roterod. Primum legito, deinde iudicato. Basileae apud Ioannem Frobenium. Anno M.D.XXIIII. Mense Septembri. 8. (Bibl. regia Monac.)

Is liber mox saepius typis evulgatus est (cf. Walchii introd. in T. XVIII Opp. L. p. 117); in his editionibus etiam haec est: (Signum typographicum duorum foliorum transversorum ante titulum est positum) De Libe- | Ro Arbitrio διατριβή sive | Collatio, Desiderii Erasmi | Roterodami. | Primum legito, deinde iudicato (s. l. et a.) 8. In fine: De libero Arbitrio διατριβῆς sive collationis per Des. Erasmum Roterodam. Finis.

Ad hunc Erasmi librum confutandum Lutherus quamvis cunctans suum composuit de servo arbitrio librum et sub finem mensis Decembris anni

1525 in lucem edidit (cf. Luth. Epp. ed. de Wette II, p. 561. 562. III, 30. 31. 59). Is quoque Lutheri liber clarissimus saepius typis impressus et anno 1526 in linguam germanicam a Iusto Iona translatus est (cf. Walchii introd. in T. XVIII Opp. Luth. p. 120 sqq.).

Vetustissimae huius tractatus editiones latinae sunt:

De Servo Ar- | bitrio Mar. | Lutheri ad D. Eras-| mum Rotero- | damum. | Wittembergae 1525. Tituli pagina ornata est figuris typographicis, in quibus est signum Iohannis Lufft. In fine: Wittembergae apud Iohannem Lufft. Mense Decembri. Anno M.D.XXV.
(Panzer IX, 85. v. d. Hardt I, 214. Schütze III, p. 356.)

De servo arbitrio Martini Lutheri ad Erasmum Roterodamum. Accessit insuper index sane, quam copiosissimus, insignium sententiarum, quae toto hoc libro tractantur. Graeca item inspersa, eius linguae rudibus latine, sunt reddita. M.D.XXVI. In fine: Augustae Vindelicorum anno a nato Iesu sesqui Millesimo XXVI. Mense Martio. 8.
(Panzer VI, 165.)

De Servo Arbitrio Mar. Lutheri, ad D. Erasmum Roterodamum: Cum indice. Wittembergae 1526. In fine: Wittembergae apud Iohannem Lufft. Mense Aprili. Anno M.D.XXVI. 8.
(Panzer Ann. typ. IX, 86. v. d. Hardt I. 231. Schütze III, 358).

Der Ser | vo arbitrio Mar. | Lutheri ad D. Erasmum | Roterodamum. | Wittembergae. | M.D.XXVI. Tituli pagina figuris typographicis est ornata. In fine nihil scriptum est nisi: Finis. 8.
(Bibl. reg. Monac.)

De servo arbitrio Martini Lutheri ad D. Erasmum Roterodamum (s. l.). M.D.XXVI. 8.
(Panzer IX, 144).

De Servo Arbitrio Martini Lutheri ad D. Erasmum Roterodamum. Norembergae 1526. In fine:

Norembergae apud Ioannem Petreium. Anno MDXXVI. 8.

(Panzer VII, 471. Biblioth. Scheurl.)

Latine redditur hic Lutheri liber etiam in ed. Opp. Luth. Ien. III, 165, Wittemb. II, 457, germanice in ed. Wittemb. VI, 442. Altenb. III, 160. Lips. XIX, 1. Walch. XVIII, 2049.

Nos textum repetivimus ex ed. Wittembergensi anni 1526, quae in bibliotheca regia Monacensi asservatur, et cum ea contulimus editionem originalem Wittembergensem anni 1525, quae quidem editiones duae ad verbum fere inter se congruunt, quae tamen inter eas differunt, notis indicavimus una cum variis lectionibus editionis Ienensis anni 1557.

De servo arbitrio Martini Lutheri ad D. Erasmum Roterodamum.

Venerabili viro Domino Erasmo Roterodamo[1]) Martinus Luther gratiam et pacem in Christo.

Quod tardius diatribae tuae de libero arbitrio respondeo, Venerabilis Erasme, praeter spem omnium praeterque morem meum accidit, qui hactenus eiusmodi occasiones scribendi non solum libenter apprehendisse, sed ultro etiam quaesiisse visus sum. Mirabitur forte quispiam novam illam et insolitam vel patientiam vel formidinem Lutheri, quem nec tot iactatae voces et literae adversariorum excitarunt, Erasmo victoriam congratulantes et Io Paean cantantes, scilicet Maccabaeus ille et pervicacissimus assertor invenit tandem dignum antagonistam, contra quem hiscere non audet? Verum illos non modo non accuso, sed ipsemet tibi palmam concedo, qualem nulli antea concessi, non solum, quod viribus eloquentiae et ingenio me longissime su-

1) In ed. 1525: Roterdamo.

peras, qualem nos omnes merito tibi concedimus, quanto magis ego barbarus in barbarie semper versatus, sed quod et spiritum meum et impetum remoratus es, et languidum ante pugnam reddidisti, idque duabus rationibus: primum arte, quod mirabili scilicet et perpetua modestia caussam hanc agis, qua mihi obstitisti, ne possem in te accendi, deinde fortuna vel casu vel fato, quod in tanta re nihil dicis, quod non dictum sit prius, atque adeo minus dicis et plus tribuis libero arbitrio, quam hactenus Sophistae dixerunt et tribuerunt (de quo latius dicam infra), ut etiam supervacaneum videretur respondere istis argumentis tuis, antea a me quoque toties confutatis, conculcatis vero et prorsus protritis per Philippi Melanchthonis de locis Theologicis invictum libellum, meo judicio non solum immortalitate, sed canone quoque ecclesiastico dignum, cui tuus libellus comparatus ita mihi sorduit ac viluit, ut tibi vehementer compaterer, qui pulcherrimam tuam et ingeniosam dictionem in istis sordibus pollueres, ac materiae indignissimae indignarer, quae tam pretiosis eloquentiae ornamentis veheretur, tanquam si quisquiliae vel stercora aureis argenteisque vasis portarentur. Id quod tu ipse quoque persensisse videris, qui tam difficilis fuisti ad hoc scriptionis munus obeundum, nempe quod conscientia tua te monuit, fore, ut quantislibet eloquentiae viribis rem tentares, non posse tamen mihi fucum fieri, quin faeces ipsas semotis verborum lenociniis perspicerem, qui etsi sermone sum imperitus, rerum tamen scientia non sum imperitus gratia dei, sic enim cum Paulo audeo mihi arrogare et tibi cum fiducia derogare scientiam, licet eloquentiam et ingenium tibi arrogem ac mihi derogem libens ac debens. Proinde sic cogitavi, si qui sunt, qui nostra tantis Scripturis munita non altius imbiberunt nec fortius tenent, quam ut istis levibus et nihili argumentis Erasmi, quamvis ornatissimis, moventur, digni non sunt, quibus mea responsione medeatur, nihil enim talibus satis dici aut scribi posset vel multis milibus librorum etiam

milies repetitis, simili enim opera littus araris et arenae semina mandaris aut dolium pertusum aqua repleveris. Illis enim, qui spiritum magistrum in nostris libellis hauserunt, satis abunde a nobis ministratum est, tuaque facile contemnunt, qui vero sine spiritu legunt, nihil mirum, si quovis vento velut arundo agitentur, quibus nec deus satis dixerit, etiam si omnes creaturae in linguas verterentur. Unde illos relinquere, paene consilium fuisset, libello tuo offensos, cum iis, qui gloriantur et triumphos tibi decernunt. Itaque nec multitudine negotiorum, nec rei difficultate, nec magnitudine eloquentiae tuae, nec timore tui, sed mero taedio, indignatione et contemptu, seu (ut dicam) iudicio meo de tua diatribe impeditus est mihi impetus respondendi, ut illud interim taceam, quod tui perpetuo similis satis pertinaciter observas, ne non ubique lubricus et flexiloquus sis, ac Ulysse cautior inter Scyllam et Charybdim tibi videris navigare, dum nihil vis assertum, rursus tamen assertor videri, cum quo genere hominum quid rogo potest conferri aut componi, nisi quis Protei capiendi peritus fuerit? In qua re quid possim, et quid ea tibi profuerit, postea ostendam et[1]) cooperante Christo.

Ut igitur nunc respondeam, non est prorsus nulla caussa; urgent fideles in Christo fratres exspectationem omnium mihi obiicientes, quod Erasmi auctoritas contemnenda non sit, et Christianae doctrinae veritas periclitetur in multorum cordibus. Et mihi sane tandem in mentem venit, silentium meum satis pium non fuisse, esseque mihi a carnis meae prudentia vel malitia illusum, ut non satis memor essem officii mei, quo debitor sum sapientibus et insipientibus, praesertim cum ad id vocer tot fratrum precibus; quamvis enim res nostra talis est, quae externo doctore non est contenta, sed praeter eum, qui plantat et rigat foris, etiam desideret spiritum dei, qui incrementum det et vivus viva do-

1) In ed. 1525 deest: et.

ceat intus (quae cogitatio mihi imposuit), tamen, cum liber sit ille spiritus ac spiret, non ubi nos volumus, sed ubi ipse vult, servanda fuerat regula illa Pauli: Insta opportune, importune, non enim scimus, qua hora dominus venturus sit. Esto, sint, qui magistrum spiritum hactenus in meis literis nondum senserunt et per diatriben illam sint prostrati, forte nondum venerat hora eorum, et quis scit, si deus etiam te visitare dignabitur, optime Erasme, per me miserum et fragile vasculum suum, ut felici hora (quod ex corde rogo patrem misericordiarum per Christum dominum nostrum) hoc libello ad te veniam et carissimum fratrem lucrifaciam. Nam etsi male tu sentis et scribis de libero arbitrio, tamen a me tibi non parvae debentur gratiae, quod mihi meam sententiam reddidisti longe firmiorem, cum viderem caussam liberi arbitrii a tali tantoque ingenio summis viribus agi, et adeo nihil peragi, ut peius habeat quam antea, quod evidens est argumentum, liberum arbitrium esse merum mendacium, quod exemplo mulieris illius Evangelicae, quo plus a medicis curatur, eo peius habet; cumulata igitur reddetur tibi a me gratia, si per me certior fias, sicut ego per te firmior, verum utrumque donum est spiritus, non opus officii nostri. Quare orandus est Deus, ut mihi os, tibi vero et omnibus cor aperiat, sitque ipse magister coram in medio nostri, qui in nobis loquatur et audiat. A te vero, mi Erasme, sinas hoc me impetrare, ut sicut ego tuam fero in his rebus ignorantiam, ita tu vicissim feras meam infantiam. Non uni dat cuncta deus nec omnia possumus omnes, seu, ut Paulus ait, distributiones donorum sunt, idem autem spiritus. Reliquum igitur est, ut dona mutuas operas tradant, et alter suo dono alterius onus et penuriam portet, sic implebimus legem Christi.

Principio aliqua capita praefationis tuae percurrere volo, quibus non nihil caussam nostram gravas et tuam adornas. Primo illud, quod etiam aliis libellis pervicaciam asserendi in me reprehendis, et in hoc libello dicis, te adeo non delectari

assertionibus, ut facile in Scepticorum sententiam pedibus discessurus sis, ubicunque per divinarum Scripturarum inviolabilem auctoritatem et ecclesiae decreta liceat, quibus tuum sensum ubique libens submittis, sive assequeris, quod praescribit, sive non assequeris, hoc ingenium tibi placet. Haec (ut par est) accipio a te benevolo animo dici et qui pacis amans sit. Sed si alius diceret, forte meo more in eum ferrer, verum nec pati debeo te, licet optime volentem, ea opinione errare. Non est enim hoc Christiani pectoris, non delectari assertionibus, imo delectari assertionibus debet, aut Christianus non erit. Assertionem autem voco (ne verbis ludamur) constanter adhaerere, affirmare, confiteri, tueri atque invictum perseverare, nec aliud, credo, vox ea latinis vel nostro usu et seculo significat. Deinde loquor de rebus illis asserendis, quae nobis traditae sunt divinitus in sacris literis, alioqui neque Erasmo neque alio quovis magistro opus nobis est, qui doceat, in rebus dubiis vel inutilibus ac non necessariis non modo stultas, sed etiam impias esse assertiones, pugnas et rixationes, quas Paulus non uno loco damnat. Nec tu de iis hoc loco dicis, credo, nisi vel ridiculi oratoris more aliud praesumere et aliud tractare velles, velut ille ad Rhombum, vel impii scriptoris insania articulum de libero arbitrio dubium aut non necessarium esse contendas. Absint a nobis Christianis Sceptici et Academici, assint vero vel ipsis Stoicis bis pertinaciores assertores, Paulus apostolus, quoties, rogo, plerophoriam[1]) illam exigit, id est, certissimam illam ac firmissimam conscientiae assertionem? Rom. 10 confessionem dicens: Ore confessio fit ad salutem. Et Christus: Qui confitetur[2]) coram hominibus, confitebor ego eum coram patre meo. Petrus rationem reddere iubet de ea, quae in nobis est, spe. Quid multis opus est? nihil apud Christianos notius et

---

1) In ed. 1525 et 1526: plerophoriam. 2) In ed. 1525: me confitetur.

celebratius, quam assertio. Tolle assertiones, et Christianismum tulisti. Quin spiritus sanctus de coelo illis datur, ut clarificet Christum et confiteatur usque ad mortem, nisi hoc non est asserere, ob confessionem et assertionem mori. Denique adeo asserit spiritus, ut etiam ultro invadat et arguat mundum de peccato, velut lacessens pugnam, et Paulus Timotheon iubeat increpare instareque importune. Quam vero mihi festivus fuerit ille increpator, qui ipse, quod increpat, neque certus credat neque constanter asserat, ad Anticyram scilicet illum mitterem.

Sed ego longe stultissimus, qui in re clariore, quam sol est, verba et tempus perdo. Quis Christianorum ferat, assertiones esse contemnendas? Hoc esset aliud nihil, quam semel totam religionem ac pietatem negasse aut asseruisse, nihil esse religionem aut pietatem aut ullum dogma. Quid ergo tu quoque asseris, non delector assertionibus, et hoc ingenium te malle quam diversum?

Verum tu de confitendo Christo et dogmatibus eius hic nihil voles dixisse, recte moneor. Et ego in gratiam tui meo iuri et mori cedo, ac de animo tuo nolo iudicare, inque aliud tempus vel aliis id reservo; interim, ut linguam et calamum corrigas et deinceps tibi temperes a talibus verbis, moneo, nam utcunque animus sit integer et candidus, oratio tamen, quae animi character esse dicitur, non talis est. Si enim causam liberi arbitrii non necessariam scitu nec ad Christum pertinere arbitraris, recte loqueris, at impie tamen arbitraris. Si vero necessariam arbitraris, impie loqueris, et recte arbitraris. Nec tum fuit locus, de inutilibus assertionibus et rixis tanta querulari et exaggerari, quid enim haec ad statum causae?

Sed quid dices de istis tuis verbis, ubi non de una liberi arbitrii causa, sed de totius religionis dogmatibus generaliter dicis, Si liceret per inviolabilem autoritatem divinarum literarum et ecclesiae decreta, discessurum te in Scepticorum sententiam, adeo non delecteris assertionibus?

Qualis Proteus est in vocabulis illis, inviolabilem autoritatem et ecclesiae decreta? Scilicet quasi valde reverearis Scripturas et ecclesiam, et tamen significas, optare te licentiam, ut esses Scepticus? Quis Christianorum sic loqueretur? Hoc si dicis de inutilibus et neutris dogmatibus, quid novi affers? Quis non optet licentiam hic scepticae professionis? Imo quis Christianus de facto non utitur libere hac licentia damnatque addictos et captivos alicuius sententiae? nisi Christianos universos pro talibus habes (ut verba vere sonant), quorum dogmata sint inutilia, in quibus stulte rixentur et assertionibus pugnent. Si vero de necessariis dicis, quid magis impie possit aliquis asserere, quam optare licentiam nihil asserendi in talibus? Sic potius dicet Christianus: Adeo non delector Scepticorum sententia, ut, ubicunque per infirmitatem carnis liceret, non modo sacris literis constanter ubique in omnibusque partibus adhaererem et assererem, sed etiam optem in non necessariis et extra Scripturam positis rebus esse quam certissimus, quid enim incertitudine miserius?

Quid etiam ad illa dicemus, ubi subiungis: Quibus submitto ubique sensum meum libens, sive assequor, quod praescribunt, sive non assequor? Quid ais, Erasme? Non satis est submisisse sensum Scripturis? etiam ecclesiae decretis submittis? Quid illa potest decernere non decretum in Scripturis? Deinde ubi manet libertas et potestas iudicandi decretores illos? ut Paulus 1. Corinth. 14 docet: Ceteri diiudicent. Non placet tibi esse iudicem in decretis ecclesiae, quod Paulus tamen praecipit? Quae ista nova religio et humilitas, ut nobis tuo exemplo potestatem adimas iudicandi decreta hominum et subiicias sine iudicio hominibus? Ubi hoc nobis mandat Scriptura Dei? Deinde quis Christianorum sic vento mandet praescripta Scripturae et ecclesiae, ut dicat: Sive assequor, sive non assequor? Submittis te, et tamen nihil curas, an assequaris, necne, Christianus vero anathema sit, si non certus sit et assequatur, id quod ei praescri-

bitur. Quomodo enim credet, id quod non assequitur? Nam tu illud hic assequi dices, quod certo quis apprehenderit et non Sceptico more dubitaverit, alioqui quid est in ulla creatura, quod ullus homo[1]) assequi possit, si assequi id sit, quod perfecte nosse ac videre? Tum enim nec locum haberet, ut aliquis simul quaedam assequi, et quaedam non assequi posset, sed unum aliquid assecutus omnia assecutus esset, puta in Deo, quem qui non assequitur, nullam partem creaturae unquam assequitur.

Summa, haec tua verba hoc sonant, apud te nihil referre, quicquid a quolibet ubique credatur, modo pax mundi constet, licereque ob periculum vitae, famae, rerum et favoris illum imitari, qui dixit: Aiunt, aio, Negant, nego, et habere dogmata Christiana nihilo meliora, quam philosophorum et hominum opiniones, pro quibus stultissimum est rixari, pugnare, asserere, quod inde nihil nisi contentio et turbatio pacis externae veniant, quae supra nos, nihil ad nos. Ita dirempturus nostros conflictus venis medius, ut utrosque suspendas, et persuadeas, de stultis ac inutilibus rebus nos digladiari, sic, inquam, sonant tua verba. Et quid hic premam, puto te intelligere, mi Erasme. Sed ut dixi, verba eant, cor tuum interim excuso, modo tu non prodas latius, ac metue spiritum Dei, qui scrutatur renes et corda, nec fallitur compositis verbis. Dixi enim haec ideo, ut deinceps desinas nostram causam arguere pertinaciae et pervicaciae. Nam hoc consilio aliud nihil facis, quam hoc[2]) significas, te in corde Lucianum aut alium quendam de grege Epicuri porcum alere, qui cum ipse nihil credat esse Deum, rideat occulte omnes, qui credunt et confitentur. Sine nos esse assertores, et assertionibus studere et delectari, tu Scepticis tuis et Academicis fave, donec te Christus quoque vocaverit. Spiritus sanctus non est Scepticus, nec

1) In ed. Ien.: nullus homo. 2) In ed. 1525: quam quod.

dubia aut opiniones in cordibus nostris scripsit, sed assertiones ipsa vita et omni experientia certiores et firmiores.

Ad alterum caput venio, quod huic cohaeret. Ubi dogmata Christiana distinguis, quaedam scitu necessaria, quaedam non necessaria fingis, esse quaedam abstrusa, quaedam exposita dicis; sic vel aliorum verbis lusus ludis, aut te ipsum velut artificio rhetorico exerces. Adducis autem pro ista sententia illud Pauli Rom. 11: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, item illud Isaiae 40: Quis adiuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Haec tibi fuerunt dictu facilia, ut qui vel scires te non scribere ad Lutherum, sed pro vulgo, vel non cogitares, te scribere contra Lutherum, quem tamen aliquo studio et iudicio in sacris literis dignaris spero; si non dignaris, en extorquebo etiam. Sic habet mea distinctio, ut et ego parum rhetoricer vel dialecticer. Duae res sunt Deus et Scriptura Dei, non minus quam duae res sunt creator et creatura Dei. In Deo esse multa abscondita, quae ignoremus, nemo dubitat, sicut ipsemet dicit de die extremo: De die illo nemo scit, nisi Pater*); et Act. 1: Non est vestrum nosse tempora et momenta; et iterum**): Ego novi, quos elegerim; et Paulus***): Novit Dominus, qui sunt eius, et similia.

Sed esse in Scriptura quaedam abstrusa, et non omnia exposita, invulgatum est quidem per impios Sophistas, quorum ore et tu loqueris hic, Erasme, sed nunquam unum articulum produxerunt nec producere possunt, quo suam hanc insaniam probarent. Talibus autem larvis Satanas absterruit a legendis literis sacris et reddidit Scripturam sanctam contemptibilem, ut suas pestes ex philosophia in ecclesia faceret regnare. Hoc sane fateor, esse multa loca in Scripturis obscura et abstrusa, non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum et

---

*) Matth. 24. Marc. 13. **) Iohan. 13. ***) 2. Timo. 2.

grammaticae, sed quae nihil impediant scientiam omnium rerum in Scripturis. Quid enim potest in Scripturis augustius latere reliquum, postquam fractis signaculis et voluto ab ostio sepulcri lapide illud summum mysterium proditum est, Christum filium Dei factum hominem esse Deum trinum et unum, Christum pro nobis passum et regnaturum aeternaliter? Nonne haec etiam in biviis sunt nota et cantata? Tolle Christum e Scripturis, quid amplius in illis invenies?

Res igitur in Scripturis contentae omnes sunt proditae, licet quaedam loca adhuc verbis incognitis obscura sint. Stultum est vero et impium scire, res Scripturae esse omnes in luce positas clarissima, et propter pauca verba obscura res obscuras dictare. Si uno loco obscura sunt verba, at alio sunt clara, eadem vero res, manifestissime toti mundo declarata, dicitur in Scripturis tum verbis claris, tum adhuc latet verbis obscuris, iam nihil refert, si res sit in luce, an aliquod eius signum sit in tenebris, cum interim multa alia eiusdem signa sint in luce. Quis dicet fontem publicum non esse in luce, quod hi, qui in angiporto sunt, illum non vident, cum omnes, qui sunt in foro, videant?

Nihil igitur est, quod de Corycio specu adducis, non habet ita res in Scripturis, et quae sunt summae maiestatis et abstrusissima mysteria, non sunt amplius in secessu, sed in ipsis foribus, et in propatulo producta et exposita, Christus enim aperuit nobis sensum, ut intelligamus Scripturas. Et Evangelium[1]) praedicatum est omni creaturae, in omnem terram exivit sonus eorum, et omnia, quae scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, item: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*). Igitur tu et omnes Sophistae, agite et producite unum aliquod mysterium, quod sit in

---

1) In ed. 1525 et 1526 hic et alibi: Evangelion.
*) Lucae 24. Coloss. 1. Psal. 19. Roma. 15. 1 Timoth. 3.

Scripturis adhuc abstrusum; quod vero multis multa manent abstrusa, non hoc fit Scripturae obscuritate, sed illorum caecitate vel socordia, qui non agunt, ut clarissimam veritatem videant, sicut Paulus de Iudaeis dicit 2. Corinth. 4: Velamen manet super cor eorum, et iterum: Si Evangelium nostrum opertum est, in iis qui pereunt opertum est, quorum corda Deus huius seculi excaecavit. Eadem temeritate solem obscurumque diem culparet, qui ipse sibi oculos velaret, aut a luce in tenebras iret et sese absconderet. Desinant ergo miseri homines, tenebras et obscuritatem cordis sui blasphema perversitate Scripturis Dei clarissimis imputare.

Tu ergo cum Paulum adducis dicentem: Incomprehensibilia sunt iudicia eius, videris pronomen, Eius, ad Scripturam retulisse. At Paulus non dicit: Incomprehensibilia sunt iudicia Scripturae, sed Dei. Sic Esa. 40. non dicit: Quis novit sensum Scripturae, sed sensum Domini, quamvis Paulus asserat, Christianis notum esse sensum Domini, verum in his, quae donata sunt nobis, ut ibidem dicit 1. Corinth. 2. Vides ergo, quam oscitanter hos locos Scripturae inspexeris, et tam apte citaris, quam apte citas fere omnia pro libero arbitrio. Sic et exempla tua, quae subiungis non sine suspicione et aculeo, nihil faciunt ad rem, qualia de distinctione personarum, de conglutinatione naturae divinae et humanae, de peccato irremissibili, quorum ambiguitatem dicis nondum esse resectam. Si de Sophistarum quaestionibus circa has res agitatis intelligis, quid tibi fecit innocentissima Scriptura, ut abusum sceleratorum hominum obiicias illius puritati? Scriptura simpliciter confitetur trinitatem Dei et humanitatem Christi et peccatum irremissibile. Nihil hic obscuritatis aut ambiguitatis. Quibus vero modis ista habeant, Scriptura non dicit, ut tu fingis, nec opus est nosse, Sophistae hic sua somnia tractant, illos argue et damna, et Scripturas absolve. Si vero intelligis de ipsa rei substantia, iterum non Scripturas, sed Arianos argue, et eos, quibus opertum est Evangelium, ut clarissima testimonia de

divinitatis trinitate et humanitate Christi per operationem Satanae Dei sui non videant.

Et ut breviter dicam, duplex est claritas Scripturae, sicut et duplex obscuritas, una externa in verbi ministerio posita, altera in cordis cognitione sita. Si de interna claritate dixeris, nullus homo unum iota in Scripturis videt, nisi qui spiritum Dei habet, omnes habent obscuratum cor, ita ut, si etiam dicant et norint proferre omnia Scripturae, nihil tamen horum sentiant aut vere cognoscant, neque credunt Deum, nec sese esse creaturas Dei, nec quicquam aliud, iuxta illud Psal. 14[1]): Dixit insipiens in corde suo, Deus nihil est. Spiritus enim requiritur ad totam Scripturam et ad quamlibet eius partem intelligendam. Si de externa dixeris, nihil prorsus relictum est obscurum aut ambiguum, sed omnia sunt per verbum in lucem producta certissimam, et declarata toto orbi[2]), quaecunque sunt in Scripturis.

Sed illud magis est intolerabile, quod causam hanc liberi arbitrii inter ea numeras, quae sunt inutilia et non necessaria, et loco eius nobis recenses, quae ad pietatem Christianam satis esse iudices, qualem formam certe describeret facile quilibet Iudaeus aut gentilis, Christi prorsus ignarus, nam Christi ne uno quidem iota mentionem facis, ac si sentias, Christianam pietatem sine Christo esse posse, tantum si Deus natura clementissimus totis viribus colatur. Quid hic dicam, Erasme? Totus Lucianum spiras, et inhalas mihi grandem Epicuri crapulam. Si tu hanc causam non necessariam ducis Christianis, cede quaeso ex arena, nihil tibi et nobis, nos necessariam ducimus.

Si est irreligiosum, si est curiosum, si supervacaneum, ut tu dicis, scire, an Deus contingenter praesciat aliquid, an voluntas nostra aliquid agat in his, quae pertinent ad aeternam salutem, vel

---

1) In ed. 1525 et 1526: 13. 2) In ed. Ien.: toti orbi.

tantum patiatur ab agente gratia, an, quicquid boni vel mali facimus, mera necessitate[1]) faciamus vel patiamur potius, quid, rogo, erit tum religiosum? quid grave? quid utile scitu? Hoc prorsus nihil valet, Erasme, das ist zu viel. Difficile est hoc tribuere ignorantiae tuae, ut qui iam senex et inter Christianos versatus et sacras literas diu meditatus non relinquis locum, quo te excusemus aut bene de te cogitemus. Et tamen haec portenta tibi ignoscunt Papistae et ferunt, ea gratia, quod in Lutherum scribis, alioqui te dentibus laceraturi, si Lutherus abesset, et talia scriberes. Amicus Plato, amicus Socrates, sed praehonoranda veritas. Nam ut parum intelligeres in Scripturis et pietate Christiana, certe hoc vel hosti Christianorum sciendum erat, quid Christiani necessarium et utile, et quid non tale haberent. Tu vero Theologus et Christianorum Magister, praescripturus illis formam Christianismi, non saltem more Sceptico tuo dubitas, quid necessarium et utile illis sit, sed plane in diversum laberis, et iam contra ingenium tuum assertione inaudita iudicas, ea non esse necessaria, quae nisi necessaria et cognita certo fuerint, nec Deus, nec Christus, nec Evangelium, nec fides, nec quicquam reliquum est ne Iudaismi quidem, multo minus Christianismi. Deum immortalem, Erasme, quantam fenestram, imo quantum campum aperis contra te agendi et dicendi, quid tu de libero arbitrio boni aut recti sciberes, qui tantam ignorantiam Scripturae et pietatis his verbis tuis confiteris? Sed contraham vela nec meis verbis hoc loco (quod infra forte faciam), sed tuis verbis agam tecum. Forma Christianismi a te[2]) descripta inter cetera hoc habet, ut totis viribus enitamur, adeamus remedium poenitentiae, ac Domini misericordiam modis omnibus ambiamus, sine qua nec voluntas humana efficax est nec conatus, item nemini desperandam esse veniam a Deo natura clementissimo.

---

1) In ed. Ien. tantummodo: coacti faciamus. 2) Ibid. hic in margine legitur: Erasmus.

Haec verba tua sine Christo, sine spiritu, ipsa glacie frigidiora, ita ut etiam vitium in illis patiatur eloquentiae tuae decor, quae misero vix extorsit metus forsitan Pontificum et tyrannorum, ne prorsus Atheos videreris, hoc tamen asserunt, esse vires in nobis, esse nisum totis viribus, esse misericordiam Dei, esse modos ambiendi misericordiam, esse Deum natura iustum, natura clementissimum etc. Si quis igitur ignoret, quid sint illae vires, quid possint, quid patiantur, quis nisus eorum, quae efficacia, quae inefficacia, quid ille faciet? quid tu illum facere docebis?

Irreligiosum (inquis), curiosum et supervacaneum est nosse velle, an voluntas nostra aliquid aget[1]) in iis, quae pertinent ad aeternam salutem, an tantum patiatur ab agente gratia. At hic dicis contra, esse pietatem Christianam, eniti totis viribus, et sine misericordia Dei voluntatem non efficacem esse. Hic plane asseris voluntatem aliquid agere in iis, quae pertinent ad aeternam salutem, dum eam fingis enitentem: at rursus patientem, dum sine misericordia dicis inefficacem, licet non definias, quatenus illud agere et pati intelligendum sit, data opera facturus ignaros, quid valeat misericordia Dei, quid valeat voluntas nostra, eo ipso, quo doces, quid faciat voluntas nostra et misericordia Dei. Sic te rotat tua illa prudentia, qua neutri partium adhaerere statuisti et inter Scyllam et Charybdim tuto evadere, ut medio mari fluctibus obrutus et confusus omnia asseras quae negas, et neges quae asseris.

Similitudinibus aliquibus tibi tuam theologiam ob oculos ponam: bonum poema vel orationem facturus non cogitet nec quaerat, quale sit ingenium, quid possit, quid non possit, quid requirat argumentum susceptum, planeque omittat illud praeceptum Horatii: Quid valeant humeri, quid ferre recusent, sed solum opus praeceps tentet et cogitet, enitendum est, ut fiat, curiosum et supervacaneum

1) Ibid.: agat.

est quaerere, utrum suppetat tanta eruditio, tanta facundia, tanta vis ingenii. Aut si quis uberes fructus ex agro sit recepturus, non sit curiosus supervacanea cura explorandi ingenii terrae, sicut Virgilius in Georgicis curiose et frustra docet, sed feratur temere, nihil nisi opus cogitet, aret littus, semina mandet, quaqua patet, sive arena, sive limus. Aut si quis bellum gesturus victoriam pulchram petat, vel aliud quidpiam officium in republica praestare debet, non sit curiosus consultando, quid possit, an aerarium sufficiat, an milites apti sint, an copia facti ulla sit, prorsusque contemnat illud Historici: Antequam facias, consulto, ubi consulueris, mature facto opus est, sed irruat caecis oculis et auribus clausis, nihil nisi bellum, bellum, vociferet[1]) et operi instet. Quid rogo, Erasme, de talibus poetis, agricolis et imperatoribus et principibus iudicabis? Addam illud Evangelicum: Si quis turrim aedificaturus non prius sedens computet sumptus, an habeat ad perficiendum, quid de illo iudicat Christus?

Sic tu quoque nobis facta decernis sola, vetas vero primum explorare et metiri aut nosse vires, quid possimus et non possimus, tanquam hoc sit curiosum et supervacaneum et irreligiosum. Ita dum nimia prudentia temeritatem detestaris et sobrietatem praetendis, eo pervenis, ut summam temeritatem etiam doceas. Nam ut Sophistae temerarii et insani sint facto, dum curiosa tractant, mitius tamen peccant, quam tu, qui etiam doces et iubes insanire et temere ferri. Atque quo maior sit insania, hanc temeritatem nobis pulcherrimam Christianamque pietatem, sobrietatem, religiosam gravitatem et salutem esse persuades, ni ita faciamus, irreligiosos, curiosos et vanos nos asseris, assertionum tantus hostis, et pulchre evasisti Scyllam, dum vitasti Charybdim. Sed huc te perpellit fiducia ingenii tui, qui credis sic te posse per eloquentiam omnibus ingeniis imponere, ut nullus queat

1) In ed. Ien.: vociferetur.

persentiscere, quid alas in animo, et quid moliaris lubricis illis scriptis tuis, Deus vero non irridetur, in quem non est bonum impingere.

Porro si hanc temeritatem nos docuisses in poematibus faciendis, in fructibus parandis, in bellis et officiis obeundis, aut domibus aedificandis, quanquam est intolerabilis, praesertim in tanto viro, tamen aliqua venia dignus tandem eras, saltem apud Christianos, qui temporalia contemnunt. At cum Christianos ipsos iubeas temerarios operarios fieri, et in salute aeterna paranda incuriosos esse mandas, quid possint et non possint, hoc plane peccatum est vere irremissibile. Nescient enim quid faciant, dum ignorant, quid et quantum possunt, ignorantes autem, quid faciant, poenitere (si errent) non possunt, impoenitentia autem peccatum irremissibile est. Atque huc ducit nos tua illa moderata sceptica theologia.

Igitur non est irreligiosum, curiosum aut supervacaneum, sed imprimis salutare et necessarium Christiano nosse, an voluntas aliquid vel nihil agat in iis, quae pertinent ad salutem; imo ut scias, hic est cardo nostrae disputationis, hic versatur status causae huius. Nam hoc agimus, ut disquiramus, quidnam possit liberum arbitrium, quid patiatur, quomodo se habeat ad gratiam Dei. Haec si ignoraverimus, prorsus nihil Christianarum rerum noscemus, erimusque omnibus gentibus peiores. Qui hoc non sentit, fateatur sese non esse Christianum, qui vero reprehendit vel contemnit, sciat sese esse summum Christianorum hostem. Nam si ignoravero, quid, quatenus et quantum ego possum et faciam erga Deum, pariter incertum et ignotum mihi erit, quid, quatenus et quantum Deus in me potest et faciat, cum Deus operetur omnia in omnibus. Ignoratis vero operibus et potentia Dei Deum ipsum ignoro, ignorato Deo colere, laudare, gratias agere, servire Deo non possum, dum nescio, quantum mihi tribuere, quantum Deo debeo. Oportet igitur certissimam distinctionem habere inter virtutem Dei et

nostram, inter opus Dei et nostrum, si volumus pie vivere.

Ita vides, hoc problema esse partem alteram totius summae Christianarum rerum, in quo pendet et periclitatur cognitio sui ipsius, cognitio et gloria Dei, quare non est ferendum in te, mi Erasme, ut hoc nosse irreligiosum, curiosum et vanum appelles. Multa tibi debemus, sed pietati omnia debemus. Quin tu ipse totum bonum nostrum Deo adscribendum esse sentis, idque asseris in forma tui Christianismi. Hoc autem asserto certe simul asseris, Dei misericordiam solam omnia agere, et voluntatem nostram nihil agere, sed potius pati[1]), alioqui non totum Deo tribuetur. At paulo post negas id asserere vel nosse esse religiosum, pium et salutare, sed sic loqui cogitur mens sibi ipsi non constans, in rebus pietatis incerta et imperita.

Altera pars summae Christianae est nosse, an Deus contingenter aliquid praesciat, et an omnia faciamus necessitate[2]). Et hanc etiam irreligiosam, curiosam et vanam facis, sicut et omnes impii faciunt, quin daemones et damnati exosam et exsecrabilem faciunt. Neque stultus es, si istis quaestionibus te eximis, modo id fieri liceat. Sed interim parum bonus rhetor et theologus es, qui de libero arbitrio sine istis partibus dicere et docere praesumis. Fungar cotis vice et ipse non rheto egregium rhetorem officii sui monebo. Si de Ora toria scripturus sic diceret Quintilianus: Meo iud cio illa stulta et supervacanea de inventione, di positione, elocutione, memoria, pronunciatione om tenda sunt, satis sit nosse, oratoriam esse bene cendi[3]) peritiam, nonne rideres artificem? N aliter tu quoque facis, scripturus de libero arbit abigis et abiicis primum totum corpus et om partes artificii eius, de quo scripturus es. I fieri non potest, ut scias, quid sit liberum arbitr

1) In ed. Ien.: agi. 2) Ibid.: faciamus coacti. ed. 1525 et 1526: benedicendi.

nisi scieris, quid possit voluntas humana, quid Deus faciat an necessario praesciat?

Nonne et rhetores tui docent, de causa aliqua dicturum oportere dicere, primum, an sit, deinde, quid sit, quae eius partes, quae contraria, affinia, similia etc. Tu vero miserum illud per sese liberum arbitrium his omnibus spolias, et nullam quaestionem de eo definis, nisi unam illam primam, scilicet, an sit, idque argumentis talibus, qualibus videbimus, ut ineptiorem librum de libero arbitrio non viderim, excepta orationis elegantia. Sophistae sane melius hic saltem dialecticantur, quando rhetoricari nesciunt, qui liberum arbitrium aggressi definiunt omnes quaestiones eius, an sit, quid sit, quid faciat, quomodo habeat etc., licet et ipsi non efficiunt quod tentant. Urgebo igitur hoc libello te et Sophistas omnes, donec liberi arbitrii vires et opera mihi definiatis, et sic urgebo (Christo propitio), ut sperem me adacturum te ad poenitentiam editae diatribes tuae.

Est itaque et hoc imprimis necessarium et salutare Christiano, nosse, quod Deus nihil praescit contingenter, sed quod omnia incommutabili et aeterna infallibilique voluntate et praevidet et proponit, et facit. Hoc fulmine sternitur et conteritur penitus liberum arbitrium. Ideo qui liberum arbitrium volunt assertum, debent hoc fulmen vel negare vel dissimulare, aut alia ratione a se abigere. Antequam vero id mea disputatione et Scripturae autoritate firmem, prius tuis verbis ipsum tractabo. Nonne tu es, mi Erasme, qui asseruisti paulo ante Deum natura iustum, natura clementissimum? Si hoc verum est, nonne sequitur, quod incommutabiliter sit iustus et clemens? ut quemadmodum natura eius non mutatur in aeternum, ita nec eius iustitia et clementia. Quod autem de iustitia et clementia dicitur, etiam de scientia, sapientia, bonitate, voluntate, et aliis divinis rebus dici oportet. Si igitur haec religiose, pie et salubriter de Deo asseruntur, ut tu scribis, quid accidit tibi, ut tibi ipsi dissidens irreligiosum, curiosum ac vanum nunc as-

seras dicere, Deum necessario praescire? Scilicet voluntatem immutabilem Dei praedicas esse discendam, immutabilem eius vero praescientiam nosse vetas. An tu credis, quod nolens praesciat, aut ignarus velit? Si volens praescit, aeterna est et immobilis (quia natura) voluntas, si praesciens vult, aeterna est et immobilis (quia natura) scientia.

Ex quo sequitur irrefragabiliter, omnia quae facimus, omnia quae fiunt, etsi nobis videntur mutabiliter et contingenter fieri, revera tamen fiunt necessario et immutabiliter, si Dei voluntatem spectes[1]). Voluntas enim Dei efficax est, quae impediri non potest, cum sit naturalis ipsa potentia Dei, deinde sapiens, ut falli non possit, non autem impedita voluntate opus ipsum impediri non potest, quin fiat, loco, tempore, modo, mensura, quibus ipse et praevidet et vult. Si talis esset voluntas Dei, quae peracto opere eodemque manente cessaret, qualis est hominum voluntas, ubi aedificata domo, quam volunt, cessat velle, ut in morte desinit, tum vere posset dici, aliquid contingenter et mutabiliter fieri. At hic contra fit, opus desinit et voluntas permanet, tantum abest, ut ipsum opus, dum fit et permanet, contingenter esse aut permanere possit. Contingenter autem fieri dicitur (ne vocabulis abutamur) latina lingua non ipsum opus contingens fieri, sed contingente et mutabili voluntate fieri, qualis in Deo non est. Deinde contingens opus dici non potest, nisi quod nobis contingenter et velut casu imprudentibusque nobis fit, quia nostra voluntas vel manus illud arripit velut casu oblatum, ut qui nihil de eo aut cogitavimus aut voluimus antea.[2])

---

1) In ed. Ien. haec enuntiatio ita legitur: Ex quo sequitur irrefragabiliter, omnia quae facimus, etsi nobis videntur mutabiliter et contingenter fieri et fiant, et ita etiam contingenter nobis fiant, revera tamen fiunt etc.
2) In ed. Ien. Opp. Luth. haec addita sunt, quae nec in ed. huius libri a. 1525 nec a. 1526 leguntur: Optarim sane

Sudaverunt hic Sophistae iam multis annis, et tandem victi coacti sunt concedere, omnia quidem necessario fieri, necessitate consequentiae (ut dicunt), sed non necessitate consequentis; sic eluserunt violentiam istius quaestionis, verum et se ipsos potius illuserunt. Quam sit enim hoc nihil, non gravabor ostendere. Necessitatem consequentiae vocant, ut crasse dicam, Si Deus aliquid vult, necesse est, ut ipsum fiat, sed non est necesse, ut id sit, quod fit. Solus Deus enim necessario est, omnia alia possunt non esse, si Deus velit. Ita actionem Dei necessariam dicunt, si volet, sed factum ipsum non esse necessarium. Quid autem istis ludibriis verborum efficiunt? Id scilicet, facta res non est necessaria, id est, non habet essentiam necessariam, hoc est aliud nihil dicere, quam res facta non est Deus ipse; nihilominus manet illud, ut omnis res necessario fiat, si actio Dei necessaria vel consequentiae necessitas est, quantumlibet iam facta non sit necessario, id est, non sit Deus, vel non habeat essentiam necessariam. Si enim ego fio necessario, parum me movet, quod esse meum vel

---

aliud melius vocabulum dari in hac disputatione, quam hoc usitatum, Necessitas, quod non recte dicitur, neque de divina, neque humana voluntate. Est enim nimis ingratae et incongruae significationis pro hoc loco, quandam velut coactionem, et omnino id, quod contrarium est voluntati, ingerens intellectui, cum tamen non hoc velit causa ista quae agitur. Voluntas enim sive divina sive humana nulla coactione, sed mera lubentia vel cupiditate quasi vere libera facit quod facit, sive bonum sive malum: sed tamen immutabilis et infallibilis est voluntas Dei, quae nostram voluntatem mutabilem gubernat, ut canit Boethius: Stabilisque manens das cuncta moveri; et nostra voluntas, praesertim mala, se ipsa non potest facere bonum. Igitur quod non praestat vox, impleat intellectus legentis necessitatem, intelligens id quod dicere velles, immutabilem voluntatem Dei et impotentiam nostrae voluntatis malae, ut aliqui dixerunt necessitatem immutabilitatis, nec hoc satis grammatice nec theologice.

fieri sit mutabile, nihilominus ego ille contingens et mutabilis, qui non sum Deus necessarius, fio. Quare illorum ludibrium, necessitate consequentiae, sed non necessitate consequentis omnia fieri, nihil aliud habet quam hoc: Omnia quidem necessario fiunt, sed sic facta non sunt ipsemet Deus. Quod[1]) vero opus erat hoc nobis dicere? quasi metuendum fuerit, ut factas res assereremus Deum esse, vel divinam et necessariam naturam habere. Adeo stat et permanet invicta sententia, omnia necessitate fieri[2]). Nec est hic ulla obscuritas aut ambiguitas. In Esaia dicit: Consilium meum stabit, et voluntas mea fiet. Quis enim puer non intelligit, quid velint haec vocabula, Consilium, voluntas, fiet, stabit?

Sed cur nobis Christianis illa sunt abstrusa, ut irreligiosum et curiosum ac vanum sit, illa tractare et nosse, cum talia gentiles poetae et ipsum vulgus usu communissimo terat in ore? Quoties unus Virgilius fatum memorat? Certa stant omnia lege; item: Statsua cuique dies; item: Si te fata vocant; item: Si qua fata aspera rumpas. Nihil ille poeta aliud facit, quam ut in Troia vastata et Romano imperio suscitando fatum plus valere, quam omnium hominum studia significet, atque adeo necessitatem et rebus et hominibus imponere[3]). Denique Deos suos immortales fato subiicit, cui necessario cedant et ipse Iupiter et Iuno. Inde finxerunt Parcas illas tres, immutabiles, implacabiles, irrevocabiles.

Senserunt illi sapientes viri, id quod res ipsa cum experientia probat, nulli hominum unquam sua consilia processisse, sed omnibus alio, quam cogitarunt, rem cecidisse. Si Pergama potuissent dextra defendi, etiam hac defensa fuissent, ait Hector Virgilii. Inde vulgatissimum verbum in omnium ore: Quod Deus vult, fiat; item: Si volet Deus,

---

1) In ed. Ien.: quid. 2) Ibid.: omnia voluntate Dei immutabili, quod illi necessitatem consequentiae vocant, fieri. 3) Ibidem desunt verba: atque adeo necessitatem — — imponere.

faciemus; item: sic voluit Deus, Sic placitum superis, Sic voluistis, ait Virgilius, ut videamus, in vulgo non minus relictam esse scientiam praedestinationis et praescientiae Dei, quam ipsam notitiam divinitatis [1]). Et ii, qui sapientes voluerunt videri, suis disputationibus eo abierunt, donec obscurato corde stulti fierent, Roma. 1, et negarent vel dissimularent ea, quae poetae et vulgus atque ipsorummet conscientia pro usitatissimis, certissimis et verissimis habent.

Ultra dico non modo quam ista sint vera, de quo infra latius ex Scripturis dicetur, verum etiam quam religiosum, pium et necessarium sit ea nosse. His enim ignoratis neque fides, neque ullus Dei cultus consistere potest. Nam hoc esset vere Deum ignorare, cum qua ignorantia salus stare nequit, ut notum est. Si enim dubitas, aut contemnis nosse, quod Deus omnia non contingenter, sed necessario et immutabiliter praesciat et velit, quomodo poteris eius promissionibus credere, certo fidere ac niti? Cum enim promittit, certum oportet te esse, quod sciat, possit et velit praestare, quod promittit; alioqui eum non veracem nec fidelem aestimabis, quae est incredulitas et summa impietas et negatio Dei altissimi.

At quo modo certus et securus eris, nisi scieris, illum certo et infallibiliter et immutabiliter ac necessario scire et velle, et facturum esse, quod promittit? Neque solum certos oportet nos esse, Deum necessario et immutabiliter velle et facturum, sed etiam gloriari in hoc ipso, ut Paulus Rom. 3: Esto autem Deus verax, omnis homo mendax; et iterum: Non quod exciderit verbum Dei; et alibi*): Fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt eius, et Tit. I: Quam promisit Deus non mendax, ante tempora secularia;

---

1) Ibidem hic addita leguntur haec: quanquam B. Augustinus fatum non sine causa damnet', nam de Stoicorum fato loquitur. *) 2. Timo. 2.

et Ebrae. 11: Oportet accedentem credere, quod Deus sit, et in se sperantibus remunerator sit.

Itaque fides Christiana prorsus exstinguitur, promissiones Dei et universum Evangelium penitus corruit, si doceamur et credimus, non esse nobis sciendam praescientiam Dei necessariam necessitatemque faciendorum. Christianorum enim haec una et summa consolatio est in omnibus adversitatibus nosse, quod Deus non mentitur, sed immutabiliter omnia facit, et voluntati eius neque resisti, neque eam mutari aut impediri posse. Tu nunc vide, mi Erasme, quorsum nos tua illa abstinentissima, pacis amicissima theologia ducat. Tu avocas et vetas nos eo niti, ut praescientiam Dei et necessitatem in rebus et hominibus discamus, sed consulis talia relinquere, vitare et contemnere. Qua opera tua inconsulta simul nos doces, ut ignorantiam Dei, quae sua sponte venit et agnata quoque est, quaeramus, fidem contemnamus, promissiones Dei deseramus, omnia solatia spiritus et certitudines conscientiae nihili faciamus, qualia vix Epicurus ipse praescriberet.

Deinde hoc non contentus irreligiosum, curiosum vanumque vocas, qui talibus studuerit cognoscendis, religiosum vero, pium ac sobrium, qui contempserit. Quid his verbis igitur aliud struis, quam Christianos esse curiosos, vanos et irreligiosos? Christianismum esse rem prorsus nullius momenti, vanam et stultam ac plane impiam? Ita fit iterum, ut, dum nos maxime deterrere vis a temeritate, more stultorum in contrarium raptus nihil doces, nisi summas temeritates, impietates, perditiones. Sentisne in hac parte libellum tuum esse adeo impium, blasphemum ac sacrilegum, ut nullum habeat uspiam similem?

Non de animo tuo dico, ut supra dixi, neque enim sic perditum te existimo, quod haec velis docere aut fieri ex animo, sed ut ostenderem tibi, quanta portenta cogatur imprudenter effutire, qui malam causam susceperit agendam: deinde quid sit in divinas res et literas impingere, dum aliorum obsequio personam sumimus et invita conscientia

alienae scenae servimus. Non est ludus neque iocus, sacras literas et pietatem docere, facillime enim hic contingit lapsus ille, de quo Iacobus*) dicit: Qui offendit in uno, fit omnium reus. Ita fit enim, ut, cum modicum videamur velle nugari nec satis reverenter sacras literas habemus, mox impietatibus involvamur, blasphemiisque immergamur, sicut hic tibi contigit, Erasme, Dominus ignoscat tibi et misereatur tui.

Quod vero Sophistae in his rebus tot quaestionum examina pepererunt, et multa alia inutilia miscuerunt, qualia multa recenses, scimus et confitemur tecum, acriusque insectati sumus et magis quam tu, sed tu imprudenter et temere facis, qui puritatem sacrarum rerum misces, confundis et assimilas cum profanis et stultis quaestionibus impiorum. Conspurcarunt illi aurum et mutaverunt colorem bonum, ut Ieremias ait, sed non simul aurum cum stercore comparandum et abiiciendum est, ut tu facis. Vindicandum aurum ab illis, et secernenda pura Scriptura ab illorum faecibus et sordibus, id quod mei semper fuit studii, ut alio loco haberentur divinae literae, alio illorum nugae. Nec nos movere debet, quod nihil istis quaestionibus profectum sit, nisi quod magno concordiae dispendio minus amamus, dum plus satis volumus sapere. Nobis non est quaestio, quid Sophistae quaestionarii profecerint, sed quomodo nos boni et Christiani fiamus, nec debes doctrinae Christianae imputare, quod impii male agunt. Ea enim nihil sunt ad propositum, et poteras alio loco dicere, et papyro parcere.

Tertio capite pergis, nos modestos et quietos illos Epicuros reddere, alio genere consilii, nec sanioris, quam sunt praedicta duo, videlicet, quod quaedam eius generis sunt, ut etiam, si vera essent et sciri possent, non tamen expediret ea prostituere promiscuis auribus.

Et hic iterum confundis et misces omnia, more

---

*) Iacob. 1.

tuo, ut profanis aeques sacra, nullo prorsus discrimine, iterum lapsus in Scripturae et Dei contemptum et iniuriam. Dixi superius, ea, quae sacris literis aut traduntur aut probantur, esse non modo aperta, sed et salutaria, ideo tuto invulgari, disci et sciri posse, imo debere, ut falsum sit, quod dicis, non esse prostituenda promiscuis auribus, si de iis, quae in Scriptura sunt, dicis, nam de aliis si dixeris, nihil ad nos nec in loco dixeris, sed verbis chartas et tempora perdis. Deinde nosti, mihi cum Sophistis nulla in re convenire, ut merito mihi parceres, nec eorum abusus mihi obiiceres, contra me enim in libro isto tibi dicendum erat. Scio quid peccent Sophistae nec te magistro opus habeo, et satis sunt a me reprehensi. Hoc semel dictum velim ac repetitum, quoties me Sophistis misces, et causam meam illorum insania gravas, inique enim facis, quod optime nosti.

Iam videamus rationes consilii tui, Deum esse secundum naturam in antro scarabei vel etiam cloaca (quod tu vereris dicere, et arguis Sophistas ita garrire) non minus quam in coelo, etiamsi verum esset, putas tamen irrationabiliter disputari apud multitudinem.

Primum garriant, qui garriant[1]), nos non de facto hominum hic disputamus, sed de iure et lege, non ut vivamus, sed ut vivere debeamus. Quis nostrum ubique recte vivit et agit? At ideo ius et doctrina non damnatur, sed nos potius damnat. Sed tu ista peregrina longe petis et undique corradis multa, quod te male habet unus ille locus de praescientia Dei, quem cum nulla ratione potes vincere, multiloquio inani lectorem interim fatigare conaris. Sed eant illa, ad rem redeamus. Quorsum igitur hoc tendit, ut quaedam non vulganda censeas? An causam liberi arbitrii inter ea numeras? Tum redibit contra te totum, quod supra dixi de necessitate discendi liberi arbitrii; deinde cur tu ipse te non sequeris et omittis diatriben tuam?

1) In ed. Ien.: garriunt.

Si bene facis liberum arbitrium tractando, cur vituperas? si malum est, cur facis? Si vero non inter ea numeras, iterum causae statum interim fugis, et non in loco verbosus orator aliena tractas.

Nec tamen recte hoc exemplum tractas, et inutiliter disputari coram multitudine damnas illud, Deum esse in antro vel cloaca, nimis enim humana cogitas de Deo. Fateor quidem, esse quosdam leves concionatores, qui nulla religione aut pietate, sed vel cupiditate gloriae, aut studio novitatis alicuius, aut impatientia silentii levissime garriunt ac nugantur: at ii non placent neque Deo neque hominibus, etiamsi Deum asserant esse in coelo coelorum. Verum ubi graves et pii concionatores sint, qui modestis, puris et sanis verbis docent, illi sine periculo, imo magno fructu tale coram multitudine dicunt. Nonne oportet nos omnes docere, Filium Dei fuisse in utero virginis et natum ex ventre? At quantum distat venter humanus ab alio quovis immundo loco? Et quis non foede ac turpiter posset illum definire? At illos merito damnamus, cum abundent verba pura, quibus eam necessitatem etiam cum decore et gratia dicimus. Item Christi ipsius corpus fuit humanum, sicut nostrum; quo quid foedius? Num ideo non dicemus, Deum habitasse corporaliter in eo, quod Paulus dixit? Quid foedius morte? Quid horribilius inferno? At Propheta Deum esse secum in morte et in inferno sibi adesse gloriatur.

Igitur pius animus non exhorret audire, Deum esse in morte vel in inferno, quorum utrumque horribilius ac foedius est antro vel cloaca. Imo cum Scriptura testetur, Deum esse ubique et replere omnia, non solum dicit eum esse in locis illis, verum necessario discet et noscet eum ibi esse: nisi forte, si qua per tyrannum captus in carcerem aut in cloacam proiicerer, quod multis Sanctis contingit, non mihi licebit Deum ibi invocare, vel credere mihi adesse, donec venero in templum aliquod ornatum. Si ita nugandum de Deo nos docueris, et locis essentiae eius offenderis, nec in

coelo eum nobis residere tandem permittes, neque enim coeli coelorum eum capiunt, neque digni sunt. Verum, ut dixi, more tuo sic odiose pungis, ut causam nostram graves et exosam reddas, quod videres eam tibi insuperabilem et invictam.

Alterum exemplum, tres esse Deos, fateor esse offendiculo, si doceatur, nec est verum, nec Scriptura docet, sed Sophistae sic loquuntur, et novam Dialecticam finxerunt. Verum haec quid ad nos?

Reliquum de confessione et satisfactione, mirum est, quam felici prudentia causeris, et ubique, sicut soles, super aristas graderis, ne videare nec nostra simpliciter damnare, nec Pontificum tyrannidem offendere. Id quod tibi minime tutum est. Itaque sepositis interim Deo et conscientia (quid enim ad Erasmum, quid ille in his rebus velit, et quid huic expediat) in larvam externam ruis, et vulgus accusas, quod praedicatione liberae confessionis et satisfactionis pro sua malitia abutitur in libertatem carnis, necessitate vero confitendi (ut dicis) utcunque cohibetur. O praeclara et egregia ratio. Hoccine est theologiam docere? animas ligare legibus, et (ut Ezechiel dicit) mortificare, quae ligatae non sunt a Deo. Scilicet hac ratione nobis suscitas universam tyrannidem pontificiarum legum, tanquam utilem et salutarem, quia et illis quoque cohibetur vulgi malitia.

Sed nolo invehi, quemadmodum meretur hic locus; rem breviter dicam, bonus theologus sic docet: Vulgus coercendum est externa vi gladii, ubi male egerit, sicut Paulus docet Rom. 13, non autem conscientiae eorum falsis legibus irretiendae sunt, ut peccatis divexentur, ubi peccata non esse Deus voluit. Solius enim Dei praecepto conscientiae ligantur, ut media illa tyrannis Pontificum, quae falso terret et occidit animas intus et foris frustra fatigat corpus, e medio prorsus tollatur; quia etsi foris cogit ad confessionem aliaque onera, tamen per haec animus non cohibetur, sed magis exasperatur ad odium Dei et hominum. Et frustra in externis excarnificat corpus facitque meros hypocritas, ita

ut legum eiusmodi tyranni aliud non sint, quam lupi rapaces, fures et latrones animarum. Et hos tu bonus animarum consul nobis commendas rursus, hoc est, autor es crudelissimorum animicidarum, ut mundum hypocritis, Deum blasphemantibus et contemnentibus in corde repleant, ut foris in modico coerceantur, quasi alius modus coercendi non sit, qui nullos hypocritas facit, et sine conscientiarum perditione fit, ut dixi.

Hic allegas similitudines, quibus vis abundare et aptissime uti videri, esse scilicet morbos, qui minore malo tolerentur, quam tollantur, ut lepra etc.; item addis exemplum Pauli, qui discreverit inter ea, quae licent et quae expediunt, licet (inquis) verum dicere, verum non expedit apud quosvis, nec quolibet tempore, nec quovis modo.

Quam copiosus orator, nihil tamen intelligens, quid loquaris, in summa sic agis causam hanc, quasi res tibi mecum esset de periculo pecuniae reparabilis aut alterius cuiuspiam rei levissimae, cuius dispendio, tanquam longe vilioris, quam sit externa illa pax, non debeat ullus adeo moveri, quin cedat, faciat, patiatur, pro loco, ne sic tumultuari necesse sit mundum. Plane igitur significas, pacem istam et tranquillitatem carnis tibi longe praestantiorem videri, quam fidem, quam conscientiam, quam salutem, quam verbum Dei, quam gloriam Christi, quam Deum ipsum. Ideo dico tibi, atque hoc sensibus imis reponas oro, mihi rem seriam et necessariam aeternamque in hac causa peti, talem ac tantam, ut eam assertam et defensam oporteat per mortem quoque, etiamsi mundus totus non solum conflictari et tumultuari debeat, verum etiam in unum chaos[1]) ruere et in nihilum redigi. Haec si tu non capis vel non afficeris, tuam rem age, et sine illos capere et affici, quibus Deus dedit.

Neque enim ego, Dei gratia, tam stultus et

1) In ed. 1525: cahos.

insanus sum, qui ob pecuniam, quam nec habeo nec cupio, aut ob gloriam, quam si vellem, non possem in mundo sic mihi infenso obtinere, aut ob vitam corporis, quae nullo momento mihi certa esse potest, tanto animo, tanta constantia, quam tu pervicaciam vocas, per tot pericula vitae, per tot odia, per tot insidias, breviter per furias hominum et daemonum, hanc causam tam diu agere et sustinere vellem. An tibi soli putas esse cor, quod istis tumultibus commovetur? Nec nos saxei sumus, aut ex Marpesiis cautibus nati. Sed quando aliter fieri non potest, praeelegimus[1]) temporali tumultu collidi, hilares in gratia Dei ob verbum Dei invicto et incorruptibili animo asserendum, quam aeterno tumultu, sub ira Dei, cruciatu intolerabili conteri. Christus faxit, ut animus tuus talis non sit, sicut opto et spero, certe verba tua sic sonant, quasi cum Epicuro fabulas esse putes verbum Dei et futuram vitam, dum magisterio tuo nobis autor esse vis, ut gratia Pontificum et Principum vel pacis huius certissimum verbum Dei pro loco intermittamus et cedamus, quo intermisso Deum, fidem, salutem et omnia Christiana intermittimus, quanto rectius Christus nos monet, ut potius totum mundum contemnamus.

Tu dicis vero talia, quod non legis vel non observas, hanc esse fortunam constantissimam verbi Dei, ut ob ipsum mundus tumultuetur. Idque palam asserit Christus, Non veni (inquit) pacem mittere, sed gladium, et in Luca: Ignem veni mittere in terram; et Paulus 1. Corinth. 6: In seditionibus etc.; et Propheta Psalmo 2. idem copiose testatur asserens, tumultuari gentes, fremere populos, insurgere reges, conspirare principes adversus Dominum et adversus Christum eius, quasi dicat, multitudo, altitudo, opes, potentia, sapientia, iustitia, et quicquid est sublime in mundo, sese opponit verbo Dei. Vide in Actis apostolorum, quid accidat in mundo ob unius Pauli (ut alios Apostolos taceam) verbum,

1) In ed. 1525 et Ien.: praeeligimus.

quam unus ille et Gentes et Iudaeos commovet, seu, ut ibidem ipsimet hostes dicunt, totum orbem conturbat. Sub Elia turbatur regnum Israel, ut rex Ahab queritur; quantus tumultus fuit sub aliis prophetis, dum omnes occiduntur vel lapidantur, dum Irael ducitur captivus in Assyrios, item dum Iuda in Babylonem? Haeccine pax fuit? Mundus et Deus eius verbum Dei veri ferre non potest, nec vult, Deus verus tacere nec vult nec potest, quid iam illis duobus diis bellantibus nisi tumultus fieret in toto mundo?

Hos igitur tumultus velle sedare aliud nihil est, quam velle verbum Dei tollere et prohibere. Sermo enim Dei venit mutaturus et innovaturus orbem, quoties venit. At etiam gentiles scriptores testantur, mutationes rerum sine motu et tumultu, imo sine sanguine fieri non posse. Christianorum iam est, haec praesenti animo exspectare et ferre, sicut Christus*) dicit: Cum audieritis proelia et rumores proeliorum, nolite terreri, oportet primum haec fieri, sed nondum statim finis. Et ego, nisi istos tumultus viderem, verbum Dei in mundo non esse dicerem, nunc cum videam, gaudeo ex animo et contemno, certissimus, quod Papae regnum cum suis adhaerentibus ruiturum sit, nam hoc invasit potissimum sermo Dei, qui nunc currit. Video sane te, mi Erasme, in multis libris queri de istis tumultibus, de amissa pace et concordia, deinde multa conaris, ut medearis, bono (ut equidem credo) animo, sed ridet medicas tuas ista podagra manus; hic enim vere, quod dicis, contra fluvium navigas, imo stipula incendium restinguis. Desine queri, desine mederi, tumultus ille divinitus et ortus est et geritur, non desiturus, donec ut lutum platearum reddat omnes adversarios verbi, quanquam dolendum est, ut opus sit te tantum theologum ista moneri quasi discipulum, qui aliorum magister esse debueras.

---

*) Matth. 24.

Huc igitur tua pertinet gnome satis pulchra, morbos quosdam minore malo tolerari, quam tolli, qua tu non uteris apposite; morbos tolerabiles minore malo dicito tumultus istos, motus, turbationes, seditiones, sectas, discordias, bella, et si qua talia sunt, quibus propter verbum Dei totus concutitur et colliditur orbis. Haec, inquam, minore malo, cum sint temporalia, tolerantur, quam veteres et mali mores, quibus necesse est omnes animas perire, nisi verbo Dei mutarentur, quo sublato aeterna bona, Deus, Christus, Spiritus tollerentur. Quanto vero praestat mundum amittere, quam Deum creatorem mundi, qui innumerabiles mundos creare denuo potest, et infinitis mundis melior est? Quae enim comparatio temporalium ad aeterna? Haec igitur lepra potius est ferenda temporalium malorum, quam ut trucidatis omnibus animabus aeternaliterque damnatis mundus ab his tumultibus, illarum sanguine et perditione, pacaretur et curaretur, cum una anima totius mundi pretio redimi nequeat. Bellas habes et egregias similitudines et gnomas, sed cum in rebus sacris agis, pueriliter, imo perverse applicas, humi enim reptas, et nihil super humanum captum cogitas. Non enim puerilia, neque civilia vel humana sunt, quae Deus operatur, sed divina, quae captum humanum excedunt. Velut hos tumultus et sectas non vides divino consilio et opere per mundum grassari, et metuis, ne coelum ruat; ego vero, Deo gratia, bene video, quia alios maiores in futuro seculo video, quorum comparatione isti velut tenuis aurae sibilus esse videntur aut lenis aquae susurrus.

At dogma de confessionis et satisfactionis libertate vel negas vel nescis esse verbum Dei.

Haec alia quaestio est, nos tamen scimus et certi sumus, esse verbum Dei, quo libertas Christiana asseritur, ne traditionibus humanis et legibus sinamus nos illaqueari in servitutem. Quod alias abunde docuimus, et, si voles experiri, parati sumus et tibi dicere vel conserere manus, exstant nostri libelli super his rebus non pauci.

At simul in caritate iuxta tolerandae et servandae leges Pontificum, si sic forte sine tumultu constare possit et aeterna salus per verbum Dei et pax mundi.

Dixi supra, fieri id non posse, princeps mundi Papam et Pontifices suos non sinit eorum leges libere servari, sed conscientias captare et ligare in animo habet, hoc Deus verus ferre non potest. Ita implacabili discordia verbum Dei et traditiones hominum pugnant, non aliter atque Deus ipse et Satan sibi invicem adversantur, et alter alterius opera dissolvit et dogmata subruit, tanquam si duo reges alter alterius regnum populetur. Qui non est mecum, ait Christus*), contra me est.

Quod vero metus sit, multos, qui ad flagitia proni sunt, abusuros ea libertate, hoc referetur ad tumultus illos, tanquam pars leprae istius temporalis tolerandae et mali ferendi, nec tanti habendi sunt, ut propter ipsorum abusum cohibendum verbum Dei tollatur. Si non omnes servari possunt, aliqui tamen servantur, propter quos verbum Dei venit, hi amant eo ferventius et consentiunt sanctius. Quid enim malorum et antea non fecerunt impii homines, cum nullum verbum esset? imo quid boni fecerunt? An non semper mundus bello, fraude, violentia, discordia et omnibus sceleribus inundavit? ita, ut Micheas**) optimum inter eos spinae comparet, quid putas reliquos vocaret? Nunc vero venienti Evangelio imputari incipit, quod mundus malus sit, cum verius Evangelio bono elucescat, quam malus fuerit, dum sine Evangelio in tenebris suis ageret. Sic illiterati literis tribuant[1]), quod illis florentibus eorum inscitia innotescit. Haec est gratia, quam rependimus[2]) verbo vitae et salutis. Quantum vero putamus fuisse timorem apud Iudaeos, cum Evangelium absolveret omnes a lege Mosi?

---

*) Lucae 11. **) Mich. 7. 1) In ed. Ien.: tribuunt. 2) In ed. a. 1526: reprehendimus, in ed. 1525: rependimus.

Quid hic libertas tanta non videbatur permissura malis hominibus? At propterea non est omissum Evangelium, sed impii relicti, piis vero dictum, ne in occasionem carnis concederent libertatem.

Nec ista pars consilii vel remedii tui valet, ubi dicis: Licet verum dicere, sed non expedit apud quoslibet, nec quovis tempore nec quovis modo; et satis inepte Paulum adducis, ubi dicit*): Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

Non enim Paulus de doctrina aut docenda veritate ibi loquitur, sicut tu eius verba confundis et trahis quolibet. Quin veritatem ille vult ubique, quovis tempore, quovis modo dici, ita ut etiam gaudeat Christum praedicari per occasionem et invidiam, palamque testetur ipso verbo**), Quovis modo Christus praedicetur, sese gaudere. Paulus loquitur de facto et usu doctrinae, nempe de libertatis Christianae iactatoribus, qui sua quaerentes scandali rationem et offensionis infirmorum nullam habebant. Veritas et doctrina semper, palam, constanter praedicanda, nunquam obliquanda celandave est, nullum est enim in ea scandalum, est enim virga rectitudinis. Et quis tibi fecit potestatem aut ius dedit doctrinae Christianae locis, personis, temporibus, causis alligandae, cum Christus eam velit liberrimam in orbe vulgari et regnare? Non est enim verbum Dei alligatum, ait Paulus, et Erasmus verbum alligabit? Nec dedit nobis Deus verbum, quod locorum, personarum, temporum delectum habeat, cum dicat Christus: Ite in universum mundum, non ait: Ite aliquo, et aliquo non, sicut Erasmus; item: Praedicate Evangelium omni creaturae, non ait: Apud aliquos, apud aliquos non. Summa, tu nobis prosopolepsias, topolepsias et tropolepsias, Kaerolepsias[1]) in verbo Dei ministrando praescribis, cum una haec sit magna pars gloriae verbi, quod nulla est (ut Paulus ait) prosopolepsia, et Deus personas

*) 1. Corinth. 16. **) Philipp. 1. 1) In ed. 1525 et 1526: Chaerolepsias.

non respicit. Vides iterum, quam temere irruas in verbum Dei, quasi tuas cogitationes et consilia longissime illi praeferas.

Iam, si a te petamus, ut discernas nobis tempora, personas et modos dicendi veri, quando definies? Ante suum clauso componet tempore finem mundus, quam tu unam regulam certam statueris, ubi interim manet docendi officium? ubi animae docendae? Et quomodo posses, qui nec personarum, nec temporum, nec modorum rationem ullam noris? Ac si maxime noris, hominum corda tamen non nosti, nisi is sit tibi modus, hoc tempus, haec persona, ut sic doceamus verum, ne Papa indignetur, ne Caesar irascatur, ne moveantur Pontifices et Principes, tum ne tumultus et motus fiant in orbe, ne multi offendantur et peiores fiant. Hoc quale sit consilium, supra vidisti, sed libuit ita verbis inutilibus rhetoricari, ne nihil diceres.

Quanto igitur nos [1] miseri homines Deo hanc tribueremus gloriam, qui omnium corda novit, ut ipse dicendi veri modum, personas et tempora praescriberet. Ipse enim novit, quid, quando, quomodo, cuique dicendum sit. Nunc vero sic praescripsit, ut Evangelium suum omnibus necessarium nullo loco, nullo tempore praescriberetur, sed apud omnes, omni tempore, omni loco praedicaretur. Et supra probavi ea, quae in Scripturis prodita sunt, talia esse, quae omnibus exposita et invulganda necessario et salubria sunt, sicut et in tua Paraclesi, meliore tunc quam nunc consilio, ipse statuisti. Hi qui animas redemptas nolunt, sicut Papa cum suis, illorum esto verbum Dei alligare, et homines vita et regno coelorum prohibere, ne ipsi intrent, nec alios intrare sinant, quorum furori tu, Erasme, hoc consilio tuo perniciose inservis.

Eadem prudentia est, qua deinde consulis, non debere profiteri, si quid perperam in Consiliis esset

1) In ed. Ien.: igitur satius nos.

definitum, ne ansa contemnendi praeberetur autoritatem Patrum.

Hoc scilicet Papa voluit a te dici, et audit libentius quam Evangelium, ingratissimus, si te Cardinali pileo cum censibus non rursus honorarit. Sed interim, Erasme, quid facient animae iniquo illo statuto ligatae et occisae? Nihil hoc ad te? Verum tu perpetuo sentis, vel fingis te sentire, humana statuta posse citra periculum iuxta purum verbum Dei servari, quod si possent, facile pedibus in tuam hanc sententiam irem. Si itaque ignoras, iterum dico: Humana statuta non possunt servari cum verbo Dei, quia illa ligant conscientias, hoc solvit eas, pugnantque sibi mutuo, sicut aqua et ignis, nisi libere, id est, ut non ligantia serventur. Id quod Papa non vult nec potest velle, nisi perditum et finitum regnum suum volet, quod constat non nisi laqueis et vinculis conscientiarum, quas Evangelium liberas asserit. Igitur Patrum autoritas susque deque facienda est, et statuta perperam lata, qualia sunt omnia praeter verbum Dei definita, dirumpenda et proiicienda sunt. Christus enim Patrum autoritate potior est. Summa, si de verbo Dei sic sentis, impie sentis, si de aliis, nihil ad nos verbosa disputatio consilii tui, nos de verbo Dei disputamus.

Ultima parte praefationis serio nos deterrens ab isto genere doctrinae arbitraris paene victoriam tibi partam.

Quid (inquis) inutilius, quam hoc paradoxon evulgari mundo: Quidquid fit a nobis, non libero arbitrio, sed mera necessitate fieri? Et illud Augustini, Deum operari bona et mala in nobis, sua bona opera remunerare in nobis, et sua mala opera punire in nobis. Dives hic es in reddenda vel potius expostulanda ratione, quantam (inquis) fenestram vulgo haec vox prodita mortalibus aperiret ad impietatem? Quis malus corriget vitam suam? Quis credet se amari a Deo? Quis pugnabit cum carne sua?

Miror, quod in tanta vehementia et contentione

non etiam causae memineris et dixeris: Ubi tum manebit liberum arbitrium? Mi Erasme, iterum et ego dico: Si haec paradoxa ducis hominum esse inventa, quid contendis? quid aestuas? contra quem dicis? An est ullus in orbe hodie, qui vehementius hominum dogmata sit insectatus, quam Lutherus? Igitur nihil ad nos ista monitio. Si autem Dei verba esse credis ea paradoxa, ubi est frons tua? ubi pudor, ubi, non dico iam, modestia illa Erasmi, sed timor et reverentia Deo vero debita? qui dicis, nihil inutilius dici posse hoc verbo Dei? Scilicet, Creator tuus a te creatura sua discet, quid utile et inutile sit praedicatu, ac stultus ille vel imprudens Deus hactenus nescierit, quid doceri oporteat, donec tu Magister eius modum illi praescriberes sapiendi et mandandi; quasi ipse ignorasset, nisi tu docuisses, sequi ad hoc paradoxon, quae tu infers. Si igitur Deus talia voluit palam dici et invulgari, nec spectari, quid sequeretur, tu quis es, qui vetes?

Paulus apostolus in epistola ad Romanos non in angulum, sed in publicum ac coram toto mundo, liberrimo ore, eadem etiam durioribus verbis palam disserit, dicens*): Quos vult, indurat; et iterum: Deus volens notam facere iram suam etc. Quid durius (sed carni) illo Christi verbo**): Multi vocati, pauci electi? et iterum***): Ego scio quos elegerim. Scilicet haec omnia talia sunt, te autore, ut nihil possit inutilius dici, quod videlicet hinc ad desperationem et odium et blasphemiam prolabantur homines impii.

Hic, ut video, Scripturae veritatem et utilitatem pensandam et iudicandam esse censes secundum sensum hominum, eorumque non nisi impiissimorum, ut, quod illis placuerit vel tolerabile fuerit visum, id demum verum, id divinum, id salutare sit, quod contra, id mox inutile, falsum et perniciosum. Quid hoc consilio quaeris, nisi ut verba Dei pendeant,

---

*) Rom. 9. **) Matth. 20. ***) Iohan. 12.

stent, cadantque arbitrio et autoritate hominum? cum contra Scriptura dicat, arbitrio Dei et autoritate stare, cadere omnia, denique a facie Domini silere omnem terram. Sic loqui deberet, qui Deum vivum imaginaretur nihil esse, nisi levem et imprudentem aliquem rabulam in aliquo suggesto declamantem, cuius verba liceat, si velis, quorsum libuerit, interpretari, acceptare, refutare, secundum quod videret impios homines illis moveri vel affici.

Plane hic prodis, mi Erasme, quam ex animo superius venerandam divinorum iudiciorum maiestatem suaseris, ubi, cum de Scripturae dogmatibus ageretur, et nihil opus esset, abstrusa et occulta revereri, eo quod nulla sint talia, satis religiosis verbis nobis Corycios specus interminabas[1]), ne irrumperemus curiose, ut metu paene ab universa Scriptura legenda absterreres, ad quam legendam sic urgent et suadent Christus et apostoli atque tu ipse alibi. Hic vero, ubi non ad Scripturae dogmata, nec ad Corycium specum solum, sed revera ad reverenda maiestatis divinae secreta perventum est, nempe, cur sic operetur, ut dictum est, ibi ruptis repagulis irruis, tantum non blasphemans, quid non indignationis ostendis erga Deum, quod talis iudicii sui consilium et rationem non licet videre? Cur hic non etiam obscuritates et ambiguitates praetexis? Cur non ab inquirendis illis contines ipse et absterres alios, quae Deus occulta nobis esse voluit et Scripturis non prodidit? Hic oportuit os digito compescere, revereri, quod lateret, adorare secreta maiestatis consilia, et cum Paulo*) clamare: O homo, tu quis es, qui contendas cum Deo?

Quis (inquis) studebit corrigere vitam suam? Respondeo: Nullus hominum, neque etiam ullus poterit, nam correctores tuos sine spiritu Deus nihil moratur, cum sint hypocritae, corrigentur autem electi et pii per Spiritum sanctum, ceteri incorrecti peribunt. Neque enim Augustinus dicit, nullorum

1) In ed. Ien.: interminabaris. *) Rom. 9.

aut omnium opera bona coronari, sed aliquorum, ideo non erunt nulli, qui corrigant vitam suam.

Quis credet (inquis) a Deo se amari? Respondeo: Nullus hominum credet, neque poterit, electi vero credent, ceteri non credentes peribunt, indignantes et blasphemantes, sicut tu hic facis, non igitur nulli erunt, qui credent.

Quod vero his dogmatibus fenestra aperitur ad impietatem: esto, illi pertineant ad lepram superius dictam tolerandi mali. Nihilominus simul eisdem aperitur porta ad iustitiam, et introitus ad coelum, et via ad Deum, pro piis et electis. Quod si tuo consilio istis dogmatibus abstinuerimus, et hominibus verbum hoc Dei absconderimus, ut unusquisque falsa persuasione salutis illusus Deum non disceret timere, et humiliari, ut per timorem tandem ad gratiam et amorem veniret, tum pulchre clauserimus fenestram tuam, verum loco eius aperiremus nobis et omnibus valvas, imo hiatus et voragines, non modo ad impietatem, sed ad inferni profunda; sic ipsi nec intraremus in coelum, tum alios intrantes prohiberemus.

Quae igitur utilitas aut necessitas talia invulgandi, cum tot mala videantur inde provenire?

Respondeo: Satis erat quidem dicere: Deus voluit ea vulgari, voluntatis vero divinae rationem quaerendam non esse, sed simpliciter adorandam, data gloria Deo, quod, cum sit iustus et sapiens solus, nulli faciat iniuriam, nec stulte aut temere quippiam agere possit, licet nobis longe secus appareat. Hac responsione pii sunt contenti, tamen ut ex abundantia supererogemus, duae res exigunt talia praedicari[1]), prima est humiliatio nostrae superbiae et cognitio gratiae Dei, altera ipsa fides Christiana. Primum Deus certo promisit humiliatis, id est, deploratis et desperatis, gratiam suam. Humiliari vero penitus non potest homo, donec sciat, prorsus extra suas vires, consilia, studia, vo-

1) In ed. 1526: praedicare.

luntatem, opera, omnino ex alterius arbitrio, consilio, voluntate, opere suam pendere salutem, nempe Dei solius. Siquidem, quamdiu persuasus fuerit, sese vel tantulum posse pro salute sua, manet in fiducia sui, nec de se penitus desperat, ideo non humiliatur coram Deo, sed locum, tempus, opus aliquod sibi praesumit, vel sperat, vel optat saltem, quo tandem perveniat ad salutem. Qui vero nihil dubitat, totum in voluntate Dei pendere, is prorsus de se desperat, nihil eligit, sed exspectat operantem Deum, is proximus est gratiae, ut salvus fiat. Itaque propter electos ista vulgantur, ut isto modo humiliati et in nihilum redacti salvi fiant, ceteri resistunt humiliationi huic, imo damnant doceri hanc desperationem sui, aliquid vel modiculum sibi relinqui volunt, quod possint; hi occulte manent superbi et gratiae Dei adversarii. Haec est, inquam, una ratio, ut pii promissionem gratiae humiliati cognoscant, invocent et accipiant.

Altera est, quod fides*) est rerum non apparentium; ut ergo fidei locus sit, opus est, ut omnia, quae creduntur, abscondantur, non autem remotius absconduntur, quam sub contrario obiectu, sensu, experientia. Sic Deus, dum vivificat, facit illud occidendo, dum iustificat, facit illud reos faciendo, dum in coelum vehit, facit id ad infernum ducendo, ut dicit Scriptura: Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, 1. Samuel. 2[1]), de quibus nunc non est locus prolixius dicendi. Qui nostra legerunt, habent haec sibi vulgatissima. Sic aeternam suam clementiam et misericordiam abscondit sub aeterna ira, iustitiam sub iniquitate.

Hic est fidei summus gradus, credere illum esse clementem, qui tam paucos salvat, tam multos damnat, credere iustum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit, ut videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum et odio potius quam amore dignus. Si igitur possem ulla ratione com-

*) Ebrae. 11. 1) In ed. a. 1525 et 1526: 1 Reg. 2.

prehendere, quomodo is Deus sit misericors et iustus, qui tantam iram et iniquitatem ostendit, non esset opus fide. Nunc, cum id comprehendi non potest, sit locus exercendae fidei, dum talia praedicantur et invulgantur, non aliter quam, dum Deus occidit, fides vitae in morte exercetur. Haec nunc in praefatione satis.

Hoc modo rectius disputantibus in istis paradoxis consulitur, quam tuo consilio, quo per silentium et abstinentiam vis illorum impietati consulere, quo tamen nihil proficis. Nam si vel credas vel suspiceris esse vera (cum sint non parvi momenti paradoxa), quae est mortalium insaturabilis cupido scrutandarum secretarum rerum, tum maxime, cum maxime occultatas[1]) volumus, facies hac monitione tua evulgata, ut multo magis nunc velint omnes scire, an vera sint ea paradoxa, scilicet, tua contentione accensi, ut nullus nostrum hactenus tantam ansam praestiterit ea vulgandi, quantam tu hac religiosa et vehementi monitione. Prudentius multo fecisses, si prorsus tacuisses de his paradoxis cavendis, si votum tuum ratum voluisses. Actum est, postquam non prorsus negas esse vera, occultari non poterunt, sed suspicione veritatis omnes ad sese investiganda allicient; vel ergo nega illa esse vera, vel tu prior tace, si alios tacere voles.

Alterum paradoxon, quidquid fit a nobis, non libero arbitrio, sed mera necessitate fieri, breviter videamus, ne perniciosissimum dici patiamur. Hic sic dico, ubi id probatum fuerit, extra vires et consilia nostra, in solius opere Dei pendere salutem nostram, quod infra in corpore disputationis spero me evicturum, nonne clare sequitur, dum Deus opere suo in nobis non adest, omnia esse mala, quae facimus, et nos necessario operari, quae nihil ad salutem valent? Si enim non nos, sed solus

1) In ed. 1526: secretarum rerum, tum maxime occultatas. Nostra lectio repetita est ex ed. 1525 et ex ed. Ien.

Deus operatur salutem in nobis, nihil ante opus eius operamur salutare, velimus, nolimus. Necessario vero dico, non coacte, sed, ut illi dicunt, necessitate immutabilitatis, non coactionis, hoc est, homo cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, quemadmodum fur aut latro nolens ad poenam ducitur, sed sponte et libenti voluntate facit. Verum hanc libentiam seu voluntatem faciendi non potest suis viribus omittere, coercere aut mutare, sed pergit volendo et lubendo, etiam si ad extra cogatur aliud facere, per vim, tamen voluntas intus manet aversa, et indignatur cogenti aut resistenti. Non autem indignaretur, si mutaretur ac volens vim sequeretur. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, id est, quod voluntas sese mutare et vertere alio non possit, sed potius irritetur magis ad volendum, dum ei resistitur, quod probat eius indignatio. Hoc non fieret, si esset libera vel haberet liberum arbitrium. Interroga experientiam, quam sint impersuasibiles, qui affecti aliqua re haerent; aut si cedunt, vi vel maiore alterius rei commodo cedunt, nunquam libere cedunt, si autem affecti non sunt, sinunt ire et fieri quaecunque eunt ac fiunt.

Rursus ex altera parte si Deus in nobis operatur, mutata et blande assibilata per spiritum Dei voluntas iterum mera lubentia et pronitate ac sponte sua vult et facit, non coacte, ut nullis contrariis mutari in aliud possit, ne portis quidem inferi vinci aut cogi, sed pergit volendo et lubendo et amando bonum, sicut antea voluit et libuit et amavit malum. Quod iterum probat experientia, quam invicti et constantes sint viri sancti, dum per vim ad alia coguntur, ut magis inde irritentur ad volendum, sicut ignis a vento magis inflammatur quam exstinguitur, ut nec hic sit ulla libertas vel liberum arbitrium alio sese vertendi, aut aliud volendi, donec durat spiritus et gratia Dei in homine.

Summa, si sub Deo huius seculi sumus, sine opere et spiritu Dei veri, captivi tenemur ad ipsius

voluntatem, ut Paulus ad Timotheon[1]) dicit, ut non possimus velle, nisi quod ipse velit, ipse enim fortis est ille armatus*), qui atrium suum sic servat, ut in pace sint quos possidet, ne ullum motum aut sensum contra eum concitent, alioqui regnum Satanae in se divisum non staret, quod tamen Christus affirmat stare, idque facimus volentes et lubentes, pro natura voluntatis, quae si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potius est (ut sic dicam) noluntas. Si autem fortior superveniat, et illo victo nos rapiat in spolium suum, rursus per spiritum eius servi et captivi sumus (quae tamen regia libertas est), ut velimus et faciamus lubentes quae ipse velit. Sic humana voluntas in medio posita est, ceu iumentum, si insederit Deus, vult et vadit quo vult Deus, ut Psalmus*) dicit: Factus sum sicut iumentum et ego semper tecum.' Si insederit Satan, vult et vadit quo vult Satan, nec est in eius arbitrio ad utrum sessorem currere, aut eum quaerere, sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum et possidendum.

Quid si ex tuis ipsius verbis, quibus liberum arbitrium asseris, probavero, nullum esse liberum arbitrium? ut convincam, te imprudenter negare, quod tanta prudentia conaris affirmare, plane, nisi hoc fecero, iuro, ut revocata sint omnia, quae contra te hoc toto libello scribo, et confirmata, quae contra me tua diatribe tum asserit, tum quaerit.

Tu liberi arbitrii vim modiculam et talem facis, quae citra gratiam Dei prorsus sit inefficax.

Nonne agnoscis? Iam quaero et peto: Si gratia Dei desit, aut separetur ab illa vi modicula, quid ipsa faciet? Inefficax (inquis) est, et nihil facit boni; ergo non faciet, quod Deus aut gratia eius volet, siquidem gratiam Dei separatam ab ea iam posuimus, quod vero gratia Dei non facit, bonum non est. Quare sequitur, liberum arbitrium sine gratia Dei prorsus non liberum, sed immutabiliter

---

1) In ed. Ien.: 2. Timo. 2. *) Lucae 11. **) Psal. 73.

captivum et servum esse mali, cum non possit vertere se solo ad bonum. Hoc stante dono tibi, ut vim liberi arbitrii non modo facias modiculam, fac eam angelicam, fac, si potes, plane divinam; si adieceris tamen hanc illaetabilem appendicem, ut citra gratiam Dei inefficacem dicas, mox ademeris illi omnem vim; quid est vis inefficax, nisi plane nulla vis?

Itaque dicere, liberum arbitrium esse, et habere vim quidem, sed inefficacem, est id, quod Sophistae vocant, oppositum in adiecto, ac si dicas: Liberum arbitrium est, quod liberum non est: sicut si ignem frigidum et terram calidam dixeris. Habeat sane ignis vim caloris, vel infernalis, si non ardet neque urit, friget vero et frigefacit, ne ignis quidem, multo minus calidus mihi dicetur, nisi pictum aut fictum ignem volueris habere. At si vim liberi arbitrii eam diceremus, qua homo aptus est rapi spiritu et imbui gratia Dei, ut qui sit creatus ad vitam vel mortem aeternam, recte diceretur. Hanc enim vim, hoc est, aptitudinem, seu, ut Sophistae loquuntur, dispositivam qualitatem et passivam aptitudinem, et nos confitemur; quam non arboribus neque bestiis inditam esse, quis est qui nesciat? Neque enim pro anseribus (ut dicitur) coelum creavit.

Fixum ergo stat, etiam tuo ipsius testimonio, nos omnia necessitate, nihil arbitrio libero facere, dum vis liberi arbitrii nihil est, neque facit, neque potest bonum, absente gratia, nisi efficaciam velis nova significatione dicere perfectionem, quasi liberum arbitrium incipere quidem ac velle possit, sed non perficere, quod non credo, ac postea de hac re latius.

Sequitur nunc, liberum arbitrium esse plane divinum nomen, nec ulli posse competere, quam soli divinae maiestati, ea enim potest et facit (sicut Psalm. canit) omnia, quae vult in coelo et in terra. Quod si hominibus tribuitur, nihilo rectius tribuitur, quam si divinitas quoque ipsa eis tribueretur, quo sacrilegio nullum esse maius possit. Proinde theologorum erat, ab isto vocabulo abstinere, cum de

humana virtute loqui vellent, et soli Deo relinquere, deinde ex hominum ore et sermone id ipsum tollere, tanquam sacrum ac venerabile nomen Deo suo asserere. Atque si omnino aliquam vim tribuerent hominibus, alio vocabulo, quam liberum arbitrium docerent nominandam, praesertim cum nobis cognitum perspectumque sit, misere falli ac seduci eo vocabulo populum, ut qui longe aliud audit et concipit eo vocabulo, quam theologi sentiunt et disputant. Est enim magnifica nimis et amplissima plenaque vox liberi arbitrii, qua populus putat eam vim significari (sicut et vis et natura vocabuli exigit), quae libere possit in utrumque se vertere, neque ea vis ulli cedat vel subiecta sit. Quod si sciret, hoc secus habere, et modiculam scintillulam vix ea significari, eamque prorsus inefficacem se sola, captivam et servam diaboli, mirum, si non lapidarent nos, tanquam illusores et deceptores, ut qui aliud sonemus aliudque longe significemus, imo necdum constet aut conveniat, quid significemus. Qui enim Sophistice loquitur (ait Sapiens), odibilis est, maxime si id in rebus pietatis facit, ubi de salute aeterna periculum est.

Cum ergo significationem et rem vocabuli tam gloriosi amiserimus, imo nunquam habuerimus (quod Pelagiani voluerunt, et ipsi hoc vocabulo illusi), quid inane vocabulum tam pertinaciter retinemus, in periculum et illusionem fidelis populi? non alia sapientia, quam nunc Reges et Principes inanes titulos regnorum et regionum quoque vel retinent vel sibi vendicant ac iactant, cum interim paene mendici sint, ac nihil minus quam ea regna et regiones habent. Verum hoc tolerabile, quando neminem fallunt aut ludunt, sed se ipsos vanitate pascunt, nullo sane lucro. At hic periculum salutis et illusio nocentissima est.

Quis non rideat, vel odio potius habeat intempestivum illum vocabulorum innovatorem, qui contra omnium usum inducere tentet eum modum loquendi, ut mendicum vocet opulentum, non quod aliquid opum habeat, sed forte rex aliquis illi suas

donare posset, faceretque id velut serio, nulla figura locutionis, scilicet vel antiphrasi, vel ironia: sic aegrotum usque ad mortem perfecte sanum, ita sane, quia alter illi posset suam sanitatem dare: item, si illiteratissimum idiotam vocet literatissimum, quia alter quispiam literas forte dare posset. Ita et hic sonat: Homo est liberi arbitrii, ita sane, si Deus illi suum concederet. Hoc abusu loquendi quilibet de quolibet sese iactare posset, ut ille est dominus coeli et terrae, si Deus hoc ei donaret. At hoc non est theologorum, sed histrionum et quadruplatorum. Nostra verba debent esse propria, pura, sobria, et, ut Paulus dicit, sana et irreprehensibilia.

Quodsi omnino vocem eam omittere nolumus, quod esset tutissimum et religiosissimum, bona fide tamen eatenus uti doceamus, ut homini arbitrium liberum non respectu superioris, sed tantum inferioris se rei concedatur, hoc est, ut sciat sese in suis facultatibus et possessionibus habere ius utendi, faciendi, omittendi pro libero arbitrio, licet et id ipsum regatur solius Dei libero arbitrio, quocunque illi placuerit; ceterum erga Deum vel in rebus, quae pertinent ad salutem vel damnationem, non habet liberum arbitrium, sed captivus, subiectus et servus est vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanae.

Haec dixi de capitibus praefationis tuae, quae et ipsa ferme totam causam complectuntur magis paene, quam sequens corpus libelli. Veruntamen summa horum fuit, quae brevi hoc dilemmate potuisset expediri: Aut tua praefatio de verbis Dei, aut de verbis hominum queritur. Si de verbis hominum, tota frustra scripta est nec ad nos pertinet, si de verbis Dei, tota impia est. Proinde utilius fuisset, ut de eo diceretur, an essent verba Dei vel hominum, de quibus disputamus. Hoc autem sequens forte prooemium et ipsa disputatio tractabit.

Quae vero in epilogo praefationis retexis, nihil movent, ut quod fabulas vocas et inutilia dog-

mata nostra, esse potius exemplo Pauli docendum Christum crucifixum, sapientiam inter perfectos docendam, esse Scripturae suam linguam pro modo auditorum varie attemperatam, ut prudentiae et caritati doctoris relinquendam ducas, qui doceat, quod expediat proximo.

Omnia inepte dicis et ignoranter, nam et nos nihil nisi Iesum crucifixum docemus, at Christus crucifixus haec omnia secum affert ipsamque adeo sapientiam inter perfectos, cum nulla sit alia sapientia inter Christianos docenda, quam ea, quae abscondita est in mysterio et ad perfectos pertinet, non ad pueros Iudaici, et legalis populi, sine fide in operibus gloriantis, ut 1. Cor. 2. sentit Paulus, nisi tu Christum crucifixum docere aliud nihil vis intelligi, quam has literas sonare: Christus est crucifixus.

Iam quod Deus irascitur, furit, odit, dolet, miserescit, poenitet, quorum tamen nullum in Deum cadit.

Hic nodus in scirpo quaeritur, neque enim haec Scripturam faciunt obscuram aut variis auditoribus attemperandam, nisi quod delectat obscuritates facere, ubi nullae sunt. Grammatica enim ista sunt et figuris verborum composita, quae etiam pueri norunt. Nos vero de dogmatibus, non de Grammaticis figuris agimus in hac causa.

Ingressurus igitur disputationem promittis acturum te Scripturis Canonicis, quandoquidem Lutherus nullius praeterea scriptoris autoritate tenetur.

Placet, et accipio promissum, quanquam non id promittis eo consilio, quod inutiles eosdem scriptores ad causam iudices, sed ut frustraneum laborem non subeas, nam non satis probas hanc meam vel audaciam vel quo nomine[1]) appellandum est hoc meum institutum.

Movet enim te[2]) nonnihil tam numerosa series

1) In ed. Ien.: quocunque nomine. 2) Ibidem hic in margine legitur: Erasmus.

eruditissimorum virorum, tot seculorum consensu approbatorum, inter quos fuerunt peritissimi sacrarum literarum, item sanctissimi aliqui martyres, multi miraculis clari, adde recentiores theologos, tot academias, concilia, episcopos, pontifices, summa, ex hac parte stat eruditio, ingenium, multitudo, magnitudo, altitudo, fortitudo, sanctimonia, miracula, et quid non? Ex mea vero parte unus Vuicleff, et alter Laurentius Valla (quanquam et Augustinus, quem praeteris, meus totus est), sed illi nihil ponderis habent prae illis; reliquus est Lutherus unus, privatus, nuper natus, cum suis amicis, in quibus neque tanta eruditio, nec tantum ingenium, nec multitudo, nec magnitudo, nec sanctimonia, nec miracula, ut qui ne claudum quidem equum sanare queant, Scripturam ostentant, quam tamen dubiam habent, aeque ut altera pars, deinde spiritum iactant, quem nusquam ostendunt, et alia, quae tu plurima fando enumerare vales. Nihil igitur apud nos, quam ut lupus ad devoratam philomelam dixit: Vox es, praeterea nihil; dicunt enim, et hoc solo (ais) sibi credi volunt.

Fateor, mi Erasme, non immerito te istis omnibus moveri, ego ultra decennium istis sic motus sum, ut nullum alium arbitrer esse, qui aeque sit istis permotus, eratque mihi incredibile ipsi, hanc Troiam nostram tanto tempore, tot bellis invictam posse aliquando capi. Et testor Deum in animam meam, perseverassem, adhuc hodie sic moverer, nisi urgente conscientia et evidentia rerum me in diversum cogeret. Potes sane cogitare, nec mihi saxeum esse pectus, atque si saxeum esset, tamen tantis fluctibus et aestibus luctatum et collisum potüisse liquescere, dum id auderem, quo facto videbam omnem illorum autoritatem, quos recensuisti, super caput meum velut diluvium inundaturam. Sed non est nunc locus, meae vitae aut operum historiam texere, nec, ut nos ipsos commendaremus, haec suscepta sunt, sed ut gratiam Dei extolleremus. Quis sim, et quo spiritu et consilio in istas res raptus sim, illi commendo, qui scit haec omnia

suo, non meo arbitrio libero gesta, quamvis et ipse mundus id iamdudum sensisse deberet. Et plane in odiosum locum me isto exordio coniicis, ut, nisi me ipsum iactavero et tot Patres vituperavero, non facile me expediam, sed breviter dicam: Eruditione, ingenio, multitudine, autoritate et omnibus aliis, etiam te iudice, cedo.

Quid autem sit ostensio spiritus, quid miracula, quid sanctimonia, haec tria si a te requiram, quantum ex literis et libris tuis te novi, imperitior et ignorantior videberis, quam ut ulla syllaba queas ostendere. Aut si urgeam et postulem, quemnam inter omnes illos, quos iactas, certo possis monstrare sanctum fuisse vel esse, aut spiritum habuisse, aut vera miracula edidisse, arbitror te multum, sed frustra sudaturum esse. Multa loqueris ex usu et publicis sermonibus accepta, quae non credis quantum amittant fidei et autoritatis, si ad iudicium conscientiae vocentur. Verum est proverbium, multos in terra pro sanctis haberi, quorum animae sunt in inferno.

Sed donemus tibi, si vis, etiam omnes fuisse sanctos, omnes habuisse spiritum, omnes fecisse miracula (quod tamen non petis), hoc mihi dic, an in nomine aut virtute liberi arbitrii, aut ad confirmandum dogma de libero arbitrio ullus eorum fuerit sanctus, acceperit spiritum, ediderit miracula? Absit (inquies), sed in nomine et virtute Iesu Christi, et pro dogmate Christi facta sunt haec omnia. Quid igitur sanctimoniam, spiritum, miracula eorum pro dogmate liberi arbitrii adducis, pro quo data et facta non sunt?

Nostra igitur sunt illorum miracula, spiritus et sanctimonia, qui Iesum Christum, non autem vires aut opera hominum praedicamus. Quid iam mirum, si ii, qui sancti, spirituales, mirabiles fuerunt, aliquoties carne praeventi locuti sunt et operati secundum carnem[1]), quando id et ipsis apostolis sub

1) In ed. 1526 haec sic leguntur: aliquoties carne carnem; nostra lectio repetita est ex ed. 1525 et ed. Ien.

ipso Christo non semel accidit? Neque enim tu negas, sed asseris liberum arbitrium non esse spiritus aut Christi negotium, sed humanum, ita ut spiritus, qui Christum clarificaturus promissus est, utique non possit liberum arbitrium praedicare. Si ergo Patres aliquando liberum arbitrium praedicaverunt, certe ex carne (ut fuerunt homines), non ex spiritu Dei sunt locuti, multo minus pro eo miracula ediderunt. Quare inepta est allegatio tua de sanctimonia, spiritu, et miraculis Patrum, quod ex iis non liberum arbitrium, sed Iesu Christi dogma contra liberi arbitrii dogma probetur.

Sed agite adhuc, qui ex libero arbitrio estis, et dogma eiusmodi verum, hoc est, ex spiritu Dei asseritis venisse, adhuc, inquam, ostendite spiritum, edite miracula, monstrate sanctimoniam, certe vos, qui asseritis, haec nobis negantibus debetis, a nobis, qui negamus, spiritus, sanctimonia, miracula exigi non debent, a vobis, qui asseritis, debent. Quando negativa nihil ponit, nihil est, nihil tenetur probare, nec debet probari, affirmativa debet probari. Vos liberi arbitrii vim et rem humanam affirmatis, sed nullum hactenus est visum aut auditum miraculum a Deo pro ullo dogmate rei humanae, sed solum pro dogmate rei divinae. Nobis autem mandatum est, prorsus nullum dogma admittere signis divinis non ante probatum, Deut. 18. Quin Scriptura hominem vocat vanitatem et mendacium, quod aliud nihil est, quam omnia humana esse vana mendacia[1]). Agite igitur, agite, inquam, probate dogma vestrum de vanitate humana et mendacio esse verum. Ubi hic ostensio Spiritus? ubi sanctimonia? ubi miracula? Ingenia, eruditionem, autoritatem video, sed ea et gentibus dedit Deus.

Nec tamen vos ad magna miracula cogemus nec ad equum claudum sanandum, ne causemini carnale seculum, quanquam Deus sua dogmata miraculis confirmare soleat, nullo respectu carnalis

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: vana et mendacia.

seculi, neque enim seculi carnalis meritis vel demeritis movetur, sed mera misericordia, gratia et amore animarum solida veritate stabiliendarum in gloriam suam. Electio vobis datur miraculi quantumlibet parvi faciendi. Quin ego vestrum Baal irritaturus insulto et provoco, ut vel unam ranam creetis in nomine et virtute liberi arbitrii, quarum tamen gentiles et impii Magi in Aegypto potuerunt multas creare, non enim pediculis creandis gravabo vos, quos nec illi educere potuerunt. Dicam adhuc levius, capite vel unum pulicem vel pediculum (quando nostrum Deum tentatis et ridetis in sanando equo claudo) et coniunctis omnibus viribus conflatisque omnibus studiis tam Dei vestri quam vestrorum omnium, si poteritis illum occidere in nomine et virtute liberi arbitrii, victores estote, et defensa sit causa vestra, mox veniemus et nos adoraturi Deum illum, mirabilem interfectorem pediculi, non quod negem vos posse et montes transferre, sed quod aliud sit quippiam ex vi liberi arbitrii factum dici, et aliud id ipsum probari.

Quod autem de miraculis dixi, idem de sanctimonia dico. Si poteritis in tanta serie seculorum, virorum, et omnium, quae memorasti, ostendere unum opus (sit etiam levare stipulam de terra) aut unum verbum (sit vel syllaba My) vel unum cogitatum ex vi liberi arbitrii (sit vel tenuissimum suspirium), quo vel adplicuerunt se ad gratiam, vel quo meruerunt spiritum, vel quo impetraverunt veniam, vel quo aliquid cum Deo egerunt, quantumvis modiculum (taceo, quo sanctificati sint), iterum victores vos estote et nos victi, ex vi (inquam) et nomine liberi arbitrii, nam quae fiunt in hominibus vi creationis, divinae habent Scripturae testimonia abunde. Et certe id ostendere debetis, ne ridiculi Doctores videamini, qui de ea re dogmata cum tanto supercilio et autoritate spargitis in mundum, cuius nullum producatis monumentum. Somnia enim dicentur, ad quae nihil sequitur, quod longe turpissimum est tantis et tot seculorum viris eruditissimis et sanctissimis et miraculosis. Tum Stoicos

vobis praeferemus, qui licet et ipsi descripserunt sapientem, qualem nunquam viderunt, tamen partem aliquam conati sunt exprimere. Vos prorsus nihil, ne umbram quidem vestri dogmatis exprimere potestis.

Sic de spiritu dico: Si ex omnibus assertoribus liberi arbitrii ostendere potestis unum, qui tantillum robur animi vel affectus habuerit, ut in nomine et virtute liberi arbitrii unum obulum contemnere, uno bolo carere, unum verbum vel signum iniuriae ferre potuerit (nam de contemptu opum, vitae, famae nihil dicam), iterum palmam habete, et sub hastam libenter ibimus. Atque id ipsum vos, qui tanta bucca verborum vim liberi arbitrii iactatis, nobis exhibere debetis, aut iterum de lana caprina videbimini statuere, aut ut ille in vacuo theatro ludos spectare.

Ego vero contrarium vobis facile ostendam, quod viri sancti, quales iactatis, quoties ad Deum oraturi vel acturi accedunt, quam penitus obliti incedant liberi arbitrii sui, desperantes de semet ipsis, ac nihil nisi solam et puram gratiam longe alia meritis sibi invocantes, qualis saepe Augustinus, qualis Bernardus, cum moriturus diceret: Perdidi tempus meum, quia perdite vixi. Non video hic allegari vim aliquam, quae ad gratiam sese applicet, sed accusari omnem vim, quod non nisi aversa fuerit. Quanquam illi ipsi Sancti aliquando inter disputandum aliter de libero arbitrio locuti sunt, sicut video omnibus accidisse, ut alii sint, dum verbis aut disputationibus intenti sunt, et alii, dum affectibus et operibus; illic dicunt aliter quam affecti fuerunt ante, hic aliter afficiuntur quam dixerunt ante. Ex affectu vero potius, quam ex sermone metiendi sunt homines, tam pii quam impii.

Sed adhuc amplius vobis donamus, miracula, spiritum, sanctimoniam non exigimus, ad ipsum dogma revertamur; hoc solum petimus, ut saltem id nobis indicetis, quodnam opus, quod verbum, quem cogitatum illa vis liberi arbitrii moveat, vel conetur, vel faciat, ut applicet sese ad gratiam; non

enim satis est dicere: Est vis, est vis, est vis quaedam liberi arbitrii; quid enim dictu facilius? Nec hoc est virorum eruditissimorum et sanctissimorum, tot seculis approbatorum, sed nominandus est infans (ut aiunt Germanico proverbio), definiendum, quae sit illa vis, quid faciat, quid patiatur, quid accidat; exempli causa, crassime enim dicam, hoc quaeritur: An illa vis vel orare, vel ieiunare, vel laborare, vel corpus fatigare, vel eleemosynam dare, vel aliud huiusmodi debeat vel conetur; si enim vis est, aliquid operis molietur. Sed hic estis ranis Seriphiis et piscibus magis muti, et quomodo definiretis, cum vestro ipsorum testimonio sitis adhuc de ipsa vi incerti, varii inter vos, et inconstantes vobis ipsis, quid fiet de definitione, cum definitum ipsum sibi non constet?

Sed esto, quod post annos Platonis aliquando inter vos de vi ipsa conveniat, tum definiatur eius opus esse, orare, ieiunare vel aliquid tale, quod adhuc forte in Platonicis ideis[1]) latet, quis nos certos faciet, id esse verum, id placere Deo, nosque tuto rectum agere? praesertim cum ipsi fateamini, esse rem humanam, quae spiritus testimonium non habet, ut quae philosophis iactata et in mundo fuerit, antequam Christus veniret et spiritus de coelo mitteretur, ut certissimum sit, non de coelo missum, sed e terra iam ante natum hoc dogma, ideo magno opus testimonio, ut certum et verum esse confirmetur.

Simus ergo nos privati et pauci, vos vel publicani et multi, nos rudes, vos eruditissimi, nos crassi, vos ingeniosissimi, nos heri nati, vos Deucalione antiquiores, nos nunquam recepti, vos tot seculis approbati, denique nos peccatores, carnales, socordes, vos sanctimonia, spiritu, miraculis metuendi vel ipsis daemonibus, saltem ius Turcarum et Iudaeorum nobis permittit, ut rationem dogmatis vestri postulemus, quod Petrus*) vester vobis man-

---

1) In ed. Ien.: Platonis ideis. *) 1. Pet. 3.

davit. Postulamus autem modestissime, scilicet quod non exigimus sanctimonia, spiritu, miraculis ipsum probari, quod utique possemus iure vestro, cum ipsi hoc ab aliis exigatis. Quin et hoc donamus, ne ullum exemplum facti vel verbi vel cogitationis in vestro dogmate exhibeatis, sed id solum doceatis, ipsum dogma saltem declaretis, quid per ipsum intelligi velitis? qua forma, si vos non vultis vel non potestis, saltem nos conemur exemplum eius edere.

Imitamini vel Papam cum suis, qui dicunt: Quae dicimus, facite, secundum opera vero nostra nolite facere; ita et vos dicite: Quod opus illa vis requirat fieri, nos accingemur, vobis otio relicto. An non hoc saltem impetrabimus a vobis? Quo plures estis, quo antiquiores, quo maiores, et quo omnibus nominibus potiores quam nos, hoc turpius vobis est, ut nobis, qui omnibus modis nihili sumus coram vobis, dogma vestrum discere et facere volentibus non possitis miraculo vel pediculi occisi, vel spiritus ullo affectulo, vel sanctimoniae ullo opusculo probare, sed nec ullius facti vel verbi exemplum ostendere, deinde, quod inauditum est, nec ipsam dogmatis formam aut intelligentiam declarare, ut saltem nos imitaremur. O festivi Magistri liberi arbitrii. Quid iam vos estis nisi vox, praeterea nihil? Qui nunc sunt, Erasme, illi, qui spiritum iactant, et nihil ostendunt, qui dicunt solum, ac mox sibi credi volunt? Nonne tui illi sunt, sic in coelum vecti? qui ne dicitis quidem, et tanta iactatis et exigitis.

Rogamus itaque per Christum, mi Erasme, tu cum tuis nobis saltem concedite, ut periculo conscientiae nostrae absterriti, liceat metu trepidare, vel saltem assensum differre dogmatis, quod tu ipse vides esse nihil nisi inanem vocem et strepitum syllabarum, scilicet: Vis liberi arbitrii est, vis liberi arbitrii est, etiam si ad summum veneritis, et omnia vestra probata sint et constent. Deinde adhuc incertum apud ipsos tuos, an ea vox sit, vel non sit, cum ipsi inter sese varient, et sibi ipsis non con-

stent. Iniquissimum est, imo longe miserrimum, solo phantasmate voculae unius, eiusdemque incertae, nostras conscientias vexari, quas Christus sanguine suo redemit; ac nisi vexari nos sinamus, rei accusamur superbiae inauditae, quod tot Patres tot seculorum contempserimus, qui liberum arbitrium asseruerint, cum verius, ut ex dictis vides, nihil prorsus de libero arbitrio definierint, ac sub praetextu et nomine illorum liberi arbitrii dogma erigitur, cuius tamen neque speciem nec nomen possunt ostendere, et mendaci vocabulo sic deludunt orbem.

Atque hic, Erasme, tuum ipsius consilium appellamus, qui supra suasisti, esse omittendas eiusmodi quaestiones, ac potius docendum Christum crucifixum, et quae satis sint ad Christianam pietatem. Hoc enim iamdudum nos quaerimus et agimus. Quid enim nos contendimus aliud, quam ut simplicitas et puritas doctrinae Christianae regnet, relictis et neglectis iis, quae per homines iuxta inventa et introducta sunt? Sed tu, qui consulis talia nobis, ipse non facis, imo contrarium facis; scribis diatribas, decreta Pontificum celebras, autoritatem hominum iactas, et omnia tentas, ut nos rapias in ista peregrina et aliena a Scripturis sanctis ac non necessaria volvas, ut simplicitatem et sinceritatem pietatis Christianae corrumpamus et confundamus hominum additamentis. Quo facile intelligimus nec ex animo te ista nobis consuluisse, nec quidquam serio te scribere, sed inanibus bullis verborum tuorum confidis te orbem posse[1]) duci quocunque vis, et tamen[2]) nusquam ducis, cum nihil prorsus dicas, nisi meras contradictiones per omnia et ubique, ut rectissime dixerit, qui te ipsissimum Proteum[3]) aut Vertumnum appellavit, aut ut Christus dicit: Medice, cura te ipsum, turpe est doctori, quem culpa redarguit ipsum.

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: ducere. 2) In ed. 1526: ea tamen. 3) In ed. 1525 et 1526: Protheon.

Donec igitur vestram affirmativam probaveritis, stamus in nostra negativa, et sub iudice etiam toto illo choro Sanctorum, quem tu iactas, vel potius toto mundo audemus et gloriamur, id quod nihil est, nec quid sit monstrari certo potest, oportere nos non admittere, atque vos omnes esse incredibili praesumptione vel insania, qui a nobis id ipsum exigatis admitti, nulla causa, nisi quia vos multos, magnos, antiquos, id quod nihil esse ipsi fatemini, asserere delectat, quasi res sit Christianis magistris digna, miserum populum in re pietatis, eo quod nihil est, ac si magni ad salutem momenti foret, ludere. Ubi nunc est illud Graecorum ingeniorum acumen, quod hactenus saltem bella aliqua specie fingebat mendacia, hic aperto et nudo sermone mentitur? Ubi latina illa industria graecae aequata, quae sic ludit et luditur vocabulo vanissimo? Sed sic contingit[1]) imprudentibus vel malignis lectoribus librorum, dum ea, quae sunt infirmitatis in Patribus et Sanctis, faciunt omnia esse summae autoritatis, ut culpa ista non sit autorum, sed lectorum. Ac si quis sanctimonia et autoritate S. Petri nixus contenderit omnia, quae S. Petrus unquam dixit, esse vera, ut etiam illud persuadeat esse verum, quod Matth. 16 ex carnis infirmitate suasit Christo, ne pateretur, aut illud, ubi iussit Christum exire a se de navi, et multa alia, in quibus ab ipso Christo reprehenditur.

Similes sunt, qui eiusmodi sunt, illis, qui ridendi gratia garriunt, non esse omnia vera, quae sunt in Evangelio, et apprehendunt illud Iohan. 8, ubi Iudaei dicunt ad Christum: Nonne bene dicimus nos, quod Samaritanus es et daemonium habes? vel illud: Reus est mortis; vel illud: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dari Caesari. Idem faciunt, diverso quidem fine, nec voluntate, ut illi, sed caecitate et ignorantia liberi arbitrii assertores, qui ex Patri-

1) In ed. 1526: contigit, in ed. 1525: contingit.

bus id, quod infirmitate carnis lapsi pro libero arbitrio dixerunt, ita apprehendunt, ut etiam opponant ei, quod alio loco idem Patres[1]) fortitudine spiritus contra liberum arbitrium dixerunt, tum urgent mox et cogunt, ut melius cedat deteriori. Ita fit, ut autoritatem deterioribus dictis tribuant, quia faciunt ad sensum carnis suae, et adimant melioribus, quia faciunt contra sensum carnis suae.

Cur non potius eligimus meliora? Talia enim multa sunt in Patribus. Et ut exempli aliquid afferam, quid carnalius? imo quid magis impium, sacrilegum et blasphemum dici potest, quam id, quod Hieronymus solet: Virginitas coelum, coniugium terram replet? quasi Patriarchis et Apostolis ac Christianis coniugibus terra, non coelum debeatur, aut virginibus Vestalibus in gentibus sine Christo coelum debeatur. Et tamen haec et similia ex Patribus colligunt Sophistae, dum numero potius quam iudicio certant, ut autoritatem illis parent, quemadmodum fecit insulsus ille Faber Constantiensis, qui Margaritum illud suum, id est, Augiae stabulum nuper donavit publico, ut esset, quod piis et eruditis nauseam cieret et vomitum.

Per haec ad illud respondeo, ubi dicis, incredibile esse[2]), ut Deus ecclesiae suae errorem dissimularit tot seculis, nec ulli sanctorum suorum revelaverit, id quod nos contendimus esse doctrinae Evangelicae caput.

Primum non dicimus errorem hunc esse in ecclesia sua toleratum a Deo, nec in ullo suo sancto, ecclesia enim spiritu Dei regitur, sancti aguntur spiritu Dei, Rom. 8., et Christus*) cum ecclesia sua manet usque ad consummationem mundi, et ecclesia Dei**) est firmamentum et columna veritatis. Haec, inquam, novimus, nam sic habet et Symbolum omnium nostrum: Credo ecclesiam sanctam catholicam, ut impossibile sit, illam errare

---

1) In ed. Ien.: iidem Patres. 2) In ed. 1526 legitur: incredibile est esse. *) Matth. 28. **) 2. Tim. 3.

etiam in minimo articulo. Atque si etiam donemus, aliquos electos*) in errore teneri in tota vita, tamen ante mortem necesse est ut redeant in viam, quia Christus dicit Ioan. 10[1]): Nemo rapiet eos de manu mea. Sed hic labor, hoc[2]) opus est certo constare, an illi, quos tu ecclesiam vocas, ecclesia sint, vel potius an tota vita errantes demum ante mortem sint reducti. Neque enim sequitur statim: Si Deus illos omnes, quos adducis, quantumvis[3]) longa serie seculorum, eruditissimos viros, passus sit errare, ergo ecclesiam suam passus est errare.

Vide populum Dei Israel, ubi in tanto regum numero et tempore ne unus quidem rex numeratur, qui non erret. Et sub Elia propheta sic omnes et omne, quod publicum erat istius populi, abierat in idolatriam, ut se solum relictum putaret, cum interim, dum reges, principes, sacerdotes, prophetae, et quicquid poterat populus vel ecclesia Dei dici, perditum iret, septem millia sibi reservarit Deus, quos quis vidit aut novit esse populum Dei? Quis igitur et nunc negare audeat, Deum sub istis principibus viris (non enim nisi viros publici ministerii et nominis recenses) in vulgo sibi servasse ecclesiam et illos omnes, exemplo Israelitici regni, perire permisisse? quandoquidem peculiare est Deo, electos Israel impedire, et pingues eorum occidere, Pslam. 78[4]), faeces vero et reliquias Israel servare, ut Isaias**) dicit.

Quid accidit sub ipso Christo, ubi omnes apostoli scandalisati, tum ipse ad universo populo negatus et damnatus est, vix uno et altero Nicodemo et Iosepho, tum latrone in cruce servatis? At nunquid illi populus Dei tum dicebantur? Erant quidem populus Dei reliquus, sed non nominabatur, is qui nominabatur, non erat. Quis scit, si toto mundi cursu, ab origine sua, semper talis fuerit status ec-

---

*) Matth. 24. 1) In edd. orig.: Ioan. 8. 2) In ed. 1525: hic. 3) In ed. 1525 et ed. Ien.: quantavis. 4) In edd. orig.: 77. **) Esai. 1.

clesiae Dei, ut alii dicerentur populus et sancti Dei, qui non essent, alii vero inter illos ut reliquiae essent, et non dicerentur populus aut sancti, sicut monstrat historia Cain et Habel, Ismael et Isaac, Esau et Iacob.

Vide Arianorum seculum, ubi vix quinque in toto orbe episcopi catholici servati sunt, iique a sedibus pulsi, regnantibus ubique Arianis publico nomine et officio ecclesiae, nihilominus sub istis haereticis suam ecclesiam servavit Christus, sed sic, ut minime ecclesia putaretur aut haberetur.

Sub Papae regno ostende unum episcopum suo officio fungentem, ostende unum concilium, in quo de rebus pietatis tractatum sit, ac non potius de palliis, de dignitate, de censibus et aliis profanis nugis, quae Spiritui sancto tribuere nisi insanus non possit; et nihilominus ii ecclesia vocantur, cum omnes saltem sic viventes perditi sint et nihil minus quam ecclesia. Verum sub iis servavit suam ecclesiam, sed ut non diceretur ecclesia. Quot sanctos putas exusserunt et occiderunt iam aliquot seculis soli [1]) illi inquisitores haereticae pravitatis, velut Ioannem Hussum et similes, quorum seculo non dubium est multos viros sanctos vixisse eodem spiritu?

Cur non illud potius miraris, Erasme, quod ab origine mundi semper inter gentes fuerunt excellentiora ingenia, maior eruditio, ardentius studium, quam inter Christianos vel populos Dei, sicut Christus *) ipse confitetur, prudentiores esse filios huius seculi filiis lucis? Quis Christianorum vel uni Ciceroni, ut Graecos taceam, ingenio, eruditione, diligentia comparandus est? Quid igitur obstitisse dicemus, ut nullus illorum ad gratiam pervenire potuerit, qui certe liberum arbitrium summis exercuerunt viribus? Nullum vero inter eos fuisse, qui summo studio ad veritatem contenderit, quis audeat

---

1) In ed. 1526: et soli, in ed. 1525 deest: et. *) Lucae 16.

dicere? Et tamen asseri oportet, nullum pervenisse. An etiam hic incredibile dices, Deum tot tantosque viros, perpetuo mundi cursu, reliquisse, et frustra niti permisisse? Certe si liberum arbitrium aliquid esset vel potuisset, in illis viris fuisse et potuisse debuit, vel uno aliquo exemplo, sed nihil valuit, imo in contrarium semper valuit, ut hoc uno argumento satis probari queat, liberum arbitrium nihil esse, ut cuius nullum indicium ab initio mundi usque in finem ostendi possit.

Sed redeo ad propositum, quid mirum, si Deus omnes ecclesiae maiores sinat ire vias suas, qui sic omnes gentes permisit ire vias suas, ut Paulus in Actis *) dicit? Non est res tam vulgaris, mi Erasme, ecclesia Dei, quam est nomen hoc, ecclesia Dei, nec ita passim occursant sancti Dei, ut hoc nomen: sancti Dei; margaritum et nobiles gemmae sunt, quas spiritus non proiicit ante porcos, sed, ut Scriptura vocat, absconditas servat, ne impius videat gloriam Dei; alioqui si palam ab omnibus agnoscerentur, quomodo fieri posset, ut sic in mundo vexarentur et affligerentur? ut Paulus **) dicit: Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.

Non haec dico, quod sanctos vel ecclesiam Dei esse negem, quos tu adducis, sed quod probari non possit, si quis neget, esse ipsos sanctos, relinqui vero prorsus incertum, ideo locum a sanctimonia eorum non esse fidelem satis pro dogmate aliquo confirmando. Sanctos eos dico et habeo, ecclesiam Dei eos voco et sentio, canone caritatis, non canone fidei, hoc est, caritas, quae omnia optima de quovis cogitat, nec est suspicax, omniaque credit ac praesumit de proximis bona, sanctum vocat quemlibet baptisatum, nec periculum est, si erret, quia caritatis est falli, cum sit exposita omnibus omnium usibus et abusibus, ministra generalis bonorum, malorum, fidelium, infidelium, veracium, fallacium. Fides vero nullum vocat sanctum

*) Acto. 17. **) 1. Corinth. 2.

nisi divino iudicio declaratum, quia fidei est non falli. Ideo cum omnes debeamus haberi invicem sancti iure caritatis, nullus tamen debet sanctus decerni iure fidei, tanquam articulus sit fidei, illum vel illum esse sanctum, quo modo suos, quos nescit, sanctos canonisat adversarius ille Dei, Papa, in locum Dei se constituens.

Hoc solum dico de illis tuis vel nostris potius Sanctis, quod, cum ipsi varient inter sese, illi potius sequendi fuerant, qui optima, id est, contra liberum arbitrium pro gratia loquuti sunt, relictis illis, qui pro infirmitate carnis carnem potius quam spiritum testificati sunt. Ita et illi, qui sibi ipsis non constant, ea parte fuerant eligendi et apprehendendi, ubi ex spiritu loquuntur, relinquendi vero, ubi carnem saperent. Hoc erat Christiani lectoris, et animalis mundi habentis diffissas ungulas et ruminantis. Nunc vero posthabito iudicio omnia confusa voramus, aut, quod iniquius est, perverso iudicio meliora respuimus, deteriora probamus in unis eisdemque autoribus, tum illis ipsis deterioribus titulum et autoritatem sanctimoniae eorum aptamus, quam tamen illi ob optima et ob solum spiritum, non ob liberum arbitrium vel carnem meruerunt.

Quid igitur faciemus? abscondita est ecclesia, latent sancti. Quid? cui credemus? seu, ut tu argutissime disputas, quis nos certos facit? Unde explorabimus spiritum? Si eruditionem spectes, utrinque sunt Rabini, sin vitam, utrinque peccatores, sin Scripturam, utrique amplectuntur; neque adeo de Scriptura, quae necdum sit lucida satis, sed de sensu Scripturae disputatur, utrinque vero homines, quorum ut neque multitudo, neque eruditio, neque dignitas quicquam facit ad causam, ita multo minus paucitas, inscitia et humilitas. Relinquitur igitur res in dubio, et manet sub iudice lis, ut prudenter facturi videamur, si in Scepticorum sententiam concedamus, nisi quod tu omnium optime facis, qui sic te dubitare dicis, ut veritatem quaerere te et discere testeris, interim in eam par-

tem inclinans, quae liberum arbitrium asserit, donec veritas elucescat.

Hic respondeo: Neque nihil, neque omnia dicis, non enim eruditionis, vitae, ingenii, multitudinis, dignitatis, inscitiae, ruditatis, paucitatis, humilitatisve argumentis spiritus explorabimus. Neque illos probo, qui refugium suum ponunt in iactantia spiritus, nam satis acre mihi bellum isto anno fuit et adhuc est cum istis fanaticis, qui Scripturas suo spiritui subiiciunt interpretandas, quo nomine et Papam hactenus insectatus sum, in cuius regno hac voce nihil vulgatius aut receptius est, Scripturas esse obscuras et ambiguas, oportere spiritum interpretem ex sede apostolica Romae petere, cum nihil perniciosius dici possit, quod hinc homines impii sese supra Scripturas extulerint et ex ipsa fecerint, quicquid collibitum fuit, donec prorsus Scripturis conculcatis nihil nisi hominum furiosorum somnia et crederemus et doceremus. Breviter non est humanum inventum illa vox, sed incredibili malitia ipsiusmet principis omnium daemonum in orbem missum virus.

Nos sic dicimus, duplici iudicio spiritus esse explorandos seu probandos, uno interiori, quo per Spiritum sanctum vel donum Dei singulare quilibet pro se suaque solius salute illustratus certissime iudicat et discernit omnium dogmata et sensus, de quo dicitur 1. Cor. 2[1]): Spiritualis omnia iudicat, et a nemine iudicatur. Haec ad fidem pertinet, et necessaria est cuilibet etiam privato Christiano. Hanc superius appellavimus interiorem claritatem Scripturae sanctae; hoc forte voluerunt, qui tibi responderunt, omnia esse iudicio spiritus decernenda. Sed hoc iudicium nulli alteri prodest, nec de hoc quaeritur in hac causa, nec ullus, credo, de illo dubitat, quin sic se habeat.

Ideo alterum est iudicium externum, quo non modo pro nobis ipsis, sed et pro aliis et propter

1) In edd. orig.: 1. Cor. 1.

aliorum salutem certissime iudicamus spiritus et dogmata omnium. Hoc iudicium est publici ministerii in verbo et officii externi, et maxime pertinet ad duces et praecones verbi, quo utimur, dum infirmos in fide roboramus et adversarios confutamus. Hoc supra vocavimus externam Scripturae sanctae claritatem. Sic dicimus, Scriptura iudice omnes spiritus in facie ecclesiae esse probandos, nam id oportet apud Christianos esse imprimis ratum atque firmissimum, Scripturas sanctas esse lucem spiritualem, ipso sole longe clariorem, praesertim in iis, quae pertinent ad salutem vel necessitatem.

Verum, quia in contrarium persuasi sumus iamdudum, pestilenti illo Sophistarum verbo, Scripturas esse obscuras et ambiguas, cogimur primum probare illud ipsum primum principium nostrum, quo omnia alia probanda sunt, quod apud philosophos absurdum et impossibile factu videretur.

Primus Moses dicit Deute. 17: Si qua difficilis causa inciderit, esse adeundum locum, quem Deus elegisset in nomen suum, atque consulendos ibidem sacerdotes, qui secundum legem Domini iudicare illam debeant.

Secundum legem Domini (inquit), quomodo autem iudicabunt, nisi lex Domini sit externe clarissima, qua illis satisfieret? Alioqui satis erat dicere, iudicabunt secundum spiritum suum. Quin sic habet in omni administratione populorum, ut omnes omnium causae per leges componantur. Quomodo vero componi possent, nisi leges essent certissimae et ipsa plane lumina in populo? Si enim leges sunt ambiguae et incertae, non solum nullae causae expedirentur, sed nec ulli mores certi constarent, cum ideo ferantur leges, ut mores ad certam formam regulentur et causarum quaestiones definiantur. Oportet ergo id, quod aliorum metrum et mensura est, multo certissimum et clarissimum esse, quale est lex; quod si ea lux et certitudo legum in profanis politiis, ubi de temporalibus agitur, et necessaria est et divino munere conceditur toti

mundo gratis, quomodo Christianis suis, scilicet electis, non multo maioris lucis et certitudinis donaret leges et regulas, secundum quas sese et omnes causas dirigerent atque componerent, cum temporalia velit a suis contemni? Si enim foenum, quod hodie stat et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis nos? Sed pergamus et Scripturis obruamus pestilens illud Sophistarum verbum.

Psal. 19[1]) dicit: Praeceptum Domini lucidum seu purum, illuminans oculos. Credo, id quod oculos illuminat, non esse obscurum vel ambiguum.

Item Psal. 119[1]): Ostium verborum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Hic verbis Dei tribuit, ut[2]) sint ostium et apertum quiddam, quod omnibus expositum sit et etiam parvulos illuminet.

Isai. 8 ad legem et testimonium mittit omnes quaestiones, et nisi hoc fecerimus, minatur nobis negandam esse lucem aurorae.

In Zacharia Cap. 2 mandat, ut ex ore sacerdotis legem requirant, ut qui sit angelus Domini exercituum. Pulcherrimus scilicet angelus vel legatus Domini, qui ea afferat, quae tum ipsi sint ambigua, tum populo obscura, ut nesciat tam ipse quid loquatur, et[3]) illi quid audiant.

Et quid in universo veteri Testamento, maxime uno illo Psalm. 119[1]) dicitur in laude Scripturae frequentius, quam ipsam esse lucem certissimam et evidentissimam? Sic enim celebrat ille claritatem eius: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Non ait, lucerna pedibus meis solum spiritus tuus, licet et huic tribuat suum officium dicens: Spiritus tuus bonus deducet me in terra recta; ita et via et semita dicitur, nimirum a nimia certitudine.

Veniamus ad novum Testamentum. Paulus di-

---

1) In edd. orig.: 18. 118. 2) In ed. Ien.: quod. 3) Ibid.: tam.

cit Rom. 1, Evangelium esse per prophetas in Scripturis sanctis promissum, et Cap. 3 iustitiam fidei testificatam a lege et prophetis. Qualis autem testificatio, si obscura est? Quin cum per omnes Epistolas Evangelium verbum lucis, Evangelium claritatis facit, tum id ex professo ac magna copia facit 2. Corinth. 3 et 4, ubi de claritate tam Mosi quam Christi gloriose disputat.

Petrus quoque ait, 2. Pet. 1: Certum valde habemus sermonem propheticum, cui attendentes sicut lampadi lucenti in loco caliginoso bene facitis. Hic Petrus verbum Dei lucidam lucernam facit, omnia alia tenebras; et nos obscuritatem et tenebras ex verbo facimus?

Christus*) sese lucem mundi toties vocat, Iohannem Baptistam lucernam lucentem et ardentem, absque dubio non propter vitae sanctitatem, sed propter verbum, quemadmodum Thessal.[1]) Paulus**) luminaria mundi vocat lucida, quia (inquit) verbum vitae tenetis; vita enim sine verbo incerta est et obscura.

Et quid faciunt apostoli, dum suas praedicationes per Scripturas probant? an ut nobis tenebras suas maioribus tenebris obscurent? vel ut notius per ignotius probent? Quid facit Christus Iohan. 5, ubi Iudaeos docet, ut Scripturas scrutentur, sui scilicet testes? an ut ambiguos reddat de fide sui? Quid faciunt illi Act. 17, qui audito Paulo die et nocte Scripturas legebant, ut viderent, an sic haberent? Nonne ista omnia probant, apostolos sicut et Christum ad Scripturas provocare, tanquam ad testes clarissimas suorum sermonum? Qua fronte ergo nos eas obscuras facimus?

Obsecro, suntne illa verba Scripturae obscura vel ambigua: Deus creavit coelum et terram, Verbum caro factum est, et omnia, quae pro articulis fidei totus accepit mundus? Unde accepit? nonne ex Scripturis? Et quid faciunt qui adhuc hodie

---

*) Ioh. 8. **) Philipp. 2. 1) In ed. Ien.: Philipp.

praedicant, Scripturas interpretantur ac declarant? At si obscura est Scriptura, quam declarant, quis nos certos facit, ipsam eorum declarationem esse certam? Alia nova declaratio. Quis et illam declarabit? Ita fiet progressus in infinitum.

Summa, si Scriptura obscura vel ambigua est, quid illam opus fuit nobis divinitus tradi? an non satis sumus obscuri et ambigui, nisi de coelo nobis augeatur obscuritas et ambiguitas et tenebrae? Ubi tunc illud Apostoli*) manebit: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum et increpandum et arguendum? Imo inutilis est, Paule, prorsus, sed ex Patribus longa seculorum serie receptis et sede Romana talia petenda sunt, quae tu Scripturae tribuis. Quare tua sententia revocanda est, ubi ad Titum**) scribis, Episcopum oportere potentem esse in doctrina sana, exhortari, et redarguere contradicentes, et os oppilare vaniloquis et mentium deceptoribus. Quomodo erit potens, cum tu Scripturas ei relinquas obscuras, hoc est, arma stuppea, et pro gladio leves stipulas? Tum Christus quoque vocem suam recantet necesse est, qui nobis falso promittens dicit***): Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. Quomodo non resistent, quando obscuris et incertis contra eos pugnamus? Quid et tu nobis, Erasme, praescribis formam Christianismi, si tibi Scripturae sunt obscurae?

Sed iamdudum credo me onerosum esse etiam insensatis, qui in re clarissima tantas moras traho et copias perdo. Sed sic obruendum erat impudens et blasphema illa vox, Scripturas esse obscuras, ut et tu videres, mi Erasme, quid diceres, cum Scripturam esse dilucidam negas. Nam simul asseras mihi necesse est, omnes tuos Sanctos, quos adducis, multo minus dilucidos esse; quis enim certos nos facit de eorum luce, si Scripturas obscuras feceris? Itaque nihil nisi tenebras nobis reliquas fa-

---

*) 2. Tim. 3. **) Tit. 1. ***) Lucae 21.

ciunt, qui Scripturas negant esse lucidissimas et evidentissimas.

At hic dices, nihil ad me ista omnia, non dico Scripturas ubique obscuras esse (quis enim ita insaniat?), sed in hac tantum parte et similibus. Respondeo, nec contra te ista solum dico, sed contra omnes, qui ita sentiunt. Deinde contra te de tota Scriptura dico, nullam eius partem volo obscuram dici, stat ibi, quod ex Petro*) retulimus, lampadem lucentem nobis esse verbum Dei in loco caliginoso. Quod si pars huius lampadis non lucet, potius pars caliginosi loci, quam ipsius lampadis erit. Non sic illuminavit nos Christus, ut aliquam partem obscuram voluerit relictam nobis in suo verbo, dum nos ad illud iubet attendere; frustra enim attendere iubet, si non lucet.

Proinde si dogma de libero arbitrio obscurum vel ambiguum est, ad Christianos et Scripturas non pertinet, ac relinquendum est prorsus numerandumque inter eas fabulas, quas damnat Paulus in Christianis rixantibus. Si autem ad Christianos et Scripturas pertinet, clarum, apertum et evidens esse debet, prorsusque similis ceteris omnibus evidentissimis articulis. Debent enim omnes Christianorum articuli tales esse, ut non modo ipsis certissimi sint, sed etiam adversus alios tam manifestis et claris Scripturis firmati, ut omnibus os obstruant, ne possint quicquam contradicere, sicut nobis Christus promittens dicit**): Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. Si igitur os nostrum in hac parte infirmum est, ut adversarii resistere possint, falsum est quod dicit, nullum adversarium ori nostro resistere posse. Aut ergo in dogmate liberi arbitrii nullos adversarios habebimus, quod fiet, si ad nos nihil pertinet, aut si ad nos pertinet, adversarios quidem habebimus, sed qui resistere non possint.

Verum illa impotentia resistendi adversariorum

---

*) 2. Petr. 1. **) Lucae 21.

(quando id hic incidit) sic habet, non quod cogantur cedere sensu suo aut persuadeantur confiteri aut tacere, quis enim invitos coget credere, fateri errorem aut tacere? Quid loquacius vanitate, ait Augustinus? Sed quod os illorum sic obstruitur, ut non habeant quod contradicant, et ut multa contradicant, communis tamen sensus iudicio nihil dicant. Exemplis id monstratur melius. Quando Christus Matth. 22 Sadducaeis imposuit silentium, dum[1]) adducta Scriptura probaret resurrectionem mortuorum ex Mose Exod. 3: Ego Deus Abraham etc. Non est Deus mortuorum sed vivorum; hic resistere non poterant, nec quidquam contradicere, sed nunquid ideo cesserunt opinione sua? Et quoties Pharisaeos confutavit evidentissimis Scripturis et argumentis, ita ut populus convictos palam videret, et ipsimet sentirent? Nihilominus illi perseverabant adversarii. Stephanus Act. 7 sic loquebatur teste Luca, ut sapientiae et spiritui, qui loquebatur, resistere non possent; sed quid illi fecerunt? nunquid cedebant? Imo dum pudet vinci et resistere non possunt, insaniunt, et clausis auribus et oculis falsos submittunt contra eum testes, Act. 7. Idem in concilio stans vide quomodo confutet adversarios, cum ab origine populi illius numerasset beneficia Dei et probasset, nunquam templum sibi Deum iussisse condi (ea enim quaestione agebatur reus, et is erat status causae), tandem concedit, sub Salomone fuisse quidem templum aedificatum, at ibi subsumit in hunc modum: Sed non in manufactis habitat Excelsus, et ad id allegat Esaiam Prophetam 66.[2]): Quae est ista domus, quam aedificatis mihi? Dic, quid poterant hic contra tam manifestam Scripturam dicere? Nihil tamen moti perstabant fixi in sua sententia. Unde et in eos invehitur, dicens: Incircumcisi cordibus et auribus, semper restitistis Spiritui sancto etc. Resistere eos dicit, qui tamen resistere non poterant.

---

1) In ed. Ien.: cum. 2) Ibid.: ult.

Ad nostros veniamus, Iohannes Huss cum sic in Papam disserit ex Matth. 16: Portae inferorum non praevalent adversus ecclesiam meam, estne hic aliqua obscuritas vel ambiguitas? Sed adversus Papam et suos praevalent portae inferi, ut qui manifesta impietate et sceleribus toto orbe nobiles sunt. Est id quoque obscurum? Ergo Papa et sui non sunt ecclesia, de qua Christus loquitur. Quid hic contra dicerent? aut quomodo resisterent ori, quod Christus illi dederat? At restiterunt tamen et perstiterunt, donec ipsum exurerent, tantum abest, ut sensu cederent. Nec Christus hoc tacet, cum dicit*): Adversarii non poterunt resistere, adversarii sunt (inquit), ergo resistent, alioqui non adversarii, sed amici fierent, et tamen resistere non poterunt. Quid est hoc aliud dicere, quam resistendo non poterunt resistere.

Si itaque et nos liberum arbitrium sic confutare poterimus, ut adversarii nequeant resistere, etiamsi persistant suo sensu, et repugnante conscientia resistant, satis fecerimus. Satis enim expertus sum, quam nemo volet vinci, et (ut Quintilianus ait) nemo est, qui non malit nosse quam discere videri, quamvis apud nos id proverbii omnes usu potius quam affectu, imo abusu, passim in ore versent: Opto discere, paratus sum doceri et monitus meliora sequi, Homo sum, errare possum; quod sub hac larva, pulchra velut humilitatis specie, liceat confidenter dicere: Mihi non est satisfactum, Ego non capio, Vim facit Scripturis, Pertinaciter asserit; scilicet certi, quod tantae humilitatis animas nemo suspicetur pertinaciter resistere, et agnitam quoque veritatem fortiter impugnare. Ita fit, ut non malitiae eorum esse oporteat, quod non cedunt sensu suo, sed obscuritatis et ambiguitatis argumentorum.

Sic et philosophi Graecorum fecerunt, ne ullus alteri videretur cedere, etiam manifeste convictus, coeperunt negare prima principia, ut Aristoteles re-

*) Lucae 22.

(quando id hic accidit) sic habet, non quod cogantur cedere victi aut aut persuadeantur confiteri aut tacere. quis enim invitus cogat credere, fateri errorem aut tacere? Quid loquacius vanitate, ait Augustinus? Sed quorum os isto modo sic obstruitur, ut non habeant quod contradicant, et ut multa contradicant, communis tamen sensus iudicio nihil dicant. Exemplis id monstratur melius. Quando Christus Matth. 22 Saducaeis imposuit silentium, dum[1] adducta Scriptura probaret resurrectionem mortuorum ex Mose Exod. 3: Ego Deus Abraham etc. Non est Deus mortuorum sed vivorum: hic resistere non poterant, nec quicquam contradicere, sed nunquid ideo cesserunt opinione sua? Et quoties Pharisaeos confutavit evidentissimis Scripturis et argumentis, ita ut populus convictos palam videret, et ipsimet sentirent? Nihilominus illi perseverabant adversarii. Stephanus Act. 7 sic loquebatur teste Luca, ut sapientiae et spiritui, qui loquebatur, resistere non possent; sed quid illi fecerunt? nunquid cedebant? Imo dum pudet vinci et resistere non possunt, insaniunt, et clausis auribus et oculis falsos submittunt contra eum testes, Act. 7. Idem in concilio stans vide quomodo confutet adversarios, cum ab origine populi illius numerasset beneficia Dei et probasset, nunquam templum sibi Deum iussisse condi (ea enim quaestione agebatur reus, et is erat status causae), tandem concedit, sub Salomone fuisse quidem templum aedificatum, at ibi subsumit in hunc modum: Sed non in manufactis habitat Excelsus, et ad id allegat Esaiam Prophetam 66.[2]): Quae est ista domus, quam aedificatis mihi? Dic, quid poterant hic contra tam manifestam Scripturam dicere? Nihil tamen moti perstabant fixi in sua sententia. Unde et in eos invehitur, dicens: Incircumcisi cordibus et auribus, semper restitistis Spiritui sancto etc. Resistere eos dicit, qui tamen resistere non poterant.

---

1) In ed. Ien.: cum. 2) Ibid.: ult.

Ad nostros veniamus, Iohannes Huss cum sic in Papam disserit ex Matth. 16: Portae inferorum non praevalent adversus ecclesiam meam, estne hic aliqua obscuritas vel ambiguitas? Sed adversus Papam et suos praevalent portae inferi, ut qui manifesta impietate et sceleribus toto orbe nobiles sunt. Est id quoque obscurum? Ergo Papa et sui non sunt ecclesia, de qua Christus loquitur. Quid hic contra dicerent? aut quomodo resisterent ori, quod Christus illi dederat? At restiterunt tamen et perstiterunt, donec ipsum exurerent, tantum abest, ut sensu cederent. Nec Christus hoc tacet, cum dicit*): Adversarii non poterunt resistere, adversarii sunt (inquit), ergo resistent, alioqui non adversarii, sed amici fierent, et tamen resistere non poterunt. Quid est hoc aliud dicere, quam resistendo non poterunt resistere.

Si itaque et nos liberum arbitrium sic confutare poterimus, ut adversarii nequeant resistere, etiamsi persistant suo sensu, et repugnante conscientia resistant, satis fecerimus. Satis enim expertus sum, quam nemo volet vinci, et (ut Quintilianus ait) nemo est, qui non malit nosse quam discere videri, quamvis apud nos id proverbii omnes usu potius quam affectu, imo abusu, passim in ore versent: Opto discere, paratus sum doceri et monitus meliora sequi, Homo sum, errare possum; quod sub hac larva, pulchra velut humilitatis specie, liceat confidenter dicere: Mihi non est satisfactum, Ego non capio, Vim facit Scripturis, Pertinaciter asserit; scilicet certi, quod tantae humilitatis animas nemo suspicetur pertinaciter resistere, et agnitam quoque veritatem fortiter impugnare. Ita fit, ut non malitiae eorum esse oporteat, quod non cedunt sensu suo, sed obscuritatis et ambiguitatis argumentorum.

Sic et philosophi Graecorum fecerunt, ne ullus alteri videretur cedere, etiam manifeste convictus, coeperunt negare prima principia, ut Aristoteles re-

*) Lucae 22.

citat. Interim nobis et aliis blande persuademus, esse multos bonos viros in terra, qui libenter veritatem amplexuri sint, si sit, qui clare doceat, nec esse praesumendum, tot eruditos tanta seculorum serie viros errasse aut non cognovisse, quasi ignoremus, mundum esse regnum Satanae, ubi praeter naturalem caecitatem agnatam ex carne etiam nequissimis spiritibus regnantibus super nos in ipsa caecitate induramur, et daemoniacis, nec iam humanis tenebris tenemur.

Si igitur Scriptura, inquis[1]), dilucida est, cur in hac parte tot seculis excellentes ingenio viri caecutierunt?

Respondeo: Caecutierunt sic in laudem et gloriam liberi arbitrii, ut ostenderetur illa magnifice iactata vis, qua se homo applicare potest ad ea, quae sunt salutis aeternae, scilicet quae nec visa videt, nec audita audit, multo minus intelligit vel appetit. Huc enim pertinet, quod Christus ex Esaia et Evangelistae toties asserunt*): Audientes audietis, et non cognoscetis et videntes non videbitis. Quid hoc est aliud, quam liberum arbitrium seu cor humanum sic esse Satanae potentia oppressum, ut nisi spiritu Dei mirabiliter suscitetur, per sese nec ea videre possit, nec audire, quae in ipsos oculos et in aures manifeste impingunt, ut palpari possint manu? tanta est miseria et caecitas humani generis. Sic enim et ipsi Evangelistae admirati, qui fieret, ut Iudaei operibus et verbis Christi, quae plane fuerunt irrefragabilia et innegabilia, non caperentur, isto Scripturae loco sibi respondent, scilicet quod homo sibi relictus videns non videt et audiens non audit. Quid monstrosius? Lux, inquit**), lucet in tenebris, et tenebrae non comprehendunt[2]). Quis hoc crederet? Quis similia audivit? Lucere in tenebris lucem, et tamen tenebras manere tenebras, nec illustrari?

Proinde non est hoc mirum in rebus divinis,

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.
*) Esai. 6. **) Ioh. 1. 2) Ibid.: apprehendunt.

quod tot seculis viri excellentes ingenio caecutiunt. In rebus humanis mirum esset, in rebus divinis mirum potius, si unus et alter non caecutiat, non mirum vero, si plane omnes caecutiant. Quid enim est universum genus humanum extra spiritum, nisi regnum Diaboli (ut dixi), confusum chaos tenebrarum? Unde Paulus*) daemones appellat rectores harum tenebrarum. Et 1. Corinth. 1 dicit: Nemo principum huius mundi cognovit Dei sapientiam. Quid putas de reliquis sentiet, qui principes mundi asserat tenebrarum servos? Per principes enim intelligit primos et summos in mundo, quos tu excellentes ingenio vocas. Cur caecutierunt Ariani omnes? An non fuerunt ibi viri ingenio excellentes? Cur gentibus Christus est stultitia? An inter gentes non sunt viri excellentes ingenio? Cur Iudaeis est scandalum? An non fuerunt inter Iudaeos viri excellentes ingenio? Deus scit (ait Paulus) cogitationes sapientum, quoniam vanae sunt; noluit dicere hominum, ut ipse textus habet, primos et principes inter homines significans, ut ex iis reliquos homines aestimemus.

Sed haec infra latius fortasse, satis sit exordio praemisisse, Scripturas esse clarissimas, quibus nostra sic possunt defendi, ut adversarii non queant resistere. Quae vero sic defendi non possunt, aliena et non Christianorum sunt. Si vero sunt, qui hanc claritatem non videant, et in isto sole caecutiunt vel offendunt, ii, si sunt impii, declarant, quanta sit maiestas et potentia Satanae in filiis hominum, ut clarissima verba Dei neque audiant neque capiant, velut si praestigio illusus quispiam solem putet esse carbonem frigidum, aut lapidem sentiat esse aurum. Si pii sunt, inter illos electos censeantur, qui in errorem ducuntur aliquanto, ut declaretur virtus Dei in nobis, sine qua nec videre, nec prorsus quidquam possumus. Non enim imbecillitatis ingenii est (ut tu causaris), ne verba Dei capiantur, imo nihil aptius capiendis verbis Dei imbecillitate inge-

*) Ephe. 6.

nii; propter imbecilles enim et ad imbecilles Christus et venit et mittit verbum suum. Sed nequitia Satanae est in nostra imbecillitate sedentis, regnantis ac Dei verbo resistentis; ni Satanas faceret, uno sermone Dei semel audito totus mundus hominum converteretur, nec pluribus opus esset.

Et quid multis ago? Cur non simul cum hoc exordio finimus causam, et contra te ipsum tuis ipsius verbis ferimus sententiam, secundum illud Christi*): Ex verbis tuis iustificaberis, ex verbis tuis condemnaberis? Tu enim dicis, Scripturam hic non esse dilucidam. Deinde sententia suspensa in utramque partem disputas, quid pro, quid contra dici possit, praeterea nihil agis toto isto libello, quem ob eandem causam diatriben potius, quam apophasin vel aliud appellare voluisti, quod omnia collaturus, nihil affirmaturus scriberes. Si igitur dilucida Scriptura non est, cur hic non modo caecutiunt, sed temere et stulte definiunt et asserunt liberum arbitrium, velut ex certa et dilucida Scriptura, illi, quos iactas, videlicet tam numerosa series eruditissimorum virorum, quos in hunc usque diem tot seculorum consensus approbavit, quorum plerosque praeter admirabilem sacrarum literarum peritiam vitae quoque pietas commendat. Quidam doctrinae Christi, quam scriptis defenderant, sanguine suo testimonium reddiderunt. Si ex animo ista loqueris, fixum est apud te, liberum arbitrium habere assertores, mirabili literarum sacrarum peritia praeditos, ita ut sanguine suo illud quoque testati sint. Quod si verum est, dilucidam illi habebant Scripturam, alioqui quae esset illa admirabilis peritia literarum sacrarum, deinde quae levitas et temeritas animi sanguinem fundere pro re incerta et obscura? Hoc enim non martyrum Christi, sed daemonum est.

Iam et tu pone ob oculos et tecum expende, utrum plus tribuendum esse iudices tot eruditorum,

---

*) Matth. 12.

tot orthodoxorum, tot sanctorum, tot martyrum, tot veterum ac recentium theologorum, tot academiarum, tot conciliorum, tot episcoporum et summorum pontificum praeiudiciis, qui scripturas dilucidas esse senserunt, et id tum scriptis, tum sanguine confirmaverunt, an tuo unius privato iudicio, qui negas Scripturas esse dilucidas, qui forte nec unam unquam lacrimam vel suspirium pro doctrina Christi emisisti. Si illos recte sensisse credis, cur non imitaris? Si non credis, cur iactas tanta bucca, tanta copia, quasi me obruere velles tempestate et diluvio quodam orationis, quod tamen in caput tuum fortius inundat, arca vero mea in sublimi fertur secura. Nam tot tantisque[1]) viris simul tribuis summam et stultitiam et temeritatem, dum illos scribis Scripturae peritissimos stilo, vita, morte illam asseruisse, quam tamen obscuram et ambiguam esse contendis, hoc est aliud nihil, quam illos facere imperitissimos cognoscendo et stultissimos asserendo. Sic illos non honorassem ego privatus ille contemptor, ut tu facis publicus ille laudator.

Cornuto igitur, quod aiunt, hic te syllogismo teneo, utrum enim falsum esse oportet, vel illud quod dicis, illos fuisse admirabiles peritia sacrarum literarum, vita et martyrio, vel illud quod dicis, Scripturam non esse dilucidam. Verum cum huc potius rapiaris, ut Scripturas non dilucidas esse credas (hoc enim toto libello agis), reliquum fit, ut vel animi vel adulandi gratia, nequaquam serio illos dixeris peritissimos Scripturae et martyres Christi, tantum ut rudi vulgo fucum, Luthero autem negotium faceres, et causam eius inanibus verbis gravares odio et contemptu. Ego vero neutrum verum, sed utrumque falsum dico; primum Scripturas esse lucidissimas, deinde illos, quatenus liberum arbitrium asserunt, esse imperitissimos sacrarum literarum, tum illud neque vita neque morte, solum vero stilo, sed peregrinante animo asseruisse.

---

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: Nam tu tot tantisque.

Quare hanc disputatiunculam sic concludo: Per Scripturam, ut obscuram, hactenus nihil certi definitum est, nec definiri potest de libero arbitrio, te ipso teste; per vitam vero omnium hominum ab initio mundi nihil est ostensum pro libero arbitrio, ut superius est dictum. Docere igitur aliquid, quod intra Scripturas non est ullo verbo praescriptum, et extra Scripturas non est ullo facto monstratum, hoc non pertinet ad dogmata Christianorum, sed ad narrationes veras Luciani, nisi quod Lucianus ioco et prudenter rebus ludicris ludens neminem fallit neque laedit, isti vero nostri re seria, et quae ad aeternam salutem pertinet, insaniunt in perditione innumerabilium animarum.

Sic et ego absolverim totam hanc quaestionem de libero arbitrio, etiam testimonio adversariorum mecum faciente et illis ipsis pugnante, cum fortior probatio nulla sit, quam ipsius, qui reus est, propria confessio et testimonium contra se ipsum. Verum, quia Paulus praecipit vaniloquos ἐπιστομίζειν, causam ipsam aggrediamur, et ordine, quo incedit diatribe, rem tractemus, ut primum confutemus argumenta pro libero arbitrio adducta, deinde confutata nostra defendamus, tandem contra liberum arbitrium pro gratia Dei pugnemus.

Ac primum ab ipsa definitione recte faciemus initium, qua sic definis liberum arbirium:

Porro[2]) liberum arbitrium hoc loco sentimus vim humanae voluntatis, qua se possit homo applicare ad ea, quae perducunt ad aeternam salutem, aut ab iisdem avertere.

Prudenter sane definitio a te nuda ponitur, nec ulla eius particula (ut mos est aliorum) declaratur, quod naufragium non unum forte veritus sis. Cogor itaque ego singulas discutere. Ipsum certe definitum, si rigide examinetur, latius patet quam definitio, qualem definitionem Sophistae vitiosam dicerent, quoties videlicet definitio non explet defini-

2) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus.

tum; nam superius ostendimus, liberum arbitrium nemini nisi soli Deo convenire. Arbitrium fortassis homini aliquod recte tribueris, sed liberum tribuere in rebus divinis, nimium est, quod liberi arbitrii vox omnium aurium iudicio proprie id dicitur, quod potest et facit erga Deum, quaecunque libuerit, nulla lege, nullo imperio cohibitum. Neque enim servum dixeris liberum, qui sub imperio domini agit, quanto minus hominem vel angelum recte liberum dicimus, qui sub imperio plenissimo Dei (ut peccatum et mortem taceam) sic degunt, ut ne momento consistere suis viribus possint.

Igitur hic statim in foribus pugnant definitio quid nominis, et definitio quid rei, quod vox aliud significat, et aliud re ipsa sentitur. Rectius vero vertibile arbitrium vel [1]) mutabile arbitrium diceretur. Nam sic Augustinus et post eum Sophistae gloriam et virtutem istius vocis (liberum) extenuant, adiecto illo detrimento, quod vertibilitatem liberi arbitrii dicunt. Atque ita deceret nos loqui, ne inflatis et inaniter fastuosis vocabulis corda hominum luderemus, ut et Augustinus sentit, nos ad certam regulam sobriis et propriis verbis debere loqui. In dicendo [2]) enim simplicitas et proprietas dialectica requiritur, non autem ampullae et figurae rhetoricae persuasionis.

Sed ne verbi pugna delectari videamur, donemus interim id abusui, licet magno et periculoso, ut idem sit liberum arbitrium, quod vertibile arbitrium. Donemus et illud Erasmo, quod liberi arbitrii vim facit humanae voluntatis, ac si angelorum non sit liberum arbitrium, quod hoc libello solum de hominum libero arbitrio agere instituit, alioqui et in hac parte definitio fuerat arctior quam definitum.

Ad eas partes veniamus, in quibus rerum cardo vertitur, quarum aliquae satis apertae sunt, aliae lucem fugiunt, velut sibi consciae nihil non metuant,

---

1) In ed. 1526: id. 2) In ed. 1525 et ed. Ien.: docendo.

cum nihil definitione apertius et certius edi debeat; obscure enim definire perinde est ac nihil definire. Apertae sunt illae: Vis humanae voluntatis, item, qua se potest homo, item, ad aeternam salutem: sed Andabatae sunt istae, applicare, item, ad ea quae perducunt; item, avertere. Quid igitur esse divinabimus illud applicare? item illud avertere? item, quid sunt illa, quae ad aeternam salutem perducunt? Quo se proripiunt illa? Mihi, ut video, cum vero Scoto aut Heraclito res est, ut duplici labore fatiger, primum ut adversarium in foveis et tenebris (quod facinus et audax et periculosum est) palpitans et tentans quaeritem, ac, nisi invenero, frustra et cum larvis pugnem, aëraque in tenebris verberem, deinde si produxero in lucem, tum demum iam quaerendo fessus aequo Marte manus conseram.

Vim igitur voluntatis humanae dici credo potentiam, vel facultatem, vel habilitatem, vel aptitudinem volendi, nolendi, eligendi, contemnendi, approbandi, refutandi, et si quae sunt aliae voluntatis actiones. Iam quid sit eandem vim sese applicare et avertere, non video, nisi ipsum velle et nolle, eligere, contemnere, probare, refutare, ipsam scilicet actionem voluntatis; ut fingamus, vim illam esse medium quiddam inter voluntatem ipsam et actionem suam, ut qua voluntas ipsa actionem volendi et nolendi elicit, et qua ipsa actio volendi et nolendi elicitur. Aliud hic nec fingere, nec cogitare datur. Si fallor, culpa sit autoris, qui definivit, non mea, qui investigo. Recte enim dicitur apud Iuristas: Verba obscure loquentis, cum potuerit clarius dicere, interpretanda esse contra ipsum. Et hic interim Modernos meos ignorare volo cum suis subtilitatibus, crasse enim dicendum est, gratia docendi et intelligendi. Ea vero, quae ad aeternam salutem perducunt, arbitror esse verba et opera Dei, quae offeruntur voluntati humanae, ut eisdem sese applicet vel avertat. Verba autem Dei dico tam Legem quam Evangelium, Lege exiguntur opera, Evangelio fides. Nulla enim sunt alia, quae vel ad gratiam Dei, vel ad salutem aeter-

nam perducunt, nisi verbum et opus Dei, siquidem gratia vel spiritus est ipsa vita, ad quam verbo et opere divino perducimur.

Haec autem vita vel salus aeterna res est incomprehensibilis captui humano, sicut Paulus ex Esaia*) refert, 1. Corinth. 2: Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Nam et is inter summos articulos fidei nostrae numeratur, ubi dicimus: Et vitam aeternam. Quid vero in isto articulo valeat liberum arbitrium, Paulus testatur 1. Corinth. 2: Deus (inquit) nobis ea revelavit per Spiritum suum, q.d.: Nisi spiritus revelarit, nullius hominis cor quicquam de ea re nosset aut cogitaret, tantum abest, ut sese applicare ad id vel appetere possit.

Vide experientiam, quid excellentissima ingenia inter gentes de vita futura et resurrectione senserint, nonne quo excellentiores ingenio fuerunt, eo magis ridiculum illis fuit resurrectio et vita aeterna? nisi non fuerunt ingeniosi philosophi illi et Graeci, qui Athenis Paulum**) haec docentem spermologon et novorum daemoniorum assertorem dicebant. Portius Festus Act. 24 Paulum insanum clamabat ob praedicationem aeternae vitae. Quid Plinius de iis rebus latrat lib. 7? Quid Lucianus, tantum ingenium? Stupidine illi fuerunt? Denique adhuc hodie plerique, quo sunt maiore ingenio et eruditione, hoc magis rident eum articulum et fabulam esse putant, idque palam. Nam occulte nullus plane hominum, nisi Spiritu sancto perfusus, novit, credit aut optat salutem aeternam, etiamsi voce et stilo iactitent. Atque utinam eodem fermento et tu et ego liberi essemus, mi Erasme, tam rarus est in hoc articulo fidelis animus. Habeone definitionis huius sensum?

Igitur, Erasmo autore, liberum arbitrium est vis voluntatis, quae potest se ipsa[1]) velle et nolle

---

*) Esaiae 64. **) Acto. 17. 1) In ed. 1525 et ed. Ien.: a se ipsa.

verbum et opus Dei, quibus ducitur ad ea, quae excedunt et captum et sensum eius. Si vero potest velle et nolle, potest et amare et odisse. Si amare et odisse, potest et aliquantulum facere legem et credere Evangelio. Quia impossibile est, si aliquid velis aut nolis, ut non aliquid operis ea voluntate possis, etiam si prohibente alio perficere non possis; iam cum inter opera Dei, quae ad salutem perducunt, mors, crux et omnia mala mundi numerentur, poterit humana voluntas et mortem et sui perditionem velle. Quin omnia velle potest, dum verbum et opus Dei velle potest; quid enim infra, supra, intra, extra verbum et opus Dei, nisi Deus ipse, uspiam esse potest? Quid autem hic relinquitur gratiae et Spiritui sancto? Hoc plane est divinitatem libero arbitrio tribuere, siquidem Legem et Evangelium velle, peccatum nolle et mortem velle, divinae virtutis est solius, ut Paulus non uno loco dicit.

Proinde nemo post Pelagianos rectius de libero arbitrio scripsit quam Erasmus. Diximus enim superius, liberum arbitrium esse divinum nomen, ac divinam virtutem significare. Hanc vero nemo illi tribuit hactenus praeter Pelagianos, Sophistae enim, quidquid sentiant, longe aliter certe loquuntur. Quin Pelagianos quoque longe superat Erasmus; illi enim toti libero arbitrio eam divinitatem tribuunt, Erasmus dimidio, siquidem illi faciunt liberi arbitrii duas partes, vim discernendi et vim eligendi, alteram rationi, alteram voluntati affingentes, quod et Sophistae faciunt, sed Erasmus, posthabita discernendi vi, solam extollit vim eligendi, ita claudum ac semiliberum arbitrium Deum facit. Quid putas erat facturus, si totum liberum arbitrium fuisset descripturus?

Sed non hoc contentus philosophos etiam excedit, apud illos enim nondum definitum est, an aliquid se ipsum possit movere, ibique toto corpore philosophiae dissentiunt Platonici et Peripatetici, sed apud Erasmum liberum arbitrium suapte vi sese non modo movet, sed applicat etiam ad ea, quae sunt

aeterna, id est, incomprehensibilia sibi, plane novus et inauditus definitor liberi arbitrii, qui philosophos, Pelagianos, Sophistas et omnes longe post se relinquit. Nec hoc satis, nec sibi parcit, sibique ipsi plus quam omnibus aliis dissidet et pugnat. Antea enim dixerat, voluntatem humanam prorsus esse inefficacem sine gratia (nisi hoc ioco dixerit), hic vero, ubi serio definit, dicit, humanam voluntatem habere eam vim, qua efficax sit applicare sese ad ea, quae sunt salutis aeternae, id est, quae sunt incomparabiliter supra vim illam, ita et se ipso quoque superior est hac parte Erasmus.

Videsne, mi Erasme, hac definitione te ipsum prodi (imprudenter credo), quod harum rerum nihil omnino intelligis, vel prorsus incogitans et contemnens de illis scribas, ignarus quid loquaris vel quid affirmes? Et ut supra dixi, minus dicis et plus tribuis libero arbitrio, quam omnes alii, dum neque totum liberum arbitrium describis, omnia tamen illi tribuis. Tolerabilius longe tradunt Sophistae, vel saltem pater eorum Petrus Longobardus, qui liberum arbitrium dicunt esse facultatem discernendi, deinde et eligendi, boni quidem, si assit gratia, mali vero, si desit gratia, planeque cum Augustino sentit, liberum arbitrium suapte vi non posse nisi cadere, nec valere nisi ad peccandum. Unde et servum potius quam liberum arbitrium vocat Augustinus libro 2. contra Iulianum.

Tu vero utrinque parem vim facis liberi arbitrii, quod suapte sine gratia vi et sese applicare possit ad bonum et sese avertere a bono. Non enim cogitas, quam magnum tribuas illi hoc pronomine Se vel se ipsam, dum dicis: Potest se applicare, prorsus scilicet excludis Spiritum sanctum cum omni virtute sua, tanquam superfluum et non necessarium. Damnabilis igitur est tua definitio etiam apud Sophistas, qui nisi invidia excaecati in me sic insanirent, in tuum libellum furerent potius. Nunc quia Lutherum petis, etiam si contra te ipsum et illos dicas, nihil nisi sanctum et catholicum dicis, tanta est patientia sanctorum virorum.

Non haec dico, quod Sophistarum sententiam de libero arbitrio probem, sed quod tolerabiliorem esse ducam quam Erasmi, propius enim accedunt ad veritatem. Non enim illi liberum arbitrium, sicut ego, nihil esse dicunt, tamen cum sine gratia ipsum nihil posse dicunt, praesertim Magister sententiarum, pugnant Erasmo, imo videntur sibi ipsis quoque pugnare et sola verbi controversia torqueri, contentionis cupidiores quam veritatis, sicut decet Sophistas. Nam finge mihi Sophistam minime malum dari, cum quo semotus familiari colloquio ista conferrem et candidum ac liberum iudicium postularem in hunc modum: Si quispiam tibi id liberum esse diceret, quod sua virtute non nisi in alteram partem possit, scilicet in malam, in alteram vero, nempe in bonam partem, possit quidem, sed non sua virtute, imo alterius duntaxat auxilio, possis etiam tenere risum, amice? Nam sic lapidem aut truncum facile obtinebo habere liberum arbitrium, ut qui et sursum et deorsum vergere potest, sed vi sua non nisi deorsum, alterius vero solum auxilio sursum. Et ut supra dixi, tandem dicemus inverso omnium linguarum et verborum usu: Nullus est omnes, Nihil est omnia, referendo alterum ad rem ipsam, alterum ad alienam, quae adesse sibi et accidere possit.

Sic et liberum arbitrium nimium disputando tandem per accidens liberum faciunt, ut quod possit liberari aliquando per alium. Quaestio autem est per se et de substantia libertatis arbitrii. Haec si solvenda est, nihil nisi inanis vox liberi arbitrii reliqua fit, velint, nolint. Deficiunt et in hoc Sophistae, quod libero arbitrio vim discernendi boni a malo tribuunt; item regenerationem et innovationem spiritus premunt, ac velut externe auxilium illud alienum illi affingunt, de quo postea. Sed haec de definitione satis. Nunc argumenta videamus, inflatura inanem illam voculam.

Primum est illud Ecclesiastici 15: Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua: Si volueris mandata conservare, conservabunt te, et in

perpetuum fidem placitam servare; apposuit tibi ignem et aquam, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi.

Licet recusare possim iure hunc librum, tamen interim recipio, ne cum iactura temporis me involvam disputationi de receptis libris in Canone Ebraeorum, quem tu non nihil mordes ac rides, dum proverbia Salomonis et Canticum (ut scommate ambiguo vocas) amatorium comparas cum libris duobus Esrae, Iudith, historia Susannae et Draconis, Esther, quamvis hunc habeant in Canone, dignior omnibus me iudice, qui extra Canonem haberetur.

Responderem vero breviter tuis ipsius verbis: Scriptura hoc loco obscura est et ambigua, ideo nihil certi probat, nos autem cum in negativa stemus, exigimus a vobis locum produci, qui claris verbis convincat, quid sit et quid possit liberum arbitrium. Hoc facietis forte ad Calendas graecas; quamvis tu, ut hanc necessitatem fugias, multa bona verba perdis, dum super aristas incedis, recitans tot opiniones de libero arbitrio, ut Pelagium paene facias Evangelicum, item quadruplicem gratiam fingis, ut etiam philosophis quandam fidem et caritatem tribuas; item triplicem illam legem naturae, operum, fidei, fabulam scilicet novam, ut convenire vehementer asseras philosophorum praecepta Evangelicis praeceptis. Tum illud Psal. 4: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, qui de cognitione ipsius vultus Dei, id est, fide loquitur, ad rationem excaecatam applicas. Quae si quis Christianus omnia conferat, cogetur suspicari, te ludere et ridere Christianorum dogmata et religionem. Nam tantam ignorantiam ei tribuere, qui sic nostra omnia perlustravit, tanta diligentia et memoria conservavit, mihi plane est difficillimum. Sed interim abstinebo indicasse contentus, donec occasio sese dignior obtulerit. Quanquam te oro, mi Erasme, ne sic nos tentes, velut unus illorum, qui dicunt: Quis videt nos? neque tutum est in re tanta ver-

borum Vertumnis perpetuo ludere apud quoslibet. Sed ad rem.

Ex[1]) una sententia de libero arbitrio triplicem fingis: dura tibi videtur eorum, sed tamen satis probabilis, qui negant hominem posse velle bonum sine peculiari gratia, negant posse incipere, negant posse progredi, perficere etc., hanc probas ideo, quod relinquat homini studium et conâtum, sed non relinquat, quod suis viribus asscribat; durior eorum, qui contendunt liberum arbitrium nihil valere, nisi ad peccandum, solam gratiam in nobis operari bonum etc., durissima vero illorum, qui dicunt, nomen inane esse liberum arbitrium, sed Deum tam bona quam mala in nobis operari meraeque necessitatis esse omnia, quae fiunt[2]). Adversus has postremas profiteris te scribere.

Scis etiam, quid loquaris, mi Erasme? Tres facis hic opiniones velut trium sectarum, quod rem eandem, aliis et aliis verbis varie dissertam a nobis eisdem et unius sectae professoribus, non intelligis. Sed moneamus et ostendamus tibi oscitantiam[3]) vel hebetudinem iudicii tui.

Rogo, definitio liberi arbitrii a te data superius quomodo quadrat huic primae opinioni satis probabili? Dixisti enim liberum arbitrium esse vim voluntatis humanae, qua se homo applicare potest ad bonum; hic vero dicis et probas dici, hominem sine gratia non posse velle bonum. Definitio affirmat, quod exemplum eius negat, inveniturque in tuo libero arbitrio simul Est et Non, ut simul nos et probes et damnes, te ipsum quoque damnes et probes in uno eodemque dogmate et articulo. An putas, non esse bonum, applicare sese ad ea, quae sunt salutis aeternae, quod definitio tua tribuit libero arbitrio? cum nihil sit opus gratia, si tantum bonum esset in libero arbitrio, quo se ipsum applicare posset ad bonum. Itaque aliud est liberum arbitrium, quod definis, et aliud quod defendis,

1) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus. 2) In ed. Ien. desunt verba: meraeque etc. 3) In ed. 1525 et 1526: oscitantem; in ed. Ien.: oscitantiam.

habetque nunc Erasmus duo libera arbitria prae ceteris sibique prorsus pugnantia.

Sed dimisso illo, quod definitio finxit, hoc, quod contrarium ipsa opinio proponit, videamus. Concedis hominem sine gratia peculiari non posse velle bonum (neque enim nunc disputamus, quid gratia Dei possit, sed quid homo sine gratia possit), concedis ergo liberum arbitrium non posse velle bonum; hoc est aliud nihil, quam non posse sese applicare ad ea, quae sunt salutis aeternae, ut tua cecinit definitio. Quin paulo ante dicis, voluntatem humanam post peccatum sic esse depravatam, ut amissa libertate cogatur servire peccato nec possit se revocare ad meliorem frugem. Et nisi fallor, huius sententiae facis Pelagianos fuisse. Arbitror hic iam nullum Proteo patere effugium, apertis verbis captus tenetur, scilicet, voluntatem amissa libertate cogi ac teneri in servitute peccati. O egregie liberum arbitrium, quod amissa libertate servum peccati ab ipso Erasmo dicitur. Quod cum Lutherus diceret, nihil absurdius auditum erat, nihil inutilius hoc paradoxo invulgari potuit, ut etiam diatribas in eum scribi oporteret.

Sed forte mihi nemo credet, ista ab Erasmo dici, legatur hoc loco diatribe et mirabitur. Ego tamen non valde miror, qui enim hanc rem non habet seriam, neque causae aliquanto [1]) afficitur, sed prorsus animo alienatus taedet vel friget, vel nauseat, quomodo is non passim diceret absurda, inepta, pugnantia, dum velut ebrius vel dormitans causam agat, interque stertendum ructuat: Est, Non, dum variae voces auribus eius obstrepunt? Ideo rhetores exigunt affectum in actore causarum, multo magis theologia talem exigit, qui vigilem, acrem, intentum, prudentem et strenuum reddat.

Si igitur liberum arbitrium citra gratiam amissa libertate cogitur servire peccato, nec potest bonum velle, optarim ego scire, quod sit illud studium?

---

1) In ed. Ien: aliquando.

quis ille conatus, quem relinquit prima illa et probabilis opinio? Bonum studium, bonus conatus esse non potest, quia non potest velle bonum, ut dicit opinio, et concessum est. Malum igitur studium, malus conatus relinquitur, qui amissa libertate cogitur servire peccato. Imo quid est et hoc dicere, quaeso? Relinquit studium et conatum opinio ista, non tamen relinquit, quod viribus suis asscribatur? Quis haec animo concipere potest? Si studium et conatus viribus liberi arbitrii relinquuntur, cur non eisdem asscriberentur? Si non asscribentur, quomodo relinquuntur? An studium et conatus ille ante gratiam etiam ipsi futurae gratiae et non libero arbitrio relinquuntur, ut simul et relinquantur et non relinquantur eidem libero arbitrio? Si haec non sunt paradoxa vel potius monstra, quid tum sunt monstra?

Sed hoc forte somniat diatribe, inter haec duo, posse velle bonum, non posse velle bonum, dari medium, quod sit absolutum velle, nec boni nec mali habito respectu, ut sic argutia quadam dialectica scopulos evadamus et dicamus: In voluntate hominis esse quoddam velle, quod in bonum quidem sine gratia non potest, nec tamen sine gratia statim non nisi malum velit, sed sit purum et merum velle, per gratiam sursum ad bonum, per peccatum deorsum ad malum vertibile. Sed ubi tum illud manet, quod dictum est: Amissa libertate cogitur servire peccato? ubi tum illud studium, quod relinquitur, et conatus? ubi vis applicandi ad ea, quae salutis aeternae sunt? Neque enim vis ea applicandi ad salutem potest esse purum velle, nisi salus ipsa nihil esse dicatur. Deinde studium et conatus quoque purum velle esse non potest, cum aliquo (puta ad bonum) niti et conari, et non in nihilum ferri vel quiescere studium possit. Summa, quorsum quorsum sese verterit diatribe, non potest contradictionibus et pugnantibus dictis elabi, ut non tam ipsum liberum arbitrium, quod defendit, captivum sit, quam ipsa captiva est, sic enim in liberando

arbitrio irretitur, ut cum libero arbitrio insolubilibus vinculis teneatur.

Deinde hoc merum figmentum dialecticum est, quod in homine sit medium et purum velle, nec possunt probare qui id asserunt; ex ignorantia rerum et observantia vocabulorum natum est, quasi continuo sic sit in re, sicut disponitur in vocabulis, qualia sunt infinita apud Sophistas. Sic potius res habet, ut Christus ait: Qui non est mecum, contra me est; non ait: Qui non est mecum, nec contra me, sed in medio est. Quia si Deus in nobis est, Satan abest, et non nisi velle bonum adest, si Deus abest, Satan adest, nec nisi velle malum in nobis est. Nec Deus nec Satan merum et purum velle sinunt in nobis, sed sicut recte dixisti, amissa libertate cogimur servire peccato, hoc est, nos volumus peccatum et malum, loquimur peccatum et malum, facimus peccatum et malum.

Vide, huc perpulit diatriben imprudentem invincibilis et potentissima veritas, et stultam fecit sapientiam eius, ut contra nos dictura pro nobis contra se dicere cogeretur, non aliter, quam facit liberum arbitrium aliquid boni, tum enim contra malum faciendo maxime contra bonum malefacit, ut diatribe ipsa talis sit in dicendo, quale est liberum arbitrium in faciendo, quanquam et ipsa diatribe tota aliud nihil sit, quam egregium opus liberi arbitrii, defendendo damnans et damnando defendens, hoc est bis stulta, dum sapiens vult videri.

Sic habet prima opinio, sibi ipsa[1]) comparata, ut neget, quicquam boni posse velle hominem, et tamen relinqui studium, quod tamen suum quoque non sit. Iam comparemus eam reliquis duabus. Altera enim illa durior est, quae sentit, liberum arbitrium nihil valere nisi ad peccandum. Haec vero est Augustini, ut multis aliis locis, tum proprie libello de spiritu et litera Cap., nisi[2]) fallor, quarto aut quinto, ubi illis ipsis verbis utitur.

---

1) In ed. Ien.: sibi ipsi. 2) Ibid.: ni.

Tertia illa durissima est ipsius Vuiclefi et Lutheri [1]), esse liberum arbitrium inane nomen, omniaque, quae fiunt, esse merae necessitatis [2]). Cum his duabus conflictatur diatribe. Hic dico, forte non sumus satis latini vel Germani, ut rem ipsam non potuerimus edisserere. Sed testor Deum, aliud nihil volui dicere nec aliud intelligi per verba duarum postremarum opinionum, quam id, quod dicitur in prima opinione, nec Augustinum aliud voluisse arbitror, nec aliter ex ipsius verbis intelligo, quam quod prima dicit opinio, ita ut tres opiniones a diatribe recitatae apud me non sint nisi una illa mea sententia. Postquam enim concessum ac ratum est, liberum arbitrium amissa libertate cogi in servitute peccati nec posse quidquam velle boni, ego ex his verbis nihil aliud possum concipere, quam liberum arbitrium esse inanem voculam, cuius res amissa sit. Amissam libertatem mea Grammatica vocat nullam libertatem. Tribuere autem libertatis titulum ei, quod nullam habet libertatem, est tribuere inane vocabulum. Si hic erro, revocet qui potest, si sunt haec obscura et ambigua, illustret et stabiliat qui potest, ego sanitatem amissam non possum sanitatem appellare, nec si aegroto eam tribuero, aliud tribuisse videor, quam inane nomen.

Sed facessant monstra verborum, quis enim ferat istum abusum loquendi, ut hominem simul habere liberum arbitrium dicamus, et simul amissa libertate cogi in servitute peccati ac nihil boni posse velle asseramus? pugnant haec communi sensui, et tollunt prorsus usum loquendi, diatribe potius accusanda est, quae dormitanter sua verba effutit et aliena non observat. Non, inquam, considerat, quid sit et quantum valeat dicere: Homo amisit libertatem, cogitur servire peccato nec potest quicquam velle boni; si enim vigilaret et observaret,

1) In ed. Ien. desunt verba: ipsius Vuiclefi et Lutheri. 2) Ibidem haec sic leguntur: omniaque quae facimus esse necessario sub servitute peccati.

plane videret, unam esse trium opinionum sententiam, quas diversas et pugnantes facit. Nam qui amisit libertatem et cogitur servire peccato nec potest velle bonum, quid de illo rectius inferetur, quam necessario illum[1]) peccare vel malum velle? Sic enim et Sophistae concluderent per suos syllogismos. Quare diatribe infeliciter nimis conflictatur contra duas postremas, dum primam probat, quae eadem est cum illis, iterum more suo sese damnando et nostra probando in uno eodemque articulo[2]).

Veniamus nunc ad locum Ecclesiastici, et cum ipso quoque comparemus primam illam probabilem opinionem. Opinio dicit: Liberum arbitrium non posse velle bonum. locus autem Ecclesiastici adducitur ad probandum: Liberum arbitrium aliquid esse et posse. Aliud igitur statuit opinio per Ecclesiasticum confirmanda, et ad aliud allegatur Ecclesiasticus confirmandum, tanquam si quis probaturus sit, Christum esse Messiam, adducat locum, qui probet, Pilatum fuisse Praesidem Syriae aut aliud quippiam, quod dis dia pason conveniat. Sic et hic probatur liberum arbitrium, ut taceam, quod supra exegi, nihil clare certoque dici, aut probari, quid sit, quid possit liberum arbitrium. Sed dignum est, totum eum locum pervidere.

Primo dicit: Deus constituit hominem ab initio. Hic de creatione hominis loquitur, nec adhuc quidquam vel de libero arbitrio, vel de praeceptis dicit.

Sequitur: Et reliquit eum in manu consilii sui. Quid hic? an hic liberum arbitrium astruitur? At ne hic quidem fit mentio de praeceptis, pro quibus liberum arbitrium exigitur, nec quidquam de hac re legitur in creatione hominis. Si igitur aliquid (per manum consilii) intelligitur, id potius intelligitur, quod Gen. 1 et 2: Homo constitutus est Dominus rerum, ut in illis libere dominaretur, ut

1) Ibid.: quam non nisi illum. 2) In ed. 1525 et 1526: in uno eademque articulo.

dicit Moses: Faciamus hominem, qui praesit piscibus maris. Nec aliud ex istis verbis evinci potest. Ibi enim homo potuit in rebus suo arbitrio agere, ut sibi subiectis. Denique hoc vocat hominis consilium, velut aliud a Dei consilio. Post haec vero, ubi sic constitutum et relictum hominem in manu consilii sui dixerat, prosequitur:

Adiecit mandata et praecepta sua. Ad quid adiecit? Nempe ad consilium et arbitrium hominis, et ultra illam constitutionem dominii humani super res alias, quibus praeceptis ademit homini dominium, una parte creaturarum (puta arboris scientiae boni et mali), ac potius non liberum voluit, adiectis autem praeceptis, tum venit ad arbitrium hominis erga Deum et ea, quae Dei sunt.

Si volueris mandata conservare, conservabunt te etc. Igitur ab hoc loco, Si volueris, incipit quaestio de libero arbitrio, ut per Ecclesiasticum intelligamus, hominem in duo regna distribui, uno, quo fertur suo arbitrio et consilio absque praeceptis et mandatis Dei, puta in rebus sese inferioribus. Hic regnat et est Dominus, ut in manu consilii sui relictus; non quod Deus illum sic deserat, ut non in omnibus cooperetur, sed quod usum rerum illi liberum pro arbitrio concesserit, nec ullis legibus aut praescriptis inhibuerit, ac si dixeris per similitudinem: Evangelium reliquit nos in manu consilii nostri, ut in rebus dominemur et utamur, sicut volumus. At Moses et Papa non reliquerunt nos in eo consilio, sed legibus nos coercuerunt et suo potius arbitrio subiecerunt. Altero vero regno non relinquitur in manu consilii sui, sed arbitrio et consilio Dei fertur et ducitur, ut sicut in suo regno fertur suo arbitrio absque praeceptis alterius, ita in regno Dei fertur alterius praeceptis absque suo arbitrio. Atque hoc est, quod Ecclesiasticus dicit: Adiecit praecepta et mandata, Si volueris etc.

Si igitur haec clara satis sunt, evicimus, hunc locum Ecclesiastici non pro libero arbitrio, sed contra liberum arbitrium valere, ut quo subiicitur homo

praeceptis et arbitrio Dei, et [1]) eximitur suo arbitrio. Si clara satis non sunt, id tamen effecimus, ut pro libero arbitrio valere non possit hic locus, ut qui alio quam ipsorum sensu, puta nostro iam dicto, eoque non absurdo, sed sanissimo, et qui toti Scripturae consonet, intelligi possit, cum illorum sensus toti Scripturae pugnet, et hoc uno solo loco petitur, contra totam Scripturam. Stamus igitur securi in bono sensu, et negativo liberi arbitrii, donec illi suum affirmativum, difficilem et coactum confirmaverint.

Ubi igitur Ecclesiasticus dicit: Si volueris mandata conservare, conservabunt te, et fidem placitam servare, non video, quomodo istis verbis liberum arbitrium probetur. Est enim verbum coniunctivi modi (Si volueris), quod nihil asserit, sicut Dialectici dicunt: Conditionalem indicative nihil asserere, ut: Si Diabolus est Deus, merito adoratur; si asinus volat, asinus habet alas; si liberum arbitrium est, gratia nihil est. Oportuit autem Ecclesiasticum sic dicere, si voluisset liberum arbitrium asserere: Homo potest servare mandata Dei, vel homo habet vim servandorum mandatorum.

Sed hic diatribe argutabitur, Ecclesiasticus dicendo: Si volueris servare, significat inesse voluntatem homini ad servandum, et ad non servandum, alioqui quid sonat dicere ad eum, qui voluntatem non habet, Si volueris? Nonne ridiculum est, si quis ad caecum dicat: Si volueris videre, invenies thesaurum, aut ad surdum: Si volueris audire, narrabo tibi bonam historiam? Hoc esset miseriam illorum ridere.

Respondeo: Haec sunt argumenta rationis humanae, quae tales sapientias fundere solet. Quare iam non cum Ecclesiastico, sed cum ratione humana disputandum nobis est de sequela, nam Scripturas Dei suis sequelis et syllogismis interpretatur et trahit quorsum velit, faciemusque id libenter et

---

1) In ed. 1526 deest: et.

cum fiducia, ut qui sciamus, eam non nisi stulta et absurda garrire, tum maxime, cum in rebus sacris suam sapientiam ostendere incipit.

Ac primum, si interrogem, unde probetur significari vel sequi, voluntatem inesse liberam, quoties dicitur: Si volueris, Si feceris, Si audieris? dicet: Quia sic videtur natura verborum et usus loquendi exigere inter homines. Ergo divinas res et verba metitur ex usu et rebus hominum. Quo quid perversius, cum illa sint coelestia, haec terrena? Prodit igitur stulta se ipsam, quam nihil de Deo nisi humanum cogitet.

Sed quid, si probem, naturam verborum et usum loquendi etiam apud homines non semper ita habere, ut rideantur ii, qui non possunt, quoties eis dicitur: Si volueris, Si feceris, Si audieris? Quoties parentes cum filiis suis ludunt, dum eos iubent aut ad se venire, hoc aut illud facere, ea tantum gratia, ut appareat, quam non possint, coganturque manum parentis invocare? Quoties medicus fidelis superbum aegrotum iubet facere aut omittere, quae illi sunt vel impossibilia vel noxia, ut ad notitiam morbi aut impotentiae suae illum per experientiam sui promoveat, ad quam nulla alia ratione illum perducere potuit? Et quid usitatius et vulgatius insultandi et provocandi verbis, sive hostibus, sive amicis ostendere volumus, quid possint et non possint? Haec tantum recito, ut rationi suas sequelas ostendam, quam stulte eas Scripturis affingat, tum quam caeca etiam sit, ut non videat, nec in humanis rebus et verbis eas semper locum habere. Sed si aliquando ita videat fieri, mox praeceps feratur et generaliter in omnibus Dei et hominum verbis fieri iudicet, faciens ex particulari universalem, more sapientiae suae.

Si nunc Deus velut Pater nobiscum velut filiis suis agat, ut ignaris nobis ostendat nostram impotentiam, vel ut medicus fidelis nobis nostrum morbum notum faciat, velut hostibus suis superbe resistentibus suo consilio insultet, et legibus propositis (quibus id commodissime efficit) dicat: Fac, audi,

serva, vel, Si audieris, si volueris, si feceris, nunquid hinc proba consequentia inferetur: Ergo nos possumus libere, aut Deus nos irridet? Cur non id potius sequitur? Ergo Deus nos tentat, ut per legem nos ad cognitionem nostrae impotentiae perducat, si amici sumus, vel tum vere et merito insultet ac irrideat, si hostes superbi sumus. Haec enim est causa legislationis divinae, ut Paulus docet. Caeca est enim natura humana, ut nesciat suas ipsius vires seu morbos potius, deinde superba videtur sibi nosse et posse omnia, cui superbiae et ignorantiae nullo Deus remedio praesentiori mederi potest quam proposita lege sua. De qua re plura dicemus loco suo, hic praelibasse satis sit ad confutandam istam sequelam carnalis et stultae sapienitae: Si volueris, ergo potes velle libere. Diatribe somniat hominem esse integrum et sanum, qualis est aspectu humano in rebus suis; ideo argutatur istis verbis, Si volueris, Si feceris, Si audieris, rideri hominem, nisi liberum eius arbitrium sit. Scriptura autem definit hominem esse corruptum et captum, tum superbe contemnentem et ignorantem suae corruptionis et captivitatis. Ideo illis verbis ipsum vellit et suscitat, ut agnoscat vel experientia certa, quam nihil horum possit.

Sed ipsam diatriben petam: Si vere sentis, o domina ratio, sequelas istas constare (Si volueris, ergo potes libere), cur tu ipsa non easdem imitaris? Tu enim dicis opinione illa probabili, liberum arbitrium non posse velle quicquam boni. Qua igitur sequela fluet hoc simul ex isto loco (Si volueris servare), e quo dicis fluere, posse hominem velle et non velle libere? Nunquid ex eodem fonte manat dulce et amarum? An et tu magis rides hic hominem, quae dicis eum posse servare, quae non potest velle nec optare? Igitur nec tu ex animo sentis, bene sequi (Si volueris, ergo potes libere), etiamsi id tanta contentione agas; aut non ex animo probabilem illam opinionem dicis, quae sentit, hominem non posse velle bonum. Sic sequelis et verbis sapientiae suae capitur ratio, ut nesciat, quid

aut de quo loquatur; nisi quod dignissimum est, liberum arbitrium talibus argumentis, sese mutuo devorantibus et conficientibus, defendi, quo modo Madianitae*) mutuis caedibus sese perdiderunt, dum Gedeonem cum populo Dei impugnaverunt.

Quin latius expostulabo cum sapientia ista diatribes, Ecclesiasticus non dicit: Si habueris studium vel conatum servandi, qui non asscribatur viribus tuis, ut tu colligis, sed sic dicit: Si volueris servare mandata, servabunt te. Si nunc more tuae sapientiae sequelas ducere volumus, sic inferemus: Ergo homo potest servare mandata. Ac sic non modiculum studium vel conatulum aliquem hic reliquum faciemus in homine, sed totam plenitudinem et abundantiam servandorum mandatorum ei tribuemus, alioqui rideret Ecclesiasticus hominis miseriam, ut servare illum iuberet, quem nosset non posse servare. Nec satis foret, quod conatus et studium illi adesset, nec sic enim evaderet suspicionem irrisionis, nisi vim servandi illi inesse significaret.

Fingamus vero, studium et conatum illum liberi arbitrii aliquid esse, quid ad illos, nempe Pelagianos, dicemus, qui ex hoc loco gratiam in totum negabant et libero arbitrio omnia tribuebant? Plane vicerint Pelagiani, si sequela diatribes constet. Nam verba Ecclesiastici sonant de servando, non de conando aut studendo. Quod si Pelagianis negaveris sequelam de servando, ipsi rursus multo rectius negabunt sequelam de conando. Et si tu illis totum liberum arbitrium abstuleris, auferent et ipsi tibi particulam eius reliquam, ut particulae non possis asserere, quod toti denegaris. Quicquid igitur contra Pelagianos dixeris, totum libero arbitrio tribuentibus ex hoc loco, hoc nos multo fortius contra modiculum illud studium tui liberi arbitrii dicemus. Et Pelagiani eatenus nobis consentient, ut si ipsorum opinio ex hoc loco non potest probari,

*) Iud. 7.

multo minus ulla alia poterit inde probari, cum, si sequelis agenda sit causa, fortissime omnium pro Pelagianis faciat Ecclesiasticus, ut qui claris verbis de toto servando dicat: Si volueris mandata servare. Imo et de fide dicit: Si vis fidem placitam servare, ut eadem sequela et fidem servare in nostra potestate esse oporteat, quae tamen donum Dei est singulare ac rarum, ut Paulus dicit.

Summa, cum tot recenseantur opiniones pro libero arbitrio, et nulla sit, quae non hunc locum Ecclesiastici pro se rapiat, illaeque sint diversae et contrariae, fieri non potest, quin Ecclesiasticum habeant contradictorium ac diversum sibi ipsis in unis eisdemque verbis, ideo nihil ex ipso probare possunt, quamvis, si sequela illa admittitur, pro Pelagianis solis faciat contra omnes alios; ideo et contra diatriben facit, quae suo ipsius gladio hoc loco iugulatur.

Nos autem, ut coepimus, dicimus, quod hic locus Ecclesiastici nullis prorsus patrocinatur, qui liberum arbitrium asserunt, sed contra omnes pugnet. Non enim admittenda est illa sequela: Si volueris, ergo poteris, sed sic intelligetur, eo verbo et similibus moneri hominem suae impotentiae, quam ignarus et superbus sine istis monitionibus divinis non agnosceret, nec sentiret.

Loquimur autem hic non de homine primo solum, sed de quolibet, quamvis parum referat, de primo vel aliis quibuslibet intelligas. Nam etsi primus homo non erat impotens assistente gratia, tamen in hoc praecepto satis ostendit ei Deus, quam esset impotens absente gratia. Quod si is homo, cum adesset spiritus, nova voluntate non potuit velle bonum de novo propositum, id est, obedientiam, quia spiritus illam non addebat, quid nos sine spiritu possemus in bono amisso? Ostensum est ergo in isto homine, terribili exemplo pro nostra superbia conterenda, quid possit liberum arbitrium nostrum sibi relictum, ac non continuo magis ac magis actum et auctum spiritu Dei; ille non potuit in auctiorem spiritum, cuius primitias habebat,

sed cecidit a primitiis spiritus, quomodo nos lapsi possemus in primitias spiritus ablatas, praesertim iam regnante in nobis plena potestate Satana, qui illum sola tentatione nondum regnans in eo prostravit? Nihil fortius disseri posset contra liberum arbitrium, quam si locus hic Ecclesiastici cum lapsu Adae tractaretur, sed nunc non est locus, ac alibi forte sese res dabit. Interim satis est, monstratum esse, Ecclesiasticum prorsus nihil pro libero arbitrio dicere hoc loco, quem tamen pro principe loco habent, atque eum locum et similes: Si volueris, Si audieris, Si feceris, non ostendere, quid possint, sed quid debeant homines.

Alius locus a diatribe nostra adducitur ex Gene. 4, ubi ad Cain dicit Dominus: Sub te erit appetitus peccati, et tu dominaberis illius. Ostenditur hic (ait diatribe), animi motus ad turpia vinci posse, nec afferre necessitatem peccandi.

Illud (Animi motus ad turpia vinci posse) quamvis ambigue dictum sit, tamen vi sententiae, consequentiae et rerum huc cogitur, quod liberi arbitrii sit vincere suos motus ad turpia, nec motus illi necessitatem afferant peccandi. Quid iterum hic omittitur, quod libero arbitrio non tribuitur? Quid opus spiritu? quid Christo? quid Deo? si liberum arbitrium vincere potest animi motus ad turpia? ubi iterum opinio probabilis, quae dicit liberum arbitrium nec velle quidem posse bonum? hic vero victoria mali tribuitur ei, quod nec vult nec optat bonum. Nimis nimia est incogitantia diatribae[1]) nostrae.

Rem breviter accipe, sicut dixi, talibus dictis ostenditur homini, quid debeat, non quid possit. Cain igitur dicitur, ut debeat peccato dominari et eius appetitum sub se tenere, verum hoc neque fecit neque potuit, ut iam alieno imperio Satanae pressus. Notum est enim, Ebraeos frequenter indicativo futuro uti pro imperativo, ut in Exod. 20:

1) In ed. Ien.: diatribes.

Non habebis Deos alienos, Non occides, Non fornicaberis, et talia infinita, alioqui si indicative (ut sonant) acciperentur, essent promissiones Dei, qui cum mentiri nequeat, fieret ut nullus homo peccaret, tum sine necessitate praeciperentur. Ita interpres noster hoc loco rectius sic transtulisset: Sed sub te sit appetitus eius, et tu dominare illius. Sicut et de muliere dici debuit*): Sub viro tuo sis, et ipse dominetur tui. Quod enim non indicative sit ad Cain dictum, probat id, quia tum fuisset divina promissio, at promissio non fuit, quia contrarium evenit et factum est per Cain.

Tertius[1]) est ex Mose: Posui ante faciem tuam viam vitae et mortis, elige, quod bonum est etc. Quid (inquit) apertius dici poterat? Eligendi libertatem relinquit homini.

Respondeo: Quid apertius quam te hic caecutire? ubi quaeso relinquit libertatem eligendi? In eo quod dicit: Elige? Ergo statim, ut Moses dicit, elige, fit, ut eligant? Igitur iterum non est necessarius spiritus. Et cum tu toties repetas et inculces eadem, mihi quoque licebit eadem saepius iterare. Si libertas eligendi adest, cur opinio probabilis dixit, liberum arbitrium non posse velle bonum? an eligere potest non volens aut nolens? Sed audiamus similitudinem:

Ridicule[1]) diceretur in bivio consistenti, vides duplicem viam, utram voles ingreditor, quum altera tantum pateret.

Hoc est quod supra dixi de argumentis rationis carnalis, quod rideri hominem putat[2]) praecepto impossibili, quo nos ipsum dicimus moneri et excitari, ut videat impotentiam suam. Vere igitur in bivio sumus, altera vero via tantum patet, imo nulla patet, ostenditur vero per legem, quam altera scilicet ad bonum sit impossibilis, nisi Deus spiritum donet, altera vero, quam sit lata et facilis, si

*) Gene. 3. 1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus. 2) In ed. 1525 et ed. Ien.: putet.

Deus permittat. Non igitur ridicule, sed necessaria gravitate diceretur in bivio consistenti, utram viam voles ingreditor, si ipse vel infirmus sibi fortis videri vellet aut viam neutram esse clausam contenderet.

Quare legis verba dicuntur, non ut vim voluntatis affirment, sed ut caecam rationem illuminent, quo videat, quam nulla sit sua lux et nulla voluntatis virtus. Cognitio peccati (ait Paulus) per legem, non ait, abolitio aut vitatio peccati. Tota ratio et virtus legis est in sola cognitione, eaque non nisi peccati, praestanda, non autem in virtute aliqua ostendenda aut conferenda. Cognitio enim non est vis, neque confert vim, sed erudit et ostendit, quod nulla sit ibi vis, et quanta sit ibi infirmitas, nam cognitio peccati, quid aliud esse potest, quam notitia infirmitatis et mali nostri, non enim dicit, per legem venit cognitio virtutis aut boni; at totum quod facit lex (teste Paulo) est, ut peccatum cognosci faciat.

Atque is est locus, unde mihi sumpta est responsio ista, verbis legis moneri ac erudiri hominem, quid debeat, non quid possit, id est, ut cognoscat peccatum, non ut credat sibi esse aliquam vim. Proinde quoties, mi Erasme, mihi verba legis opponis, opponam tibi illud Pauli: Per legem cognitio peccati, non virtus voluntatis. Congere igitur, vel ex Concordantiis maioribus, omnia verba imperativa in unum chaos, modo non fuerint promissionis, sed exactionis et legis verba, mox dicam, semper illis significari, quid debeant, non quid possint aut faciant homines. Atque id etiam Grammatici et pueri in triviis sciunt, verbis imperativi modi nihil amplius significari, quam id, quod debeat fieri. Quid autem fiat vel possit fieri, verbis indicativis oportet disseri.

Qui fit igitur, ut vos theologi sic ineptiatis velut bis pueri, ut mox apprehenso uno verbo imperativo inferatis indicativum, quasi statim, ut imperatum sit, etiam necessario factum aut factu possibile sit. Quanta enim inter os et offam accidunt, ut id,

quod iusseris, atque adeo possibile satis fuit, non tamen fiat? tanto distant imperativa et indicativa verba in rebus communibus et facillimis. Et vos in rebus istis, plus distantibus quam coelum et terra, atque adeo impossibilibus, tam subito facitis nobis indicativa ex imperativis, ut mox servata, facta, electa ac impleta velitis vel talia fore nostris viribus, quam primum audieritis vocem imperantis: Fac, serva, elige.

Quarto[1]) ex Deut. 3 et 30 affers multa similia eligendi, avertendi, servandi verba, ut Si servaris, si aversus fueris, si elegeris etc. Haec, ais, omnia intempestive dicerentur, si non esset voluntas hominis libera ad bonum.

Respondeo: Et tu, mea diatribe, satis intempestive ex istis verbis colligis libertatem arbitrii. Conatum enim et studium liberi arbitrii tantum eras probatura, nullum autem locum adducis, qui talem conatum probet. Adducis vero eos locos, qui, si tua sequela valeret, totum libero arbitrio tribuant. Distinguamus igitur iterum hic verba Scripturae adducta, et additam diatribes sequelam. Verba adducta sunt imperativa, nihil dicunt, nisi quid fieri debeat, neque enim Mose dicit: Eligendi habes vim vel virtutem, sed elige, serva, fac; praecepta faciendi tradit, non autem describit hominis facultatem. Sequela vero per sciolam illam diatriben addita infert: Ergo potest homo talia, alioqui frustra praeciperentur. Cui respondetur: Domina diatribe, vos male infertis, nec probatis sequelam, sed caecitati et oscitantiae vestrae videtur id sequi et probari. Praecipiuntur autem non intempestive nec frustra, sed ut homo superbus et caecus per haec suae impotentiae morbum discat, si tentet facere, quod praecipitur. Sic et similitudo tua nihil valet, ut[2]) dicis:

Alioqui[1]) perinde fuerit, ac si quis homini sic

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.
2) In ed. 1525 et ed. Ien.: ubi.

alligato, ut non possit brachium nisi in laevam porrigere, diceret: Ecce habes ad dextram vinum optimum, habes ad laevam toxicum, utro velis, porrige manum.

Credo tibi suavissime blandiri istas tuas similitudines, sed simul non vides, si stent similitudines, quod multo plura probent, quam probare statuisti, imo probent, quae tu negas et improbata velis, nempe liberum arbitrium omnia posse. Perpetuo enim tractatu oblitus, quod dixisti, liberum arbitrium nihil posse sine gratia, probas, quod liberum arbitrium omnia possit sine gratia. Nam hoc efficiunt sequelae et similitudines tuae, ut aut liberum arbitrium se solo ea possit, quae dicuntur et praecipiuntur, aut frustra, ridicule, intempestive praecipiantur. Hae autem sunt veteres cantilenae Pelagianorum, quas etiam Sophistae exploserunt, atque tu ipse damnasti. Sed interim significas hac oblivescentia et mala memoria tua, quam nihil vel intelligas vel afficiaris causae. Quid enim turpius rhetori, quam perpetuo aliena a statu causae tractare et probare, imo contra causam et se ipsum semper declamare.

Dico igitur denuo: Verba Scripturae adducta per te sunt imperativa, et nihil probant, nihil statuunt de viribus humanis, sed praescribunt facienda et omittenda. Sequelae vero vel additiones et similitudines tuae, si quid probant, probant hoc, liberum arbitrium omnia posse sine gratia; at hoc probandum non est a te susceptum, imo negatum, ideo probationes eiusmodi aliud nihil sunt, quam improbationes fortissimae. Si enim arguam (si forte veternum diatribes excitare queam), dum Moses dicit: Elige vitam et serva mandatum, nisi homo possit eligere vitam et servare mandatum, ridicule Moses illud homini praeciperet, nunquid isto argumento probavi, liberum arbitrium nihil posse boni, aut habere conatum sine suis viribus? Imo probavi contentione satis forti, aut hominem posse eligere vitam et servare mandatum, sicut praecipitur, aut Mosen esse ridiculum praeceptorem; sed Mosen ridiculum praeceptorem esse quis audeat dicere? Sequitur

ergo, hominem posse, quae praecipiuntur. Hoc modo perpetuo disputat diatribe contra suum ipsius institutum, quo se non sic disputaturam promisit, sed quendam conatum liberi arbitrii ostensuram, cuius tamen non meminit multum tota serie argumentorum, tantum abest, ut probet, quin contrarium potius probat, ut ipsa potius omnia ridicule et dicat et disputet.

Iam ut ridiculum sit, iuxta similitudinem inductam, ut alligatus dextro brachio iubeatur in dexteram porrigere manum, cum non possit nisi in laevam. Nunquid etiam ridiculum est, si ligatus vel utroque brachio superbe contendat, vel ignarus praesumat, sese in utramque partem omnia posse, ac tum iubeatur in utram partem porrigere manum, non ut rideatur eius captivitas, sed ut praesumtio falsa libertatis et potentiae suae coarguatur, vel ignorantia captivitatis et miseriae suae sibi innotescat? Diatribe nobis perpetuo fingit hominem talem, qui vel possit, quod praecipitur, vel saltem cognoscat sese non posse. At talis homo nusquam est. Atque si quis talis esset, tum vere aut ridicule praeciperentur impossibilia, aut frustra esset spiritus Christi.

Scriptura vero talem proponit hominem, qui non modo sit ligatus, miser, captus, aeger, mortuus, sed qui addit, operante Satana principe suo, hanc miseriam caecitatis miseriis suis, ut se liberum, beatum, solutum, potentem, sanum, vivum esse credat. Scit enim Satan, quod, si homo suam miseriam nosset, nullum retinere in suo regno posset, quod agnitae miseriae et clamantis Deus non possit non statim misereri et auxiliari, ut qui prope esse contritis corde tanta laude praedicetur per omnem Scripturam, ut etiam Esaiae 61 Evangelium pauperibus praedicare et contritis mederi Christus sese missum testetur. Proinde Satanae opus est, ut homines teneat, ne suam miseriam agnoscant, sed praesumant sese posse omnia, quae dicuntur. Mosi vero et legislatoris opus est contrarium, ut per legem homini miseriam suam patefaciat, ut sic contritum et confusum in sui cognitione ad gra-

tiam praeparet et ad Christum mittat, et sic salvus fiat. Non igitur ridicula, sed vehementer seria et necessaria sunt, quae per legem geruntur.

Qui nunc ista intelligunt, facile simul intelligunt, diatriben tota serie argumentorum prorsus nihil efficere, dum nihil nisi verba imperativa colligit e Scripturis, quae nec intelligit, quid velint, et quare dicantur, deinde adiectis suis sequelis et similitudinibus carnalibus tam robustam offam miscet, ut plus asserat et probet, quam instituerat, ac contra se ipsam disputet, ut non fuerit opus, ulterius singula percurrere; una enim solutione solvuntur omnia, dum uno argumento nituntur omnia. Tamen, ut obruatur copia, qua me voluit obruere, pergam aliquot recensere.

Esaiae 1: Si [1]) volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis, ubi magis congruebat dicere iudice diatribe: Si voluero, si noluero, si nulla est libertas voluntatis.

Satis ex supra dictis patet responsio. Deinde quid esset ibi congruitatis, si diceretur: Si voluero, bona terrae comedetis? An diatribe sentit prae nimia sapientia, bona terrae comedi posse, nolente Deo [2]), aut rarum et novum esse, quod non nisi volente Deo bona suscipimus?

Sic [1]) illud Esaiae 30: Si quaeritis, quaerite, convertimini et venite. Quorsum attinet hortari eos, qui nulla parte suae potestatis sunt? ac si vinculis astricto dicat quis, move te istic, ait diatribe.

Imo quorsum attinet (inquam) citare locos, qui se solis nihil probant, et adiecta sequela, hoc est, depravato eorum sensu, omnia tribuunt libero arbitrio, cum solum conatus quidam nec libero arbitrio ascribendus probari debuit?

Idem [1]) dicetur ad illud Esaiae 45: Congregamini et venite, convertimini ad me, et salvi eritis; et 52: Consurge, consurge, excutere de pulvere, solve vincula colli tui; item Ieremiae 15: Si converteris, convertam te, si [3]) separaveris pretiosum a vili,

---

1) In ed. Ien. margini inscriptum est: Erasmus. 2) In ed. 1526: volente Deo. 3) In ed. 1525 et ed. Ien: et si.

tanquam os meum eris. Evidentius vero Zacharias *) liberi arbitrii conatum indicat, et gratiam conanti paratam: Convertimini (inquit) ad me, dicit Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus.

In his locis diatribe nostra prorsus nihil discernit inter voces legis et Evangelii, tam scilicet caeca et ignara est, ut, quid lex, quid Evangelium sit, non videat. Ex Esaia enim toto, praeter illum unum locum, Si volueritis, nullum legis verbum affert, reliqui omnes sunt Evangelici, quibus contriti et afflicti verbo gratiae oblatae vocantur ad consolationem. Sed diatribe verba legis ex ipsis facit. Obsecro autem te, quid ille in re theologica vel sacris literis efficiat, qui nondum eo pervenit, ut quid lex, quid Evangelium sit, norit, aut, si norit, contemnat tamen observare? Is omnia misceat oportet, coelum, infernum, vitam, mortem, ac prorsus nihil de Christo scire laborabit. De qua re meam diatriben infra pluribus monebo.

Illud Ieremiae **) et Zachariae vide: Si converteris, convertam te, et: Convertimini ad me, et convertar ad vos. Nunquid sequitur: Convertimini, ergo potestis converti? Nunquid sequitur: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ergo poteris diligere ex toto corde? Quid igitur concludunt argumenta eiusmodi, nisi liberum arbitrium gratia Dei non egere, sua vero virtute omnia posse? Quanto rectius igitur verba, ut posita sunt, accipiuntur? Si conversus fueris, convertam et ego te, hoc est, si desieris peccare, desinam et ego punire, atque si conversus bene vixeris, benefaciam et ego, vertens captivitatem et mala tua. Sed ex iis non sequitur, quod sua vi homo convertatur, nec hoc ipsa verba dicunt sed dicunt simpliciter, Si convertaris, quo monetur homo, quid debeat. Cognito autem eo ac viso, quod non possit, quaerat unde possit, nisi Leviathan diatribes (id est, additamentum et sequela eius) interveniat, quae dicat, alioqui frustra

*) Zach. 2. **) Ierem. 15.

diceretur: Convertimini, nisi sua vi possit converti homo. Quod quale sit, et quid efficiat, satis dictum est.

Stupor quidam vel lethargia quaedam[1]) est, quod illis verbis, Convertimini, Si converteris, et similibus putatur vis liberi arbitrii confirmari, nec observatur, quod eadem ratione et isto verbo confirmaretur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, cum utrobique sit par significatio imperantis et exigentis. Non minus vero requiritur dilectio Dei, quam conversio nostri, et omnium praeceptorum, cum dilectio Dei sit vera conversio nostri. Et tamen ex illo dilectionis praecepto nemo arguit liberum arbitrium; ex illis vero verbis: Si volueris, Si audieris, Convertere, et similibus, omnes arguunt. Si ergo ex illo verbo (Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde) non sequitur, liberum arbitrium aliquid esse aut posse, certum est, quod nec ex illis sequitur: Si volueris, Si audieris, Convertimini, et similibus, quae vel minus exigunt, vel minus vehementer exigunt, quam illud: Dilige Deum, Ama Dominum.

Quicquid igitur respondetur ad verbum illud, Dilige Deum, ne concludat pro libero arbitrio, idem dicetur ad omnia alia verba imperandi vel exigendi, ne concludant pro libero arbitrio. Scilicet quod diligendi verbo ostenditur forma legis, quid debeamus, non autem vis voluntatis aut quid possimus, imo quid non possimus, idem ostenditur aliis omnibus verbis exactionis. Constat enim Scholasticos etiam asserere, exceptis Scotistis et Modernis, hominem non posse diligere Deum toto corde. Ita nec ullum aliorum praeceptorum praestare potest, cum in hoc uno omnia pendeant, teste Christo. Sic relinquitur, etiam Scholasticis Doctoribus testibus, verba legis non arguere virtutem liberi arbitrii, sed ostendere, quid debeamus, et quid non possimus.

Verum diatribe nostra magis ineptiens ex illo Zachariae *): Convertimini ad me, non solum indicativum infert, sed etiam conatum liberi arbitrii, et gratiam conanti paratam contendit probare.

---

1) In ed. Ien.: lethargus quidam. *) Zach. 1.

Et hic aliquando tandem sui conatus meminit. Et nova grammatica Converti apud illam significat id, quod conari, ut sit sensus, Convertimini ad me, id est, conamini converti, et convertar ad vos, id est, conabor converti ad vos, ut etiam Deo aliquando conatum tribuat, forte et ipsi gratiam paratura conanti; si enim converti uno aliquo loco significat conari, cur non ubique?

Rursus illo Iere. 15: Si separaveris pretiosum a vili, libertatem eligendi, non solum conatum probari dicit, quam superius docuerat esse amissam, et versam in necessitatem serviendi peccato. Vides ergo diatriben vere liberum arbitrium habere in Scripturis tractandis, ut apud illam eiusdem formae verba in uno loco conatum, in alio libertatem probare cogantur, prout visum fuerit.

Sed eant vanitates. Verbum convertendi duplici usu in Scripturis tractatur, usu legali, et usu Evangelico. Usu legali est vox exactoris et imperantis, quae non conatum, sed totius vitae requirit mutationem, ut Ieremia crebro utitur dicens: Convertimini unusquisque a via sua mala, Convertere ad Dominum. Ibi enim involvit exactionem omnium praeceptorum, ut satis patet. Usu Evangelico est vox consolationis et promissionis divinae, qua nihil a nobis exigitur, sed nobis offertur gratia Dei. Ut est illud Psal. 14 [1]): Cum converterit Dominus captivitatem Zion, et illud 116 [1]). Convertere, anima mea, in requiem tuam. Zacharias igitur brevissimo compendio utramque praedicationem tam legis quam gratiae absolvit, lex tota est et summa legis, ubi dicit: Convertimini ad me; gratia est, ubi dicit: Convertar ad vos. Iam quantum probatur liberum arbitrium ex isto verbo, Ama Dominum, aut alio quovis particularis legis verbo, tantum probatur ex hoc summario verbo legis, Convertimini. Prudentis igitur lectoris est, in Scripturis observare, quae verba legis, quae gratiae sunt, ut non omnia con-

1) In ed. 1525 et 1526: Psalm. 13. — et illud 22.

fusa habeat, more immundorem Sophistarum et huius oscitantis diatribes.

Nam vide[1]), quomodo tractet insignem illum locum Ezechielis 18: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Primum, toties (inquit) repetitur in hoc capite, Averterit se, fecit, operatus est, in bonam et malam partem; et ubi sunt, qui negent hominem quicquam agere?

Vide quaeso egregiam consequentiam, conatum ac studium probatura erat liberi arbitrii, et probat totum factum, impleta omnia per liberum arbitrium. Ubi nunc sunt, quaeso, qui gratiam et spiritum sanctum requirant? Sic enim argutatur dicens: Ezechiel dicit, Si averterit se impius et fecerit iustitiam et iudicium, vivet, ergo impius mox ita facit et potest facere. Ezechiel significat, quid fieri debeat, diatribe intelligit id fieri et factum esse, iterum nova grammatica nos doctura, quod idem sit debere et habere, idem exigi et praestari, idem postulare et reddere.

Deinde[1]) illam vocem dulcissimi Evangelii: Nolo mortem peccatoris etc. sic versat: Deploratne pius Dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in illis? Si ille non vult mortem, utique nostrae voluntati imputandum est, si perimus. Quid vero imputes illi, qui nihil potest agere neque boni neque mali?

Idem et Pelagius cantillavit, cum non studium neque conatum, sed totam vim implendi ac faciendi omnia tribueret libero arbitrio. Nam eam vim probant istae sequelae (ut diximus), si quid probant, ut aeque fortiter atque adeo fortius pugnent contra ipsam diatriben, quae negat illam vim liberi arbitrii et solum conatum struit, atque contra nos pugnant, qui totum liberum arbitrium negamus. Sed omissa ignorantia eius rem ipsam dicemus.

Vox Evangelica et dulcissimum solatium est

1) In ed. Ien. margini inscriptum est: Erasmus.

miseris peccatoribus, ubi Ezechiel dicit: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, omnibus modis sicut et illa Psalmi 30[1]): Quoniam momentum est ira eius, et vita potius voluntas eius; et Psal. 68: Quam suavis est misericordia tua, Domine; item: Quia misericors sum; et illud Christi Matth. 11: Venite ad me omnes, qui laboratis, et ego reficiam vos; item illud Exod. 20: Ego facio misericordiam in multa millia iis, qui diligunt me. Et quid est ferme plus quam dimidium sacrae Scripturae, quam merae promissiones gratiae, quibus offertur a Deo misericordia, vita, pax, salus hominibus? Quid autem aliud sonant promissionis verba, quam illud: Nolo mortem peccatoris? An non idem est dicere, Ego sum misericors, ac si diceret, Non irascor, nolo punire, nolo vos mori, volo ignoscere, volo parcere? Et nisi starent illae promissiones divinae, quibus afflictae conscientiae sensu peccati ac metu mortis et iudicii territae erigerentur, quis locus veniae aut spei foret? quis peccator non desperaret? Sed sicut liberum arbitrium ex aliis verbis misericordiae aut promissionis aut solatii non probatur, ita nec ex isto: Nolo mortem peccatoris etc.

Sed diatribe nostra, iterum nihil inter legis et promissionis verba distinguens, facit hunc locum Ezechielis vocem legis ac sic exponit: Nolo mortem peccatoris, id est, nolo, quod mortaliter peccet, aut fiat peccator mortis reus, sed magis, ut convertatur a peccato, si quod fecerit, et sic vivat. Nam nisi sic exponeret, nihil faceret ad rem. Sed hoc est prorsus evertere et tollere suavissimum illud Ezechielis: Nolo mortem. Si sic Scripturas legere et intelligere volumus nostra caecitate, quid mirum, si obscurae et ambiguae sint? Non enim dicit, Nolo peccatum hominis, sed nolo mortem peccatoris, manifeste significans de poena peccati sese loqui, quam peccator pro suo peccato sentit, scilicet de timore mortis. Et in hac positum peccatorem afflictione

1) In ed. 1525 et 1526: 28.

et desperatione erigit et consolatur, ne linum fumigans exstinguat et calamum [1]) quassatum conterat, sed spem veniae et salutis faciat, ut magis convertatur, scilicet conversione salutis a poena mortis, et vivat, hoc est, bene habeat, et secura conscientia laetetur.

Hoc enim observandum quoque est: sicut vox legis non fertur nisi super eos, qui peccatum non sentiunt nec agnoscunt, sicut Paulus dicit Rom. 3: Per legem cognitio peccati, ita verbum gratiae non venit nisi ad eos, qui peccatum sentientes affliguntur et tentantur desperatione. Ideo in omnibus verbis legis vides indicari peccatum, dum ostenditur, quid debeamus. Sicut contra in omnibus verbis promissionis vides malum significari, quo laborant peccatores, vel ii, qui erigendi sunt, ut hic, Nolo mortem peccatoris, clare mortem et peccatorem nominat, tam ipsum malum, quod sentitur, quam ipsum hominem, qui sentit; at hic, Dilige Deum toto corde, indicatur, quid debeamus boni, non quid sentiamus mali, ut agnoscamus, quam non possimus id boni.

Nihil itaque potuit ineptius pro libero arbitrio adduci, quam hic locus Ezechielis, imo fortissime contra liberum arbitrium pugnat. Significatur enim hic liberum arbitrium, qualiter se habeat, et quid possit in peccato agnito aut in sese convertendo, scilicet, quod non nisi in peius laberetur, et desperationem et impoenitentiam adderet peccatis, nisi Deus succurreret mox, et promissionis verbo revocaret et erigeret. Sollicitudo enim Dei promittentis gratiam ad revocandum et erigendum peccatorem satis magnum et fidele argumentum est, liberum arbitrium se solo non posse nisi ad peius et (ut Scriptura dicit) ad inferos labi, nisi Deum eius levitatis esse credas, quod nulla necessitate salutis nostrae, sed mera voluptate loquacitatis verba promissionis effundat tam copiose, ut sic videas, non solum omnia verba legis contra liberum arbitrium stare, sed etiam omnia

1) In ed. 1525: canum.

verba promissionis ipsum penitus confutare, hoc est, universam Scripturam contra illud pugnare. Quare illo verbo, Nolo mortem peccatoris, nihil aliud agi vides, quam praedicari et offerri divinam misericordiam in mundo, quam solum afflicti et morte vexati cum gaudio et gratitudine suscipiunt, ut in quibus iam lex suum officium, id est, cognitionem peccati complevit. Illi vero, qui legis officium nondum sunt experti, nec agnoscunt peccatum, nec mortem sentiunt, contemnunt misericordiam promissam eo verbo.

Ceterum, cur alii lege tanguntur, alii non tanguntur, ut illi suscipiant, et hi contemnant gratiam oblatam, alia quaestio est, nec hoc loco tractatur ab Ezechiele, qui de praedicata et oblata misericordia Dei loquitur, non de occulta illa et metuenda voluntate Dei, ordinantis suo consilio, quos et quales praedicatae et oblatae misericordiae capaces et participes esse velit. Quae voluntas non requirenda, sed cum reverentia adoranda est, ut secretum longe reverendissimum maiestatis divinae soli sibi reservatum, ac nobis prohibitum, multo religiosius, quam infinitae multitudinis specus Corycii.

Quando nunc diatribe argutatur, Ploratne pius Dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in illis? Hoc enim nimis absurdum videtur.

Respondemus, ut iam diximus: Aliter de Deo vel voluntate Dei nobis praedicata, revelata, oblata, culta, et aliter de Deo non praedicato, non revelato, non oblato, non culto disputandum est. Quatenus igitur Deus sese abscondit et ignorari a nobis vult, nihil ad nos. Huc enim vere valet illud: Quae supra nos, nihil ad nos. Et ne meam hanc esse distinctionem quis arbitretur, Paulum sequor, qui ad Thessalonicenses de Antichristo scribit *), quod sit exaltaturus sese super omnem Deum praedicatum et cultum, manifeste significans, aliquem posse extolli supra Deum, quatenus est praedicatus et cultus, id est, supra verbum et cultum, quo Deus nobis cognitus est, et nobiscum habet commercium. Sed

*) 2. Thess. 2.

supra Deum non cultum, nec praedicatum, ut est in sua natura et maiestate, nihil potest extolli, sed omnia sunt sub potenti manu eius.

Relinquendus est igitur Deus in maiestate et natura sua, sic enim nihil nos cum illo habemus agere, nec sic voluit a nobis agi cum eo, sed quatenus indutus et proditus est verbo suo, quo nobis sese obtulit, cum eo agimus, quod est decor et gloria eius, quo Psalmista eum celebrat indutum. Sic dicimus, Deus pius non deplorat mortem populi, quam operatur in illo, sed deplorat mortem, quam invenit in populo, et amovere studet. Hoc enim agit Deus praedicatus, ut ablato [1]) peccato et morte salvi simus. Misit enim verbum suum et sanavit eos. Ceterum Deus absconditus in maiestate neque deplorat, neque tollit mortem, sed operatur vitam, mortem, et omnia in omnibus. Neque enim tum verbo suo definivit sese, sed liberum sese reservavit super omnia.

Illudit autem sese diatribe ignorantia sua, dum nihil distinguit inter Deum praedicatum et absconditum, hoc est, inter verbum Dei et Deum ipsum. Multa facit Deus, quae verbo suo non ostendit nobis, multa quoque vult, quae verbo suo non ostendit sese velle. Sic non vult mortem peccatoris, verbo scilicet, vult autem illam voluntate illa imperscrutabili. Nunc autem nobis spectandum est verbum relinquendaque illa voluntas imperscrutabilis, verbo enim nos dirigi, non voluntate illa insrutabili oportet. Atque adeo, quis sese dirigere queat ad voluntatem prorsus imperscrutabilem et incognoscibilem? Satis est, nosse tantum, quod sit quaedam in Deo voluntas imperscrutabilis, quid vero, cur et quatenus illa velit, hoc prorsus non licet quaerere, optare, curare aut tangere, sed tantum timere et adorare.

Igitur recte dicitur: Si Deus non vult mortem, nostrae voluntati imputandum est, quod perimus. Recte, inquam, si de Deo praedicato dixeris, nam

---

1) In ed. 1525 et 1526: oblato.

ille vult omnes homines salvos fieri, dum verbo salutis ad omnes venit, vitiumque est voluntatis, quae non admittit eum, sicut dicit Matth. 23: Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti? Verum quare maiestas illa vitium hoc voluntatis nostrae non tollit aut mutat in omnibus, cum non sit in potestate hominis, aut cur illud ei imputet, cum non possit homo eo carere? Quaerere non licet, ac si multum quaeras, nunquam tamen invenias, sicut Paulus Roman. 9 [1]) dicit: Tu quis es, qui respondeas Deo? Haec satis sint pro isto loco Ezechielis, pergamus ad reliqua.

Post haec causatur diatribe, frigere necessario tot hortamenta in Scripturis, item tot pollicitationes, minas, expostulationes, exprobrationes [2]), obtestationes, benedictiones et maledictiones, tot examina praeceptorum, si non sit in manu cuiquam servare, quod praeceptum est.

Perpetuo obliviscitur diatribe status causae, et aliud agit quam instituit, nec videt, quam omnia fortius contra ipsam, quam contra nos pugnent. Nam ex his omnibus locis probat libertatem et facultatem servandi omnia, ut etiam sequela cogit veborum, quam illa supponit, cum tamen probare voluerit liberum arbitrium tale, quod nihil boni velle potest sine gratia, et conatum quendam non suis viribus ascribendum. Talem conatum non video ullis locis probari, sed tantum exigi, quid fieri debeat, ut saepius iam dictum est, nisi quod toties repetendum est, cum diatribe toties eadem chorda oberret, inutili verborum copia lectores differens.

Ultimum fere ex veteri Testamento illud Mosi Deut. 30 affert [3]): Mandatum hoc, quod praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in coelo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet in coelum ascendere, ut deferat illud

1) In ed. 1525 et 1526: Roman. 11. 2) Ibidem: exprobationes. 3) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus.

ad nos, ut audiamus et opere compleamus? sed iuxta est valde sermo, in ore tuo et corde tuo, ut facias illum. Hoc loco contendit diatribe declarari, non solum in nobis situm, quod praecipitur, verum etiam in proclivi esse, hoc est, facile, vel saltem non difficile.

Gratias agimus de tanta eruditione; si igitur Moses tam clare pronunciat, non modo esse facultatem in nobis, sed etiam facilitatem servandi omnia mandata, cur tantum sudamus? Cur non statim hunc locum produximus, et liberum arbitrium asseruimus libero campo? Quid iam Christo? quid spiritu opus? Invenimus iam locum, qui omnibus os obstruat, et clare non modo libertatem arbitrii asserat, sed facilem quoque mandatorum observantiam doceat. Quam stultus Christus, qui etiam fuso sanguine spiritum illum non necessarium nobis emit, ut faciles efficeremur in servandis praeceptis, quales iam ex natura sumus, quin et ipsa diatribe suas voces recantet, quibus dixit, liberum arbitrium sine gratia nihil posse velle boni, dicat vero nunc, liberum arbitrium esse tantae virtutis, ut non modo velit bonum, sed etiam facili opera servet summa et omnia mandata. Vide quaeso, quid efficiat animus alienus a causa, quam non potest sese non prodere. An adhuc opus est confutare diatriben? Aut quis magis eam confutare queat, quam ipsa se ipsam confutat? Haec scilicet est bestia illa, quae se ipsam comedit; quam verum est, mendacem oportere memorem esse.

Nos de loco isto in Deuteronomio diximus, nunc breviter agemus, ut secluso Paulo, qui Rom. 10 potenter hunc locum tractat, disseramus. Nihil hic prorsus vides dici aut ulla syllaba sonari de facilitate, difficultate, potentia vel impotentia liberi arbitrii vel hominis, ad servandum vel non servandum, nisi quod ii, qui sequelis et cogitationibus suis Scripturas captant, sibi ipsis eas obscuras et ambiguas faciunt, ut sic quodlibet ex eis faciant. Si non potes oculos, aures saltem adverte, vel manibus palpa, Moses dicit: Non est supra te, nec procul positum,

nec in coelo situm, nec trans mare. Quid est supra te? Quid procul? Quid in coelo situm? Quid trans mare? An etiam Grammaticam et usitatissima vocabula nobis obscurabunt, ut nihil certi loqui valeamus, tantum ut obtineant, Scripturas esse obscuras?

Nostra Grammatica istis vocabulis non qualitatem aut quantitatem virium humanarum, sed distantiam locorum significat. Supra te enim dicitur non quaedam vis voluntatis, sed locus, qui supra nos est. Ita procul, trans mare, in coelo nihil virtutis in homine, sed locus sursum, dextrorsum, sinistrorsum, retrorsum, antrorsumve a nobis remotus. Rideat me quispiam tam crasse disputantem, ac velut analphabetis pueris praemansum tantis viris porrigentem ac syllabas nectendas docentem. Quid faciam? cum in tam clara luce videam quaeri tenebras ac studio velle eos caecos esse, qui tot seculorum seriem nobis numerant, tot ingenia, tot sanctos, tot martyres, tot doctores, tantaque autoritate hunc locum Mosi iactant, nec dignentur tamen syllabas inspicere, aut cogitationibus suis tantum imperare, ut locum semel considerent, quem iactant. Eat nunc diatribe, et dicat, qui fieri possit, ut unus privatus videat, quod tot publici, tot seculorum proceres non viderunt? certe hic locus vel puello iudice convincit eos caecutiisse non raro.

Quid igitur Moses vult istis verbis apertissimis et clarissimis, nisi sese suo officio ceu fidelem legislatorem esse perfunctum egregie? ut per quem non stet, quo minus omnia sciant et habeant coram posita praecepta, nec locum eis relictum excusandi, quod ignorent vel non habeant praecepta, aut aliunde petenda eis sint, ut, si non servarint ea, culpa nec sit legis nec legislatoris, sed ipsorum, cum lex adsit, legislator docuerit, ut nulla ignorantiae excusatio reliqua sit, sed sola accusatio negligentiae et inobedientiae. Non est (inquit) necesse, leges e coelo aut a finibus ultramarinis, aut procul afferre, nec potes praetexere, te illas nec audisse nec habere, prope habes eas, ut quas praecipiente Deo et

me autore audisti, corde percepisti, et ore assiduo, per Levitas in medio tui, tractandas accepisti, teste hoc ipso meo verbo et libro, hoc tantum reliquum est, ut facias illas. Obsecro, quid hic libero arbitria tribuitur? nisi quod exigitur, ut faciat leges quas habet, et adimitur excusatio ignorantiae et absentiae legum.

Haec fere sunt, quae ex veteri Testamento adducit diatribe pro libero arbitrio, quibus solutis nihil reliquum fit, quod non solutum pariter sit, sive plura adducat, sive plura adducere velit, cum nihil nisi verba imperativa aut coniunctiva aut optativa adducere queat, quibus significatur, non quid possimus aut faciamus (ut toties diximus toties repetenti diatribae), sed quid debeamus, et quid exigatur a nobis, quo nostra nobis impotentia innotescat et peccati cognitio praestetur. Aut si quid probant per additas sequelas et similitudines ratione humana inventas, hoc probant. liberi scilicet arbitrii non esse tantum conatum aut studium aliquod modiculum, sed totam vim et potestatem liberrimam faciendi omnia sine gratia Dei, sine Spiritu sancto.

Ac sic nihil minus probatur tota illa copiosa, iterata et inculcata disputatione, quam id, quod probandum erat, nempe opinio illa probabilis, qua liberum arbitrium definitur eius esse impotentiae, ut nihil possit velle boni sine gratia, cogaturque in servitutem peccati, habeatque conatum non ascribendum suis viribus, monstrum scilicet illud, quod simul nihil potest suis viribus et tamen conatum habet in viribus suis constetque contradictione manifestissima.

Venitur nunc ad novum Testamentum, ubi iterum instruitur copia verborum imperativorum pro misera illa servitute liberi arbitrii, accersunturque auxilia rationis carnalis, nempe sequelae et similitudines, ac si videas pingi vel somnieris muscarum regem stipatum lanceis stipulaceis et clipeis foeneis adversus veram et iustam aciem bellatorum hominum. Sic pugnant humana diatribes somnia adversus divinorum verborum agmina.

Principio illud Matthae. 23 procedit, velut muscarum Achilles: Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, et noluisti? Si cuncta (inquit) fiunt necessitate, nonne poterat merito respondere Domino Ierusolyma[1]: Quid inanibus lacrimis te maceras? Si tu nolebas nos auscultare prophetis, cur eos misisti? Cur nobis imputas, quod tua voluntate, nostra necessitate factum est? Haec illa.

Respondemus autem: Et donemus interim, veram et bonam esse istam sequelam et probationem diatribes, quid, rogo, probatur? nunquid probabilis opinio, quae dicit, liberum arbitrium non posse velle bonum? imo probatur libera, sana et potens in omnia, quae prophetae dixerunt, voluntas. At talem non suscepit probandam diatribe, quin ipsa diatribe hic respondeat: Si liberum arbitrium non potest velle bonum, quid imputatur ei, quod non audierit prophetas, quos, ut bona docentes, audire non poterat suis viribus? Quid inanibus lacrimis plorat Christus, ac si illi potuerint velle, quod certo novit eos non posse velle? Liberet, inquam, diatribe Christum ab insania, pro sua illa probabili opinione, et mox nostra opinio liberata est ab isto Achille muscarum. Igitur locus ille Matth. aut probat totum liberum arbitrium, aut aeque fortiter pugnat adversus ipsam diatriben et suo illam iaculo prosternit.

Nos dicimus, ut iam ante[2]) diximus, de secreta illa voluntate maiestatis non esse disputandum, et temeritatem humanam, quae perpetua perversitate, relictis necessariis, illam semper impetit et tentat, esse avocandam et retrahendam, ne occupet sese scrutandis illis secretis maiestatis, quae impossibile est attingere, ut quae habitet lucem inaccessibilem, teste Paulo *). Occupet vero sese cum Deo incarnato, seu (ut Paulus **) loquitur) cum Iesu crucifixo, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, sed absconditi, per hunc enim abunde habet, quid scire et non scire debeat. Deus igitur incar-

---

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: Ierosolyma. 2) Ibid.: antea. *) 1. Timoth. 6. **) Coloss. 2.

natus hic loquitur: Volui et tu noluisti, Deus, inquam, incarnatus in hoc missus est, ut velit, loquatur, faciat, patiatur, offerat omnibus omnia, quae sunt ad salutem necessaria, licet plurimos offendat, qui secreta illa voluntate maiestatis vel relicti vel indurati non suscipiunt volentem, loquentem, facientem, offerentem, sicut Iohannes *) dicit: Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehendunt; et iterum: In propria venit, et sui non receperunt eum.

Huius itidem Dei incarnati est flere, deplorare, gemere super perditione impiorum, cum voluntas maiestatis ex proposito aliquos relinquat et reprobet, ut pereant. Nec nobis quaerendum, cur ita faciat, sed reverendus Deus, qui talia et possit et velit. Nec, puto, aliquis hic calumniabitur, quod illa voluntas, de qua dicitur: Quoties volui, etiam ante incarnatum Deum Iudaeis fuerit exhibita, ut qui prophetas ante Christum occidisse, et sic voluntati eius restitisse arguantur. Notum est enim apud Christianos, omnia geri per prophetas in nomine futuri Christi, qui promissus erat, ut incarnatus Deus fieret, ut voluntas Christi recte dicatur, quidquid ab initio mundi per verbi ministros oblatum est hominibus.

Dicet [1]) vero hic ratio, ut est nasuta et dicax, pulchre hoc inventum est effugium, ut, quoties vi argumentorum urgemur, ad voluntatem illam maiestatis metuendam recurramus, et disputatorem, ubi molestus fuerit, ad silentium adigamus, non aliter, quam astrologi suis epicyclis [2]) repertis omnes quaestiones de motu totius coeli eludunt.

Respondemus non esse nostrum inventum, sed divinis Scripturis firmatum praeceptum, sic enim Paulus Roma. 9 dicit: Quid igitur queriturDeus? Quis voluntati eius resistet? O homo, tu quis es, qui contendas cum Deo? An non habet potestatem figulus? et reliqua. Et ante eum Esa. 58: Me etenim de die in diem quaerunt, et vias meas scire volunt, quasi gens, quae iusti-

---

*) Iohan. 1. 1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus. 2) In ed. 1525 et 1526: epiculis.

tiam fecerit, rogant me iudicia iustitiae, et appropinquare Deo volunt. Puto istis verbis satis monstrari, non licere hominibus scrutari voluntatem maiestatis. Deinde causa haec est huiusmodi, ut in illa maxime petant perversi homines voluntatem illam metuendam, ideo maxime locus est[1]), eos tum ad silentium et reverentiam hortari. In aliis causis non ita facimus, ubi talia tractantur, quorum ratio reddi potest et reddi nobis mandata est. Quod si quis pergat scrutari rationem voluntatis illius nec nostrae monitioni cedit, hunc sinimus ire, et gigantum more cum Deo pugnare, spectaturi, quos triumphos sit reportaturus, certi, quod causae nostrae nihil sit detracturus et suae nihil collaturus. Manebit enim fixum, quod aut liberum arbitrium omnia posse probabit, aut quod adductae Scripturae contra ipsummet pugnabunt. Utro autem facto, victus iacet, et nos victores stamus.

Alterum est illud Matth. 19: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Qua fronte diceretur: Si vis, cui voluntas libera non est? Haec diatribe.

Cui dicimus: Igitur voluntas libera est per hoc verbum Christi? At tu volebas probare, quod liberum arbitrium nihil possit boni velle, et necessario serviret peccato, absente gratia. Qua fronte igitur tu nunc totum facis liberum?

Idem dicetur ad illud: Si vis perfectus esse; si quis vult venire post me; qui voluerit animam suam salvam facere; si diligitis me; si manseritis. (Denique, ut dixi, colligantur omnes coniunctiones Si et verba imperativa, ut iuvemus diatriben saltem numero verborum). Haec omnia (inquit) praecepta frigent, si nihil tribuitur voluntati humanae, quam male congruit merae necessitati coniunctio illa Si.

Respondemus: Si frigent, tua culpa frigent, imo nihil sunt, qui asseris, nihil tribui voluntati humanae, dum facis liberum arbitrium non posse velle bonum, et rursus hic facis, idem posse velle omnia

1) In ed. 1526: locutus est; nostra lectio repetita est ex ed. 1525 et Ien.

bona, nisi eadem verba apud te simul et ardent et frigent, dum simul omnia asserunt et omnia negant. Et miror, quid delectarit autorem toties eadem repetere, immemorem perpetuo instituti sui, nisi forte diffidens causae magnitudine libri voluerit vincere, aut taedio et molestia lectionis adversarium fatigare. Qua consequentia, rogo, fiat, ut mox voluntatem et potentiam adesse oporteat, quoties dicitur: Si vis, Si quis vult, Si volueris? Nonne frequentissime impotentiam potius et impossibilitatem significamus talibus sermonibus? ut: Si Virgilium voles aequare canendo, mi Maevi, alia cantes oportet; si Ciceronem superare voles, Scote, pro argutiis summam oportet eloquentiam habeas; si cum Davide comparari voles, similes Psalmos edas necesse est. Hic plane significantur impossibilia viribus propriis, licet divina virtute omnia fieri possint. Sic habet et in Scripturis res, ut, quid virtute Dei in nobis fieri possit, et quid non possimus nos, talibus verbis ostendatur.

Porro, si talia dicerentur de iis, quae prorsus impossibilia sunt factu, ut quae nec Deus unquam esset facturus, tum recte dicerentur vel frigida vel ridicula, ut quae frustra dicerentur. Nunc vero sic dicuntur, ut non solum ostendatur impotentia liberi arbitrii, per quam nihil eorum fit, sed simul significatur aliquando fore et factum iri omnia talia, verum aliena virtute, nempe divina, si omnino admittamus, in talibus verbis inesse quandam significationem faciendorum et possibilium. Ac si quis sic interpretetur, Si volueris servare mandata, hoc est, si voluntatem aliquando habueris (habebis autem non ex te, sed ex Deo, qui tribuet eam cui voluerit) servandi mandata, servabunt et ipsa te. Aut ut latius dicam, videntur illa verba, praesertim coniunctiva, propter praedestinationem Dei quoque sic poni, ut incognitam nobis, et illam involvere, ac si hoc velint dicere: Si vis, Si volueris, hoc est, si talis apud Deum fueris, ut voluntate hac te dignetur servandi praecepta, servaberis. Quo tropo intelligi datur utrumque, scilicet

et nos nihil posse, et, si quid facimus, Deum in nobis operari. Sic illis dicerem, qui non contenti vellent esse, quod illis verbis solum impotentia nostra ostendi dicitur, sed etiam vim aliquam et potentiam faciendi ea, quae praecipiuntur, probari contenderent, ita simul verum fieret, ut nihil possemus eorum, quae praecipiuntur, et simul omnia possemus, illud nostris viribus, hoc gratiae Dei tribuendo.

Tertio illud diatriben movet; ubi toties est mentio, inquit, bonorum operum et malorum, ubi mentio mercedis, ibi non intelligo, quo pacto locus sit merae necessitati; neque natura, ait, neque necessitas habet meritum.

Neque ego sane intelligo, nisi quod opinio illa probabilis necessitatem meram asserit, dum liberum arbitrium dicit nihil boni posse velle, et tamen hic etiam meritum ei tribuit. Adeo profecit liberum arbitrium crescente libro et disputatione diatribes, ut nunc non solum conatum et studium proprium, alienis tamen viribus, habeat, imo non solum bene velit et faciat, sed etiam mereatur vitam aeternam, dicente Christo Matth. 5: Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis; vestra, id est, liberi arbitrii, sic enim diatribe hunc locum intelligit, ut Christus et spiritus Dei nihil sint. Quid enim illis opus fuerit, si bona opera et merita per liberum arbitrium habemus? Haec dico, ut videamus, non esse rarum, viros excellentes ingenio solere caecutire in re etiam crasso et rudi ingenio manifesta, et quam infirmum sit argumentum ab autoritate humana in rebus divinis, in quibus sola valet autoritas divina.

Duo hic dicenda sunt, primum de praeceptis novi Testamenti, deinde de merito. Utrumque breviter expediemus, alias prolixius de eisdem locuti. Novum Testamentum proprie constat promissionibus et exhortationibus, sicut vetus poprie constat legibus et minis. Nam in novo Testamento praedicatur Evangelium, quod est aliud nihil, quam sermo, quo offertur spiritus et gratia in remissionem peccatorum, per Christum crucifixum pro nobis impetratam, id-

que totum gratis solaque misericordia Dei Patris nobis indignis et damnationem merentibus potius quam aliquid aliud favente. Deinde exhortationes sequuntur, quae iam iustificatos et misericordiam consecutos excitent, ut strenui sint in fructibus donatae iustitiae et spiritus, caritatemque exerceant bonis operibus, fortiterque ferant crucem et omnes alias tribulationes mundi. Haec est summa totius novi Testamenti. De qua re quam nihil intelligat diatribe, satis declarat, quod nihil inter vetus et novum Testamentum discernere novit, utrobique enim nihil fere nisi leges et praecepta videt, quibus formentur homines ad bonos mores. Quid vero sit renascentia, innovatio, regeneratio et totum negotium spiritus, prorsus nihil videt, ut mihi stupor et miraculum sit, adeo nihil scire in sacris literis hominem, qui tanto tempore et studio in illis laboraverit.

Illud igitur: Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in coelis, tam bene quadrat libero arbitrio, quam bene convenit luci cum tenebris. Exhortatur enim Christus ibi non liberum arbitrium, sed apostolos, qui non modo supra liberum arbitrium in gratia erant et iusti, sed etiam in ministerio verbi, hoc est, summo loco gratiae constituti, ut ferrent tribulationes mundi. At nos disputamus de libero arbitrio sine gratia potissimum, quod legibus et minis seu veteri Testamento eruditur ad cognitionem sui, ut ad promissiones oblatas novo Testamento currat [1]).

Meritum vero seu merces proposita, quid est aliud nisi promissio quaedam? Sed ea non probatur aliquid nos posse, cum nihil ea significetur aliud, quam si quis hoc vel hoc fecerit, tum mercedem habiturus sit. Quaestio vero nostra est, non quo modo vel quae merces reddatur, sed an talia possimus facere, quibus merces redditur. Hoc enim erat probandum. Nonne ridicula est consequentia: Omnibus in stadio *) proponitur brabeum, ergo omnes

1) In ed. Ien.: occurrat. *) 1. Cor. 9.

possunt currere et obtinere? si Caesar vicerit Turcam, regno Syriae potietur, ergo Caesar potest vincere, et vincit Turcam; si liberum arbitrium dominetur peccato, sanctum erit Domino, ergo liberum arbitrium sanctum est Domino. Sed mittamus ista nimis crassa et palam absurda, nisi quod dignissimum est, liberum arbitrium tam pulchris argumentis probari. De hoc potius dicemus, quod necessitas neque meritum neque mercedem habet. Si de necessitate coactionis loquimur, verum est, si de necessitate immutabilitatis loquimur, falsum est. Quis enim invito operario mercedem daret aut meritum reputet? Verum iis, qui volenter faciunt bonum vel malum, etiam si hanc voluntatem suis viribus mutare non possunt, sequitur naturaliter et necessario praemium vel poena, sicut scriptum est: Reddes unicuique secundum opera sua. Naturaliter sequitur, Si in aquam mergaris, suffocaberis, si enataveris, salvus eris.

Et ut breviter dicam, in merito vel mercede agitur vel de dignitate, vel sequela. Si dignitatem spectes, nullum est meritum, nulla merces. Si enim liberum arbitrium se solo non potest velle bonum, per solam vero gratiam vult bonum (loquimur enim de libero arbitrio, seclusa gratia et utriusque propriam quaerimus vim), quis non videt, solius gratiae esse bonam illam voluntatem, meritum et praemium? Atque iterum hic diatribe sibi ipsi dissidet, dum ex merito arguit libertatem voluntatis, estque mecum, contra quem pugnat, in eadem damnatione, scilicet, quod contra ipsam aeque pugnat, esse meritum, esse mercedem, esse libertatem, cum liberum arbitrium asserat superius nihil velle boni, ac tale probandum susceperit.

Si sequelam spectes, nihil est, sive bonum, sive malum, quod non suam mercedem habeat. Atque error inde venit, quod in meritis et praemiis inutiles cogitationes et quaestiones versamus de dignitate, quae nulla est, cum de sola sequela disputandum sit, manet enim impios infernus et iudicium Dei, necessaria sequela, etiamsi ipsi talem mercedem

pro suis peccatis neque cupiant neque cogitent, imo vehementer detestentur, et, ut Petrus*) dicit, exsecrentur. Ita manet pios regnum, etiamsi id ipsi neque quaerant nec cogitent, ut quod illis a Patre suo**) paratum est, non solum antequam essent ipsi, sed etiam ante constitutionem mundi.

Quin si bonum operarentur propter regnum obtinendum, nunquam obtinerent, et ad impios potius pertinerent, qui oculo nequam et mercenario ea, quae sua sunt, quaerunt etiam in Deo. Filii autem Dei gratuita voluntate faciunt bonum, nullum praemium quaerentes, sed solam gloriam et voluntatem Dei, parati bonum facere, si per impossibile neque regnum neque infernus esset. Haec puto satis firma esse vel ex eo solo dicto Christi, quod modo citavi, Matth. 25: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. Quomodo merentur id, quod iam ipsorum est et ipsis paratum, antequam fiant? ut rectius dicere possimus, regnum Dei potius meretur nos suos possessores, et meritum illic collocemus, ubi isti praemium, et praemium illic, ubi illi meritum collocant. Regnum enim non paratur, sed paratum est, filii vero regni parantur, non parant regnum, hoc est, regnum meretur filios, non filii regnum. Sic et infernus suos potius filios meretur et parat, cum Christus dicat: Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.

Quid[1]) igitur volunt verba promittentia regnum, minantia infernum? Quid toties repetita vox mercedis per Scripturas? Est, inquit, merces operi tuo; ego merces tua magna nimis, item: Qui reddit unicuique secundum opera sua; et Paulus Roma. 2: Patientia boni operis quaerentibus vitam aeternam, et multa similia. Respondetur, iis omnibus nihil probari, quam sequelam mercedis, et nequaquam meriti dignitatem, scilicet, quod ii, qui bona faciunt,

---

*) 2. Pet. 2. **) Matth. 25. 1) In ed. Ien. margini inscriptum est: Erasmus.

non servili et [1]) mercenario affectu propter vitam aeternam faciunt, quaerunt autem vitam aeternam, id est, sunt in ea via, qua pervenient et invenient vitam aeternam, ut quaerere sit studio niti et instanti opera eo conari, quod sequi solet ad bonam vitam. Denunciantur autem in Scripturis ea futura esse et secutura post bonam vel malam vitam, ut erudiantur, moveantur, excitentur, terreantur homines. Nam ut per Legem fit cognitio peccati et admonitio impotentiae nostrae, ex qua non infertur, quod nos aliquid possimus, ita per istas promissiones et minas fit admonitio, qua docemur, quid sequatur peccatum et impotentiam illam nostram Lege monstratam, non autem tribuitur per ipsas aliquid dignitatis merito nostro.

Proinde, sicut verba Legis sunt vice instructionis et illuminationis ad docendum, quid debeamus, tum quid non possimus, ita verba mercedis, dum significant, quid futurum sit, sunt vice exhortationis et comminationis, quibus pii excitantur, consolantur et eriguntur ad pergendum, perseverandum et vincendum in bonis faciendis et malis ferendis, ne fatigentur aut frangantur, sicut Paulus Corinthios suos exhortatur dicens *): Viriliter agite, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Sic Abraham erigit Deus dicens **): Ego merces tua magna nimis, non aliter, quam si hoc modo aliquem soleris, quod opera eius certo placere Deo significes, quo genere consolationis non raro Scriptura utitur. Nec parva consolatio est nosse, placere se Deo, ut nihil aliud sequatur, licet id sit impossibile.

Huc pertinent omnia, quae dicuntur de spe et exspectatione, quod certo sint futura, quae speramus, licet pii non propter ipsa sperent, aut talia quaerant sui gratia. Ita verbis comminationis et futuri iudicii terrentur et deiiciuntur impii, ut desi-

---

1) In ed. 1526 deest: et. *) 1. Cor. 15. **) Gene. 15.

nant et abstineant a malis, ne inflentur, securi fiant et insolescant in peccatis. Quod si hic ratio nasum ruget et dicat: Cur ista velit Deus per verba fieri, cum talibus verbis nihil efficiatur, neque voluntas in utram partem sese vertere possit, cur non tacito verbo facit, quod facit, cum possit omnia sine verbo facere? et voluntas per sese nec plus valet aut facit verbo audito, si desit Spiritus intus movens, nec minus valeret aut faceret verbo tacito, si adsit Spiritus, cum totum pendeat in virtute et opere Spiritus sancti, dicemus: Sic placitum est Deo, ut non sine verbo, sed per verbum tribuat Spiritum, ut nos habeat suos cooperatores, dum foris sonamus, quod intus ipse solus spirat, ubiubi voluerit, quae tamen absque verbo facere posset, sed non vult. Iam qui sumus nos, ut voluntatis divinae causam quaeramus? Satis est nosse, quod Deus ita velit, et hanc voluntatem revereri, diligere et adorare decet, coercita rationis temeritate [1]. Sic nos absque pane posset alere et revera vim alendi tribuit sine pane, ut Matth. 4. dicit: Non alitur homo pane solo, sed verbo Dei, placuit tamen per panem et cum pane foris adhibito intus nos alere verbo.

Stat igitur, ex mercede non probari meritum, saltem in Scripturis, deinde ex merito non probari liberum arbitrium, multo minus tale arbitrium liberum, quale diatribe suscepit probandum, nempe quod se solo nihil potest boni velle. Nam etiamsi meritum dones et addas istas solitas rationis similitudines et sequelas, puta, frustra praecipi, frustra mercedem promitti, frustra minas intentari, nisi liberum sit arbitrium. Iis, inquam, si quid probatur, hoc probatur, quod liberum arbitrium se solo possit omnia. Si enim se solo non potest omnia, manet illa sequela rationis: Ergo frustra praecipitur, frustra promitti-

---

1) Hic in ed. Ien. addita leguntur haec: Nam et Christus Matth. 11 nullam aliam rationem affert, cur sapientibus abscondatur Evangelium, quod parvulis revelatur, quam quod sic placuit Patri.

tur, frustra minae intentantur. Sic perpetuo contra se ipsam disputat diatribe, dum contra nos disputat. Deus vero solus per Spiritum suum operatur in nobis tam meritum quam praemium, utrumque autem per verbum suum externum toti mundo significat et declarat, ut annuncietur etiam apud impios et incredulos et ignaros potentia et gloria sua, et nostra impotentia atque ignominia, licet soli pii id corde percipiant teneantque fideles, ceteri vero contemnunt.

Iam vero nimis taediosum fuerit, singula verba imperativa repetere, quae diatribe ex novo Testamento enumerat, semper suas sequelas annectens et causans frustranea, supervacanea, frigida, ridicula, nihil esse quae dicuntur, nisi libera sit voluntas. Usque ad multam nauseam enim iam dudum diximus, quam nihil talibus verbis efficiatur, atque si quid probetur, totum liberum arbitrium probetur. Quod aliud nihil est, quam totam diatriben subverti, ut quae liberum arbitrium tale susceperit probandum, quod nihil boni possit et serviat peccato, et probat tale, quod omnia possit, ignara et oblita sui perpetuo. Mera igitur cavilla sunt, ubi sic dicit [1]: Ex fructibus, inquit Dominus, eorum cognoscetis eos, fructus opera dicit, ea nostra vocat, at ea nostra non sunt, si cuncta geruntur necessitate.

Obsecro te, an non nostra dicuntur quam rectissime, quae non fecimus quidem nos, recepimus vero ab aliis? Cur igitur opera non dicerentur nostra, quae donavit nobis Deus per spiritum? An Christum non dicemus nostrum, quia non fecimus eum, sed tantum accepimus? Rursus, si facimus ea, quae nostra dicuntur, ergo oculos nobis ipsi fecimus, manus nobis ipsi fecimus, et pedes nobis ipsi fecimus, nisi nostri non dicuntur oculi, mànus, pedes. Imo quid habemus, quod non accepimus? ait Paulus *). Dicemusne igitur, ea vel non esse no-

---

1) In ed. Ien. margini inscriptum est: Erasmus.
*) 1. Cor. 4.

stra, vel a nobis ipsis esse facta? Iam finge, fructus nostros dici, quia nos fecimus, ubi manet gratia et spiritus? Neque enim dicit: Ex fructibus, qui ex parte modicula eorum sunt, cognoscetis eos. Haec potius sunt ridicula, supervacanea, frustranea, frigida, imo stulta et odiosa cavilla, quibus sacra verba Dei polluuntur et profanantur.

Sic luditur et illud Christi verbum in cruce: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; ubi, cum exspectaretur sententia, quae liberum arbitrium astrueret, iterum ad sequelas itur, quanto iustius, inquit [1]), excusasset eos, quia non est illis libera voluntas, nec possunt, si velint, aliter facere. Nec tamen ista sequela probatur liberum arbitrium illud, quod nihil boni potest velle, de quo agitur, sed illud, quod omnia potest, de quo nemo agit, et omnes negant, exceptis Pelagianis. Iam cum Christus palam dicat, eos nescire, quid faciant, an non simul testatur, eos non posse velle bonum? Quomodo enim velis, quod ignoras? Ignoti certe nulla cupido. Quid potest robustius contra liberum arbitrium dici, quam ipsum adeo esse nihili, ut non modo non velit bonum, sed nec sciat quidem, quantum faciat mali, et quid sit bonum? An est hic obscuritas in ullo verbo: Nesciunt quid faciunt? Quid reliquum est in Scripturis, quod non queat autore diatribe liberum arbitrium affirmare, quando hoc clarissimum et adversantissimum verbum Christi illi affirmat? Eadem facilitate dicat aliquis, etiam illo affirmari liberum arbitrium: Terra autem erat inanis et vacua, aut illo: Requievit Deus die septimo, aut simili. Tum vere Scripturae ambiguae et obscurae erunt, imo simul omnia et nihil erunt. Verum sic audere et tractare divina verba arguit animum, qui sit insignis contemptor Dei et hominum, qui prorsus nullam mereatur patientiam.

Et illud Iohan. 1: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, sic accipit [1]): Quomodo datur illis pote-

---

1) In ed. Ien. margini inscriptum est: Erasmus.

stas, ut filii Dei fiant, si nostrae voluntatis nulla libertas est? Et hic locus est malleus adversus liberum arbitrium, qualis est ferme totus Iohannes Evangelista, tamen adducitur pro libero arbitrio. Videamus, quaeso, Iohannes non loquitur de ullo opere hominis, neque magno, neque parvo, sed de ipsa innovatione et transmutatione hominis veteris, qui filius diaboli est, in novum hominem, qui filius Dei est. Hic homo mere passive (ut dicitur) sese habet, nec facit quippiam, sed fit totus. De fieri enim loquitur Iohannes, fieri filios Dei dicit, potestate divinitus nobis donata, non vi liberi arbitrii nobis insita.

At nostra diatribe hinc ducit, liberum arbitrium tantum valere, ut filios Dei faciat, aut definire parata est, ridiculum et frigidum esse verbum Iohannis. Quis vero unquam sic extulit liberum arbitrium, ut ei vim faciendi filios Dei tribuerit, praesertim tale, quod non potest velle bonum, quale diatribe assumpsit? Sed transeat haec cum reliquis sequelis, toties repetitis, quibus nihil probatur, si quid probatur, quam id, quod diatribe negat, nempe liberum arbitrium omnia posse. Iohannes hoc vult, veniente Christo in mundum per Evangelium, quo offertur gratia, non autem exigitur opus, copiam fieri cunctis hominibus, magnificam sane, ut filii Dei sint, si credere velint. Ceterum hoc velle, hoc credere, in nomine eius, sicut liberum arbitrium nunquam novit nec cogitavit de eo antea, ita multo minus potest suis viribus. Quomodo enim ratio cogitaret, necessariam esse fidem in Iesum, filium Dei et hominis, cum nec hodie capiat aut credere possit, etiamsi tota creatura clamaret, esse aliquam personam, quae simul Deus et homo sit? Sed magis offenditur tali sermone, ut Paulus dicit 1. Corinth. 1, tantum abest, ut credere aut velit aut possit.

Igitur Iohannes divitias regni Dei per Evangelium mundo oblatas, non autem virtutes liberi arbitrii praedicat, simul significans, quam pauci sint, qui acceptent, repugnante scilicet libero arbitrio,

cuius vis nulla est alia, quam ut regnante super ipsum Satana etiam gratiam et spiritum, qui legem impleat, respuat. Adeo pulchre valet conatus et studium eius ad legem implendam. Sed infra latius dicemus, quale fulmen sit hic locus Iohannis adversus liberum arbitrium. Non tamen movet me parum, quod loci tam clari, tam potentes contra liberum arbitrium, adducantur pro libero arbitrio a diatribe, cuius tanta est hebetudo, ut nihil prorsus inter promissionis et legis verba discernat, quae cum per legis verba ineptissime liberum arbitrium statuat, tum longe absurdissime per promissionis verba confirmet. Sed solvitur haec absurditas facile, si consideretur, quam alieno animo et contemptore diatribe disputet, ad quam nihil attinet, gratia stet vel ruat, liberum arbitrium iaceat vel sedeat, tantum, ut inanibus verbis in odium causae serviatur tyrannis.

Post haec [1]) venitur et ad Paulum, liberi arbitrii hostem pervicacissimum, cogiturque et is liberum arbitrium statuere Roma. 2: An divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis eius contemnis? An ignoras, quod benignitas eius te ad poenitentiam adducit? Quomodo, inquit, imputatur contemptus praecepti, ubi non est libera voluntas? Quomodo Deus invitat ad poenitentiam, qui autor est impoenitentiae? Quomodo iusta est damnatio, ubi iudex cogit ad maleficium?

Respondeo: De istis quaestionibus viderit diatribe. Quid ad nos? Ipsa enim dixit opinione probabili, liberum arbitrium non posse velle bonum cogique necessario in servitutem peccati. Quomodo igitur imputatur ei contemptus praecepti, si non potest velle bonum nec est ibi libertas, sed servitus peccati necessaria. Quomodo invitat Deus ad poenitentiam, qui autor est, quo minus poeniteat, dum deserit vel non confert gratiam ei, qui se solo non potest bonum velle? Quomodo est iusta dam-

1) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus.

natio, ubi iudex subtracto auxilio cogit impium [1]) relinqui in maleficio, cum sua virtute non possit aliud? Omnia recidunt in caput diatribes, aut si quid probant (ut dixi), probant liberum arbitrium omnia posse, quod tamen negatum est ab ipsa et ab omnibus. Sequelae illae rationis vexant diatriben per omnia dicta Scripturae, quod ridiculum et frigidum videatur invadere, et exigere tam vehementibus verbis, ubi non adest, qui praestare queat, cum Apostolus id agat, scilicet per minas illas perducere impios et superbos ad cognitionem sui et impotentiae suae, ut humiliatos cognitione peccati paret ad gratiam.

Et quid opus est, omnia singulatim recensere, quae ex Paulo adducuntur, cum nihil nisi imperativa vel coniunctiva verba colligat, vel talia, quibus Paulus Christianos exhortatur ad fructus fidei? Diatribe vero suis sequelis adiectis virtutem liberi arbitrii talem tantamque concipit, quae sine gratia omnia possit, quae Paulus exhortator praescribit. Christiani vero non libero arbitrio, sed spiritu Dei aguntur, Ro. 8. Agi vero non est agere, sed rapi, quemadmodum serra aut securis a fabro agitur. Et hic ne quis dubitet, Lutherum tam absurda dicere, verba eius recitat diatribe, quae sane agnosco, fateor enim articulum illum Viglephi (omnia necessitate fieri [2])) esse falso damnatum Constantiensi Conciliabulo, seu coniuratione potius et seditione. Quin ipsa [3]) diatribe eundem mecum defendit, dum asserit liberum arbitrium suis viribus nihil boni velle posse, necessarioque servire peccato, licet inter probandum omnino contrarium statuat.

Haec satis sint adversus priorem partem diatribes, qua liberum arbitrium statuere conata est. Posteriorem nunc videamus, qua confutantur nostra,

1) In ed. 1526: impio. 2) In ed. Ien. hic addita leguntur haec: id est, immutabili voluntate Dei et nostram non cogi quidem, sed impossibilem esse ad bonum ex se ipsa). 3) In ed. Ien.: Quin et ipsa.

id est, ea, quibus liberum arbitrium tollitur. Hic videbis, quid fumus hominis possit contra fulgura et tonitrua Dei.

Primum, cum innumerabiles locos Scripturae citarit pro libero arbitrio, tanquam formidabilem nimis exercitum (ut animosos redderet Confessores et Martyres et omnes Sanctos et Sanctas liberi arbitrii, pavidos vero et trepidos omnes illos abnegatores et peccatores in liberum arbitrium), contemptibilem fingit turbam contra liberum arbitrium, atque adeo duos tantum locos prae caeteris evidentiores facit in hac parte stare, nimirum ad caedem solum parata, eamque non magni negotii, quorum alter est Exod. 9: Induravit Dominus cor Pharaonis, alter Mala. 1: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Utrumque vero Paulus ad Romanos latius explicans mirum quam odiosam et inutilem disputationem, iudice diatribe, susceperit. Nisi vero spiritus sanctus rhetoricae aliquantulum gnarus esset, periculum erat, ne tanta simulati contemptus arte fractus prorsus de causa desperaret et palmam libero arbitrio concederet ante tubam. Sed ego inferius succenturiatus illis duobus locis ostendam et nostras copias, quanquam ubi talis est pugnae fortuna, ut unus fuget decem millia, nullis opus est copiis. Si enim unus locus vicerit liberum arbitrium, nihil profuerint ei innumerabiles suae copiae.

Hic igitur diatribe invenit novam artem eludendi manifestissimos locos, nempe quod tropum velit inesse verbis simplicissimis et clarissimis, ut quemadmodum superius pro libero arbitrio agens omnia verba imperativa et coniunctiva legis per sequelas adiectas et similitudines affictas elusit, ita nunc contra nos actura omnia verba promissionis et affirmationis divinae per tropum repertum torquet, quorsum visum est, ut utrobique sit incomprehensibilis Proteus. Quin id ipsum magno supercilio exigit sibi a nobis permitti, ut qui et ipsi soleamus, ubi urgemur, tropis repertis elabi, ut ibi: Extende

manum tuam ad quod volueris, id est, gratia extendet manum tuam, ad quod ipsa velit; Facite vobis cor novum, id est, gratia faciet vobis cor novum, et similia. Indignum igitur videtur, si Luthero liceat tam violentam tortamque interpretationem afferre, et non multo magis liceat probatissimorum Doctorum interpretationes sequi. Vides itaque hic, non de textu ipso nec iam de sequelis et similitudinibus, sed de tropis et interpretationibus pugnari. Quando ergo erit, ut simplicem purumque aliquem sine tropis et sequelis textum pro libero arbitrio et contra liberum arbitrium habeamus? An tales textus nusquam habet Scriptura, perpetuoque dubia erit causa liberi arbitrii? ut quae nullo certo textu firmatur, sed solis sequelis et tropis, per homines mutuo dissentientes inductis, agitatur sicut ventis arundo.

Sic potius sentiamus, neque sequelam neque tropum in ullo loco Scripturae esse admittendum, nisi id cogat circumstantia verborum evidens, et absurditas rei manifestae, in aliquem fidei articulum peccans, sed ubique inhaerendum est simplici puraeque et naturali significationi verborum, quam grammatica et usus loquendi habet, quem Deus creavit in hominibus. Quod si cuivis liceat, pro sua libidine sequelas et tropos in Scripturis fingere, quid erit Scriptura tota nisi arundo ventis agitata aut Vertumnus aliquis? Tum vere nihil certi neque statuetur neque probabitur in ullo articulo fidei, quod non queas aliquo tropo cavillari. Vitari potius, sicut praesentissimum venenum, debet omnis tropus, quem non cogit ipsamet Scriptura.

Vide, quid acciderit tropologo illi Origeni in enarrandis Scripturis? quam dignas praebet occasiones calumniatori Porphyrio [1]), ut Hieronymo quoque videantur parum facere, qui Origenem tuentur. Quid accidit Arianis in tropo illo, quo Christum

---

1) In ed. 1525 et 1526: Purphyrio.

fecerunt Deum nuncupativum? Quid nostro seculo accidit novis istis prophetis in verbis Christi: Hoc est corpus meum, ubi alius in pronomine, Hoc, alius in verbo, Est, alius in nomine, Corpus, tropicus est? Ego id observavi, omnes haereses et errores in Scripturis non venisse ex simplicitate verborum, ut iactatur paene toto orbe, sed ex neglecta simplicitate verborum, et ex affectatis proprio cerebro tropis aut sequelis.

Exempli gratia: Ad quodcunque voles extende manum tuam, ego nunquam (quod memini) hac violenta interpretatione tractavi, ut dicerem: Gratia extendet manum tuam, ad quod ipsa velit; Facite vobis cor novum, id est, gratia faciet vobis cor novum et similia, licet me diatribe publico libello sic traducat, tropis scilicet et sequelis distenta et illusa, ut non videat, quid de quo loquatur, Sed sic dixi: Extende manum etc. verbis simpliciter, ut sonant, acceptis seclusisque tropis et sequelis nihil aliud significari, quam quod exigitur a nobis extensio manus, significaturque, quid facere debeamus, ut est natura verbi imperativi apud Grammaticos et usum loquendi.

Diatribe vero neglecta hac verbi simplicitate, sequelis vero et tropis violenter adductis, sic interpretatur: Extende manum, id est, potes vi propria extendere manum; Facite cor novum, id est, potestis facere cor novum, Credite in Christum, id est, potestis credere, ut idem sit apud eam, quod imperative et quod indicative dicitur, alioqui parata est ridiculam et frustraneam facere Scripturam. Atque has interpretationes, nulli Grammatico ferendas, non licet in theologis violentas et affectatas dicere, sed probatissimorum sunt Doctorum, tot seculis receptorum.

Sed facile est diatribae, tropos hoc loco admittere et sequi, ut cuius nihil refert, certane sint an incerta quae dicuntur, quin hoc agit, ut incerta sint omnia, ut quae consulit, relinquenda potius quam scrutanda esse dogmata de libero arbitrio. Ideo hoc satis illi fuerat, utcunque amoliri dicta,

quibus se sentit urgeri. Nobis autem, quibus res agitur seria et qui certissimam veritatem pro stabiliendis conscientiis quaerimus, longe aliter agendum est. Nobis, inquam, non est satis, si dixeris, potest hic tropus esse, sed quaeritur, an debeat et oporteat tropum hic esse. Quod si non monstraris, necessario inesse tropum, nihil prorsus effeceris. Stat ibi verbum Dei: Ego indurabo cor Pharaonis. Si tu dixeris, sic accipiendum esse vel accipi posse: Ego permittam indurari, audio quidem sic posse accipi, audio hunc tropum populari sermone vulgatum, ut Ego te perdidi, quia statim non correxi errantem. Sed non est illi probationi locus, non quaeritur, an tropus ille sit in usu, non quaeritur, an aliquis possit eum hoc loco Pauli usurpare, sed hoc quaeritur, an tutum ac certum sit recte hoc loco usurpare, et an Paulus velit eo uti; non de alieno lectoris usu, sed de ipsius autoris Pauli usu quaeritur.

Quid facies conscientiae sic quaerenti? Ecce Deus autor dicit: Indurabo cor Pharaonis, aperta et nota est significatio verbi Indurare, homo vero lector dicit mihi: Indurare hoc loco est occasionem indurandi dare, dum non statim corrigitur peccator. Qua autoritate, quo consilio, qua necessitate vocis illa naturalis significatio mihi sic torquetur? Quid si erret lector et interpres? unde probatur, illam torturam verbi hoc loco fieri debere? Periculosum, imo impium est, verbum Dei sine necessitate, sine autoritate torquere. An huic animulae laboranti tum sic consules: Origenes sic sensit, aut sic; desine talia scrutari, cum sint curiosa et supervacanea? At illa respondebit: Hoc Mosen et Paulum admoneri oportuerat, antequam scriberent, atque adeo ipsum Deum, ut quid nos curiosis et supervacaneis scriptis divexant?

Non iuvat itaque diatriben hoc miserum effugium troporum, sed tenendus est hic fortiter Proteus noster, ut nos faciat certissimos de tropo huius loci, idque vel clarissimis Scripturis vel evidentibus miraculis. Ipsi sic opinanti, etiam consentiente

omnium seculorum industria, nihil credimus, sed pergimus et urgemus, tropum hic nullum esse posse, simpliciter vero, ut sonant verba, sermonem Dei esse accipiendum. Neque enim nostri arbitrii est (ut diatribe sibi persuadet) verba Dei fingere et refingere pro libidine nostra, alioqui quid reliquum est in tota Scriptura, quod non redeat ad Anaxagorae philosophiam, ut quodlibet ex quolibet fiat? Dicam enim: Deus creavit coelum et terram, id est, disposuit, non autem fecit ex nihilo, vel: Creavit coelum et terram, id est, angelos et daemones, vel iustos et impios. Quis, rogo, tum non statim aperto libro theologus fuerit? Sit igitur hoc ratum ac fixum, quando diatribe non potest probare, tropum inesse his locis nostris, quos diluit, concedere cogitur nobis, verba, ut sonant, esse accipienda, etiamsi probaret, alias tropum eundem in omnibus locis Scripturae et in omnium usu esse vulgatissimum. Atque per hoc semel defensa sunt omnia nostra, quae confutare voluit diatribe, inventaque est confutatio eius prorsus nihil efficere, nihil posse, nihil esse.

Quando igitur illud Mosi: Indurabo cor Pharaonis, sic interpretatur: Mea lenitas, qua tolero peccantem, alios quidem ad poenitentiam adducit, Pharaonem autem obstinatiorem reddet in malitia, pulchre dicitur, sed non probatur sic oportere dici, nos vero non contenti dicto probatum quaerimus.

Item illud Pauli: Miseretur cuius vult, indurat quem vult, plausibiliter interpretatur, id est, Deus indurat, cum non statim castigat peccantem, miseretur, cum mox ad poenitentiam per afflictiones invitat; sed quo probatur haec interpretatio?

Item illud Esaiae *): Errare nos fecisti de viis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te. Esto, Hieronymus ex Origene sic interpretatur: Seducere dicitur, qui non statim revocat ab errore; quis nos certos facit, Hieronymum et Origenem recte inter-

*) Esai. 63.

pretari? Denique pactum nostrum est, non autoritate alicuius Doctoris, sed solius Scripturae nos velle confligere. Quos igitur Origenes? quos Hieronymos diatribe nobis oblita pacti obiicit? cum inter ecclesiasticos scriptores nulli fere sint, qui ineptius et absurdius divinas literas tractarint, quam Origenes et Hieronymus.

Et, ut uno verbo dicam, illuc redit licentia ista interpretandi, ut nova et inaudita Grammatica omnia confundantur, ut, cum Deus dicit: Ego indurabo cor Pharaonis, mutatis personis sic accipias, Pharao indurat sese mea lenitate; Deus indurat cor nostrum, id est, nos ipsi induramus nos, Deo poenas differente; Tu, Domine, errare nos fecisti, id est, nos errare fecimus nos ipsos, te non castigante. Ita Deum misereri iam non significat donare gratiam, aut exhibere misericordiam, remittere peccatum, iustificare, aut a malis liberare, sed contra significat inferre malum et castigare.

Istis tropis tandem id efficietur, ut dicas, Deum fuisse misertum filiis Israel, dum illos in Assyriam et Babylonem transtulit, ibi enim castigavit peccatores, ibi per afflictiones ad poenitentiam invitavit; rursus cum reduxit eos et liberavit, tum non fuit misertus, sed induravit, hoc est, lenitate sua et misericordia occasionem dedit, ut indurarentur. Sic quod Christum Salvatorem misit in mundum, non dicetur esse misericordia Dei, sed induratio, quod hac misericordia occasionem dedit hominibus sese indurandi. Quod vero Ierusalem vastavit et Iudaeos perdidit in hunc usque diem, ibi miseretur eorum, quia castigat peccantes et ad poenitentiam invitat. Quod Sanctos in coelum vehet in die iudicii, non faciet miserendo, sed indurando, quia bonitate sua occasionem dabit abutendi, quod impios vero trudet ad inferos, ibi miserebitur, quia castigat peccatores. Obsecro, quis unquam istas misericordias et iras Dei audivit?

Esto sane, quod boni tum lenitate tum severitate Dei meliores fiant, tamen cum simul de bonis et malis loquimur, facient isti tropi ex misericordia

Dei iram, et ex ira misericordiam, penitus perverso loquendi usu, dum hoc vocant iram, cum Deus benefacit, et misericordiam, dum affligit. Quod si tum dicendus est Deus indurare, cum benefacit et tolerat, misereri vero, cum affligit et castigat, cur magis Pharaonem dicitur indurasse, quam filios Israel, aut etiam totum mundum? An non benefecit filiis Israel? non benefacit toti mundo? non tolerat malos? non pluit super bonos et malos? Cur magis dicitur misertus filiis Israel quam Pharaoni? an non afflixit filios Israel in Aegypto et deserto? Esto, quod alii abutantur, alii recte utantur Dei bonitate et ira. Tu tamen hoc definis: Indurare esse id, quod indulgere malis lenitate et bonitate, misereri vero esse non indulgere, sed visitare et corripere. Igitur quantum ad Deum attinet, ipse perpetua bonitate nihil aliud facit, quam quod indurat, perpetua correptione nihil aliud facit, quam quod miseretur.

Verum hoc longe pulcherrimum: Indurare dicitur Deus, cum peccatoribus indulget lenitate, misereri vero, cum visitat et affligit ad poenitentiam invitans severitate. Quid, rogo, omisit Deus in affligendo, castigando, vocando Pharaone ad poenitentiam? Non numerantur illic decem plagae? Si tua definitio stat, quod misereri sit peccatorem statim castigare et vocare, Pharaoni certe misertus fuit Deus. Cur ergo Deus non dicit, Ego miserebor Pharaonis, sed dicit, Ego indurabo cor Pharaonis? In eo ipso enim, quod miseretur eius, id est, ut tu dicis, affligit et castigat, dicit, Indurabo eum, id est, ut tu dicis, benefaciam et tolerabo eum. Quid monstrosius audiri possit? Ubi nunc sunt tropi tui? ubi Origenes? ubi Hieronymus? ubi probatissimi Doctores, quibus unus homo Lutherus temere contradicit? Sed sic loqui cogit imprudentia carnis, dum in verbis Dei ludit, nec credit esse seria.

Evincit igitur textus ipse Mosi irrefragabiliter, ropos illos esse fictos et nihili hoc loco, longeque aliud et maius quiddam ultra beneficentiam et afflictionem et castigationem significari illis verbis:

Ego indurabo cor Pharaonis, cum negare nequeamus, utrumque fuisse in Pharaone summo studio et cura tentatum. Quae enim ira et castigatio instantior, quam dum tot signis, tot plagis percutitur, ut talia non fuisse unquam etiam ipse Moses testetur? Denique ipse Pharao non semel velut resipiscens illis movetur, sed non permovetur nec perseverat. Quae etiam lenitas et beneficentia largior, dum tam facile tollit plagas, ac toties remittit peccatum, toties reducit bona, toties aufert mala? Utraque tamen nihil faciunt, adhuc dicit: Indurabo cor Pharaonis. Vides igitur, etiamsi tua induratio et misericordia (id est, glossae et tropi tui) concedantur in summo gradu et usu et exemplo, quales in Pharaone est cernere, adhuc stat induratio, et aliam esse necesse est, de qua Moses dicit, et aliam quam tu somnias.

Sed quando cum fictoribus et larvis pugnamus, larvemur et nos, fingamusque per impossibile, tropum, quem diatribe somniat, valere hoc loco, visuri quomodo elabatur, ne affirmare cogatur, solius Dei voluntate, nostra vero necessitate omnia fieri, et quomodo excuset Deum, ne ipse sit autor et culpa nostrae indurationis. Si verum est, quod tunc indurare dicitur Deus, cum lenitate sua tolerat, nec statim punit, utrumqne adhuc perstat. Primum, quod nihilo minus homo necessario servit peccato, nam ubi concessum fuerit, liberum arbitrium non posse velle quicquam boni (quale suscepit diatribe), lenitate tolerantis Dei nihilo melius fit, sed necessario peius, nisi addatur ei spiritus Deo miserente, quare adhuc necessitate nostra fiunt omnia.

Alterum, quod aeque Deus crudelis esse videtur tolerando per lenitatem, atque a nobis praedicari putatur, quod indurat volendo voluntate illa imperscrutabili. Nam cum videat liberum arbitrium non posse velle bonum, fierique peius lenitate tolerantis, hac ipsa lenitate crudelissimus ac delectari videtur nostris malis, cum possit iis mederi, si vellet, possetque non tolerare, si vellet, imo nisi vellet, tolerare non posset; quis eum coget invitum? Stante

ergo illa voluntate, sine qua nihil fit, et dato, quod liberum arbitrium nihil boni potest velle, frustra dicitur, quicquid dicitur pro excusando Deo et accusando libero arbitrio. Semper enim dicit liberum arbitrium: Ego non possum, et Deus non vult, quid faciam? Misereatur sane me affligendo, nihil inde promoveo, sed deterior fiam necesse est, nisi spiritum donet. Sed hunc non donat, donaret autem, si vellet, velle. igitur eum non dare certum est.

Nec similitudines allatae quicquam faciunt ad rem, ubi dicitur: Sicut eodem sole limus durescit et cera liquescit, et ex eodem imbre terra culta fructum, terra inculta spinas profert, ita eadem lenitate Dei alii indurantur, alii convertuntur.

Non enim liberum arbitrium in duo diversa ingenia dividimus, ut aliud sit velut limus, aliud cera, aut aliud terra culta, aliud inculta terra, sed de uno in omnibus hominibus aequaliter impotente loquimur, quod non nisi limus, non nisi terra inculta est, ut quod non possit velle bonum [1]). Ideo sicut limus semper fit durior et terra inculta spinosior, ita liberum arbitrium semper fit peius, tam lenitate solis indurante, quam tempestate pluviae liquefaciente. Si est igitur unius definitionis eiusdemque impotentiae liberum arbitrium in omnibus hominibus, nulla potest ratio reddi, cur unum perveniat ad gratiam et alterum non perveniat, si nihil aliud praedicetur, quam lenitas tolerantis et castigatio miserentis Dei. Positum est enim liberum arbitrium in omnibus hominibus aequali definitione, nihil posse velle boni. Tum nec Deus quemquam eligit [2]), nec electionis ullus locus relinquitur, sed sola libertas arbitrii, lenitatem et iram acceptans vel refutans. Spoliatus vero Deus virtute et sapientia eligendi, quid erit nisi idolum Fortunae, cuius numine omnia temere

---

1) In ed. Jen. hic interserta leguntur haec: Neque Paulus dicit, quod Deus fictor faciat aliud vas in honorem, aliud in ignominiam ex diverso luto, sed ex eodem (inquit) luto facit etc. 2) In ed. 1525 et ed. Ien.: eliget.

fiunt? Et tandem eo venietur, ut homines salvi fiant et damnentur ignorante Deo, ut qui non discreverit certa electione salvandos et damnandos, sed oblata omnibus generali lenitate tolerante et indurante, tum misericordia corripiente et puniente hominibus reliquerit, utri velint salvi fieri aut damnari, ipse interim forte ad convivium Aethiopum profectus, ut Homerus dicit.

Talem Deum nobis et Aristoteles pingit, qui dormiat scilicet et sinat sua bonitate et correptione uti et abuti quoslibet. Nec ratio aliter de ipso potest iudicare, quam hic diatribe facit. Sicut enim ipsa stertit et contemnit res divinas, sic iudicat et de Deo, quasi stertat, et omissa eligendi, discernendi, inspirandi sapientia, voluntate et praesentia hominibus mandarit negotiosum istud et molestum opus, lenitatem et iram suam acceptandi et refutandi. Huc venitur, dum ratione humana Deum metiri et excusare volumus, dum secreta maiestatis non reveremur, sed penetramus scrutantes, ut oppressi gloria pro una excusatione mille blasphemias evomamus, nec nostri interim memores, sed simul et contra Deum et nos garrientes velut insani, dum magna sapientia pro Deo et pro nobis dicere volumus. Nam hic vides, quid ex Deo faciat iste tropus et glossa diatribes, deinde quam bene sibi constet, quae antea liberum arbitrium in omnibus hominibus una definitione fecit aequale et simile, nunc inter disputandum, propriae definitionis oblita, aliud facit cultum, aliud incultum, ex diversitate operum et morum et hominum diversa faciens arbitria libera, aliud quod bonum faciat, aliud quod non faciat, atque id suis viribus ante gratiam, quibus viribus ipsum nihil posse velle boni ante definierat. Ita fit, dum soli voluntati Dei non permittimus indurandi et miserendi et omnia faciendi voluntatem et potentiam, ipsi libero arbitrio omnia posse tribuamus sine gratia, quod tamen negavimus quicquam boni posse sine gratia.

Nihil igitur huc valet similitudo solis et imbris, rectius Christianus ea similitudine utetur, ut

solem et imbrem vocet Evangelium, sicut facit Psal. 19 [1]) et Epistola ad Ebraeos 6 [2]), cultam vero terram electos, incultam reprobos, illi enim verbo aedificantur et meliores fiunt, illi [3]) offenduntur et peiores fiunt, alioqui liberum arbitrium per sese in omnibus hominibus est regnum Satanae[4]).

Causas etiam videamus fingendi huius tropi in hoc loco. Absurdum (ait diatribe) videtur, ut Deus, qui non solum iustus, verum etiam bonus est, indurasse dicatur cor hominis, ut per illius malitiam suam illustraret potentiam. Quare ad Originem recurrit, qui fatetur occasionem indurationis datam a Deo, culpam tamen in Pharaonem reiicit. Insuper idem annotavit, quod Dominus dixit: In hoc ipsum excitavi te, non ait, non in hoc ipsum feci te; alioqui Pharao non fuisset impius, si talem condidisset Deus, qui contemplatus est omnia opera sua, et erant valde bona. Haec illa.

Absurditas itaque una est principalium causarum, ne verba Mosi et Pauli simpliciter accipiantur. Sed ea absurditas in quem peccat articulum fidei? aut quis illa offenditur? Ratio humana offenditur, quae cum in omnibus verbis et operibus Dei caeca, surda, stulta, impia et sacrilega est, hoc loco adducitur iudex verborum et operum Dei. Eodem argumento negabis omnes articulos fidei, quod longe absurdissimum sit, et, ut Paulus *) ait: Stultitia gentibus et scandalum Iudaeis, Deum esse hominem, virginis filium, crucifixum, sedentem in dextera Patris. Absurdum est (inquam) talia credere. Fingamus igitur tropos aliquos cum Arianis, ne Christus sit simpliciter Deus. Fingamus tropos cum Manichaeis, ne sit verus homo, sed phantasma per virginem, ceu radius per vitrum, lapsum et crucifixum. Sic pulchre Scripturas tractabimus.

Sed nec prosunt tamen tropi, nec evaditur absurditas. Absurdum enim manet (ratione iudice),

---

1) In ed. 1525 et 1526: 18. 2) Ibidem: 10. 3) In ed. Ien.: hi. 4) Ibidem: est terra inculta et regnum Satanae. *) 1. Cor. 1.

ut Deus ille iustus et bonus exigat a libero arbitrio impossibilia, et cum liberum arbitrium non possit velle bonum, necessarioque serviat peccato, tamen imputet ei. Et dum non confert spiritum, nihil mitius aut clementius faciat, quam si induret vel indurari permittat. Haec dictabit ratio non esse boni et clementis Dei; superant nimio captum illius, nec captivare etiam sese potest, ut credat bonum esse Deum, qui talia faciat et iudicet, sed seclusa fide palpare et videre et comprehendere vult, quomodo sit bonus et non crudelis. Comprehenderet vero tunc, quando sic de Deo diceretur: Neminem indurat, neminem damnat, sed omnibus miseretur, omnes salvos facit, ut destructo inferno positoque metu mortis nulla poena formidaretur futura. Ideo sic aestuat et contendit, ut Deum excuset et defendat iustum et bonum. Sed fides et spiritus aliter iudicant, qui Deum bonum credunt, etiamsi omnes homines perderet. Et quid prodest, nos istis cogitationibus fatigari, ut culpam indurationis in liberum arbitrium reiiciamus; faciat liberum arbitrium toto mundo totisque viribus, quicquid potest, nullum tamen exemplum edet, quo vel vitare possit, ne induretur, nisi Spiritum dederit Deus, vel quo misericordiam mereatur, si suis viribus relictum fuerit. Quid enim refert, an induretur vel mereatur indurari, cum induratio necessario insit, donec inest impotentia illa, qua non potest velle bonum, teste ipsa diatribe. Cum igitur absurditas non tollatur istis tropis, aut si tollatur, maiores afferuntur absurditates, et libero arbitrio omnia tribuuntur, facessant inutiles et seductores tropi puroque et simplici verbo Dei haereamus.

Altera causa [1]), quod ea, quae fecit Deus, sunt valde bona, nec Deus dixit: Feci te in hoc ipsum, sed excitavi in hoc ipsum.

Primo dicimus, quod hoc dictum est ante lapsum hominis, ubi, quae Deus fecerat, erant valde bona. Sed mox sequitur tertio capite, quomodo sit

---

1) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus.

homo factus malus, desertus a Deo ac sibi relictus. Ex quo homine sic corrupto nati sunt omnes impii, etiam Pharao, sicut Paulus *) ait: Eramus omnes natura filii irae, sicut et ceteri. Condidit igitur Deus Pharaonem impium, hoc est, ex impio et corrupto semine, sicut in Proverbiis Salomonis **) dicit: Omnia propter semet ipsum fecit Dominus, etiam impium ad diem malum [1]). Non igitur sequitur: Deus condidit impium, ergo non est impius; quomodo enim non est impius ex impio semine? sicut dicit Psal. 51 [2]): Ecce in peccatis conceptus sum, et Iob ***): Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Licet enim Deus peccatum non faciat, tamen naturam peccato, subtracto Spiritu, vitiatam non cessat formare et multiplicare, tanquam si faber ex ligno corrupto statuas faciat. Ita qualis est natura, tales fiunt homines, Deo creante et formante illos ex natura tali. Secundo dicitur: Si de operibus Dei post lapsum intelligi voles, erant valde bona, observabis hoc dici non de nobis, sed de Deo. Non enim dicit: Vidit homo, quae fecerat Deus, et erant valde bona. Multa videntur Deo et sunt bona valde, quae nobis videntur et sunt pessima. Sic afflictiones, mala, errores, infernus, imo omnia optima opera Dei sunt coram mundo pessima et damnabilia. Quid Christo et Evangelio melius? at quid mundo exsecratius? Igitur quomodo sint bona coram Deo, quae nobis mala sunt, solus Deus novit, et ii, qui oculis Dei vident, id est, qui Spiritum habent. Sed tam acuta disputatione nondum opus est, sufficit interim illa prior responsio.

Quaeritur fortassis, quo modo Deus mala in nobis dicatur operari, ut indurare, tradere desideriis, seducere et similia? Oportuit sane verbis Dei con-

---

*) Ephe. 2. **)Prover. 16. 1) In ed. Ien. hic in parenthesi haec addita leguntur: (non quidem creando malitiam in eo, sed ex malo semine formando eum et regendo). 2) In ed. 1525 et 1526: 50. ***) Iob. 14.

tentos esse, et simpliciter credere, quod dicunt, cum sint opera Dei prorsus inenarrabilia, tamen in obsequium rationis, id est, stultitiae humanae, libet ineptire et stultescere, et balbutiendo tentare, si qua possimus eam movere.

Primum, etiam ratio et diatribe concedit, Deum omnia in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri nec efficax esse, est enim omnipotens pertinetque id ad omnipotentiam suam, ut Paulus ait ad Ephesios. Iam Satan et homo lapsi et deserti a Deo non possunt velle bonum, hoc est ea, quae Deo placent, aut quae Deus vult, sed sunt in sua desideria conversi perpetuo, ut non possint non quaerere quae sua sunt. Haec igitur eorum voluntas et natura sic a Deo versa [1] non est nihil, neque enim Satan et impius homo nihil est, aut nullam naturam aut voluntatem habent, licet corruptam et aversam naturam habeant. Illud igitur reliquum, quod dicimus, naturae in impio et Satana, ut creatura et opus Dei, non est minus subiectum omnipotentiae et actioni divinae, quam omnes aliae creaturae et opera Dei.

Quando ergo Deus omnia in omnibus movet et agit, necessario movet etiam et agit in Satana et impio. Agit autem in illis taliter, quales illi sunt, et quales invenit, hoc est, cum illi sint aversi et mali et rapiantur motu illo divinae omnipotentiae, non nisi aversa et mala faciunt, tanquam si eques agat equum tripedem vel bipedem, agit quidem taliter, qualis equus est, hoc est, equus male incedit. Sed quid faciat eques? equum talem simul agit cum equis sanis, illo male, istis bene, aliter non potest, nisi equus sanetur. Hic vides, Deum, cum in malis et per malos operatur, mala quidem fieri, Deum tamen non posse male facere, licet mala per malos faciat, quia ipse bonus male facere non potest, malis tamen instrumentis utitur, quae raptum et motum potentiae suae non possunt evadere. Vitium

1) In ed. 1525: aversa.

ergo est in instrumentis, quae otiosa Deus esse non sinit, quod mala fiunt, movente ipso Deo, non aliter, quam si faber securi serrata et dentata male secaret. Hinc fit, quod impius non possit non semper errare et peccare, quod raptu divinae potentiae motus otiari non sinitur, sed velit, cupiat, faciat taliter, qualis ipse est.

Haec rata et certa sunt, si credimus omnipotentem esse Deum, deinde impium esse creaturam Dei, aversam vero relictamque sibi sine spiritu Dei non posse velle aut facere bonum. Omnipotentia Dei facit, ut impius non possit motum et actionem Dei evadere, sed necessario illi subiectus paret. Corruptio vero seu aversio sui a Deo facit, ut bene moveri et rapi non possit. Deus suam omnipotentiam non potest omittere propter illius aversionem, impius vero suam aversionem non potest mutare. Ita fit, ut perpetuo et necessario peccet et erret, donec spiritu Dei corrigatur. In his vero omnibus Satan adhuc in pace regnat, et atrium suum quietum possidet sub motu isto divinae omnipotentiae. Post haec vero sequitur indurationis negotium, quod sic habet. Impius (ut diximus) sicut et princeps suus Satan totus est versus ad se et ad sua, non requirit Deum, nec curat ea, quae Dei sunt, suas opes, suas glorias, sua opera, suum sapere, suum posse, et omnino suum regnum quaerit, illisque vult in pace frui. Quod si quis ei resistat, aut aliquid horum voluerit imminuere, eadem aversione, qua illa quaerit, etiam movetur et indignatur, et furit in adversarium. Et non tam potest non furere, quam non potest non cupere et quaerere, et tam non potest non cupere, quam non potest non esse, cum sit creatura Dei, licet vitiata.

Hic est ille furor mundi adversus Evangelium Dei, nam per Evangelium venit ille fortior, victurus atrii quietum possessorem, et damnat istas cupiditates gloriae, opum, sapientiae et iustitiae propriae, et omnia, in quibus confidit. Haec ipsa irritatio impiorum, cum Deus illis contrarium dicit aut facit, quam vellent, est ipsorum induratio et ingravatio.

Nam cum per sese sint aversi ipsa naturae corruptione, tum multo magis avertuntur et peiores fiunt, dum ipsorum aversioni resistitur aut detrahitur. Sic Pharaoni impio erepturus tyrannidem irritavit eum et magis induravit et aggravavit cor eius, dum illum per verbum Mosi, velut regnum ablaturi et populum suae tyrannidi subtracturi, invasit, et intus spiritum non dedit, sed ipsius impiam corruptionem permisit Satana regnante succensere, intumescere, furere et procedere cum securitate quadam et contemptu.

Non igitur quispiam cogitet, Deum, cum dicitur indurare aut malum in nobis operari (indurare enim est malum facere), sic facere, quasi de novo in nobis malum creet, ac si fingas malignum cauponem, qui ipse malus in vas non malum fundat aut temperet venenum, ipso vase nihil faciente, quam quod recipiat vel patiatur temperatoris malignitatem. Sic enim fingere videntur hominem per sese bonum aut non malum pati a Deo malum opus, dum audiunt a nobis dici, Deum in nobis operari bona et mala, nosque mera necessitate passiva subiici Deo operanti, non satis cogitantes, quam inquietus sit actor Deus in omnibus creaturis suis nullamque sinat feriari. Sed ita cogitet, qui utcunque talia volet intelligere in nobis, id est, per nos Deum operari mala, non culpa Dei, sed vitio nostro, qui cum simus natura mali, Deus vero bonus, nos actione sua pro natura omnipotentiae suae rapiens, aliter facere non possit, quam quod ipse bonus malo instrumento malum faciat, licet hoc malo pro sua sapientia utatur bene ad gloriam suam et salutem nostram.

Sic Satanae voluntatem malam inveniens, non autem creans, sed deserente Deo et peccante Satana malam factam arripit operando, et movet quorsum vult, licet illa voluntas mala esse non desinat, hoc ipso motu Dei. Hoc modo dixit David 2. Samuel. 16 de Simei[1]: Sine illum, ut maledicat, Dominus enim

1) In ed. 1525 et 1526: 2 Reg. de Simei.

praecepit illi, ut maledicat David. Quomodo praecipiat Deus maledicere, scilicet tam virulentum et malum opus? Externum non erat uspiam tale praeceptum. Respicit igitur David illo, quod Deus omnipotens dixit, et facta sunt, hoc est, verbo aeterno omnia facit. Itaque voluntatem Simei iam malam cum omnibus membris, contra David antea accensam, oblato opportune David, ut merito talem blasphemiam, rapit divina actio et omnipotentia, et ipse Deus bonus per malum et blasphemum organum praecipit, id est, verbo dicit et facit, scilicet raptu actionis suae, hanc blasphemiam.

Sic indurat Pharaonem, cum impiae et malae eius voluntati offert verbum et opus, quod illa odit, vitio scilicet ingenito et naturali corruptione. Atque cum Deus spiritu intus eam non mutet, pergat vero offerendo et obtrudendo, Pharao vero vires, opes, potentiam suam considerans illis eodem naturali vitio confidit, fit ut hinc suarum rerum imaginatione inflatus et exaltatus, illinc vero humilitate Mosi et verbi Dei abiecta forma venientis superbus contemptor factus, induretur, tum magis ac magis irritetur et ingravetur, quo magis Moses instat et minatur. Haec autem voluntas eius mala se sola non moveretur aut induraretur, sed omnipotens actor cum illam agat inevitabili motu ut reliquas creaturas, necesse est eam aliquid velle. Tum simul foris offert, quod naturaliter illam irritat et offendit, fit ut Pharao non possit vitare indurationem sui, sicut vitare non potest et omnipotentiae divinae actionem et aversionem seu malitiam suae voluntatis. Quare induratio Pharaonis per Deum sic impletur, quod foris obiicit malitiae eius, quod ille odit naturaliter, tum intus non cessat movere omnipotente motu malam (ut invenit) voluntatem, illeque pro malitia voluntatis suae non potest non odisse contrarium sibi et confidere suis viribus, sic obstinatur, ut neque audiat neque sapiat, sed rapiatur possessus a Satana, velut insanus et furens.

Haec si persuasimus, vicimus in hac causa, et explosis tropis et glossis hominum verba Dei sim-

pliciter accipimus, ne sit necesse Deum excusare vel iniquitatis arguere. Cum enim dicit, Ego indurabo cor Pharaonis, simpliciter loquitur, ac si sic diceret: Ego faciam, ut cor Pharaonis induretur, seu ut me operante et faciente induretur. Quod quomodo fiat audivimus, scilicet intus generali motu ipsam movebo voluntatem malam, ut suo impetu et cursu volendi pergat, nec cessabo movere nec possum aliter. Foris vero offeram verbum et opus, in quod impinget impetus ille malus, cum aliud non possit, nisi male velle, me ipsum malum movente virtute omnipotentiae.

Sic certissimus erat et certissime pronunciabat Deus, Pharaonem esse indurandum, ut qui certissimus erat, Pharaonis voluntatem nec motui omnipotentiae resistere, nec malitiam suam deponere, nec oblatum adversarium Mosen admittere posse, sed manente voluntate eius mala necessario peiorem, duriorem et superbiorem fieri, dum cursu et impetu suo impingeret in id, quod nolebat et quod contemnebat, confisus potentia sua. Ita vides hic, etiam hoc ipso verbo confirmari, liberum arbitrium nihil nisi malum posse, dum Deus, qui non fallitur ignorantia nec mentitur nequitia, tam secure promittit indurationem Pharaonis, certus videlicet, quod voluntas mala non nisi malum velle possit, et oblato bono sibi contrario non nisi peior fieri possit.

Reliqua igitur sunt, ut quaerat quispiam, cur Deus non cesset ab ipso motu omnipotentiae, quo voluntas impiorum movetur, ut pergat mala esse et peior fieri? Respondetur: Hoc est optare, ut Deus propter impios desinat esse Deus, dum eius virtutem et actionem optat cessare, scilicet ut desinat esse bonus, ne illi fiant peiores. At cur non simul mutat voluntates malas, quas movet? Hoc pertinet ad secreta maiestatis, ubi incomprehensibilia sunt iudicia eius. Nec nostrum hoc est quaerere, sed adorare mysteria haec. Quod si caro et sanguis hic offensa murmuret, murmuret sane, sed nihil efficiet, Deus ideo non mutabitur. Et si scandalisati impii discedant quam plurimi, electi tamen

manebunt. Idem dicetur illis, qui quaerunt: Cur permisit Adam ruere, et cur nos omnes eodem peccato infectos condit, cum potuisset illum servare et nos aliunde vel primum purgato semine creare. Deus est, cuius voluntatis nulla est causa nec ratio, quae illi ceu regula et mensura praescribatur, cum nihil sit illi aequale aut superius, sed ipsa est regula omnium. Si enim esset illi aliqua regula vel mensura, aut causa aut ratio, iam nec Dei voluntas esse posset. Non enim quia sic debet vel debuit velle, ideo rectum est, quod vult, sed contra, quia ipse sic vult, ideo debet rectum esse quod fit. Creaturae voluntati causa et ratio praescribitur, sed non creatoris voluntati, nisi alium illi praefeceris creatorem.

His puto satis confutatam esse tropologam diatriben cum suo tropo, tamen ad ipsum textum veniamus, visuri, quam conveniat inter ipsam et tropum. Mos est enim omnium, qui tropis eludunt argumenta, ut textu ipso fortiter contempto hoc solum laborent, ut excerptum vocabulum aliquod tropis torqueant ac suo sensu crucifigant, nullo respectu habito vel circumstantiarum, vel sequentium et praecedentium, vel intentionis aut causae autoris. Sic diatribe hoc loco, nihil morata, quid agat Moses, aut quorsum tendat eius oratio, voculam hanc, Ego indurabo, (qua offenditur) e textu rapit, fingitque pro libidine, interim nihil cogitans, quomodo sit rursus inserenda et coaptanda, ut quadret corpori textus. Atque haec est illa ratio, cur Scriptura non sit satis dilucida apud tot seculis receptissimos ac doctissimos viros, nec mirum, quando nec sol talibus artibus petitus lucere posset.

Sed ut omittam, quod superius monstravi, Pharaonem non recte dici induratum, quod lenitate Dei toleratus non sit statim punitus, cum tot plagis castigatus sit. Quid opus erat, ut Deus toties promitteret sese induraturum cor Pharaonis, tunc cum signa fierent, qui iam ante signa et ante eam indurationem talis fuit, ut qui lenitate divina toleratus nec punitus tot mala intulerit filiis Israel, successu

prospero et opibus inflatus, si indurare dicitur divina lenitate tolerari nec statim punire? Vides igitur prorsus nihil ad rem facere tropum istum hoc loco? ut qui generaliter ad omnes pertinet, qui peccant lenitate divina tolerati. Sic enim omnes homines indurari dicemus, cum nemo non peccet, peccaret vero nullus, nisi toleraretur lenitate divina. Alia est igitur haec Pharaonis induratio praeter illam generalem tolerantiam lenitatis divinae.

Hoc potius agit Moses, ut non adeo praedicet malitiam Pharaonis, quam veritatem et misericordiam Dei, ne scilicet filii Israel diffidant promissionibus Dei, ubi se liberaturum eos promisit. Ea res cum esset maxima, praedicit illis difficultatem, ne labascant fide, scientes haec omnia praedicta et disponente ipso, qui promisit, sic gerenda, ac si diceret: Libero vos quidem, sed hoc difficulter credetis, adeo resistet et differet rem Pharao; sed confidite nihilominus, hoc totum quoque, quod ille differt, me operante fiet, ut eo plura et maiora faciam miracula, ad confirmandos vos in fide et ad ostendendam potentiam meam, ut deinceps eo magis mihi in aliis omnibus credatis. Sic et Christus facit, cum suis discipulis regnum promittit in coena novissima, difficultates plurimas praedicit, suam ipsius mortem et ipsorum multas tribulationes, ut, cum factum esset, crederent deinceps multo magis.

Nec Moses obscure hunc sensum nobis exhibet, ubi dicit: Pharao autem non dimittet vos, ut multa signa fiant in Aegypto, et iterum: In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam potentiam meam in te, et enarretur nomen meum in universa terra. Vides hic ideo Pharaonem indurari, ut resistat Deo et differat redemptionem, quo fiat occasio multis signis et declarandae potentiae Dei, ad enarrandum et credendum ei in omni terra. Quid hoc est aliud, quam haec omnia dici et fieri, ad confirmandam fidem et ad consolandos infirmos, ut Deo deinceps tanquam veraci, fideli, potenti et misericordi libenter credant? velut si parvulis blandissime loquatur: Ne terreamini duritia Pharaonis. Nam et illam ipsam

ego operor et in manu mea habeo, qui libero vos, tantum illa utar ad multa signa facienda et ad declarandam maiestatem meam pro fide vestra.

Hinc illud est, quod fere post singulas plagas repetit Moses: Et induratum est cor Pharaonis, ut non dimitteret populum, sicut locutus fuerat Dominus. Quid est hoc, Sicut locutus erat Dominus, nisi ut verax appareret Dominus, qui illum indurandum praedixerat? Si hic ulla erat vertibilitas aut libertas arbitrii in Pharaone, quae in utrumque potuisset, non potuisset Deus tam certo praedicere eius indurationem. Nunc cum promittat is, qui nec falli nec mentiri potest, necessario et certissime futurum erat, ut induraretur; quod non fieret, nisi induratio prorsus esset extra vires hominis et in solius Dei potestate, modo quo diximus supra, videlicet, quod Deus certus erat, sese operationem omnipotentiae generalem non omissurum in Pharaone aut propter Pharaonem, cum nec possit eam omittere.

Deinde aeque certus erat, voluntatem Pharaonis naturaliter malam et aversam non posse consentire verbo et operi Dei contrario sibi, ideo impetu volendi in Pharaone per omnipotentiam Dei intus servato, et occursu verbi et operis contrarii foris obiecto, nihil aliud fieri potuit, quam offensio et induratio cordis in Pharaone. Si enim Deus omisisset actionem omnipotentiae suae in Pharaone, tum cum ei verbum Mosi contrarium obiecit, et sola voluntas Pharaonis sua vi egisse fingeretur, tum disputandi locus forte fuisset, utro sese inclinare potuisset. Nunc vero, cum agatur et rapiatur volendo, non fit quidem voluntati eius vis, quia non cogitur nolens, sed naturali operatione Dei rapitur ad volendum naturaliter, qualisqualis est (est autem mala), ideo non potest non impingere in verbum et sic indurari. Ita videmus hunc locum fortiter contra liberum arbitrium pugnare, eo nomine, quod Deus, qui promittit, nequeat mentiri, si autem non mentitur, non potest Pharao non indurari.

Sed et Paulum videamus, qui hunc locum ex Mose assumit Rom. 9. Quam misere torquetur diatribe in eo loco, ne liberum arbitrium amittat, in omnem habitum sese versat. Nunc dicit, esse necessitatem consequentiae, sed non consequentis, nunc ordinatam seu voluntatem signi, cui resisti potest, voluntatem placiti, cui resisti non potest. Nunc loci adducti ex Paulo non pugnant, non loquuntur de salute hominis, nunc praescientia Dei necessitatem, nunc non ponit necessitatem, nunc praevenit gratia voluntatem, ut velit, comitatur euntem, dat felicem eventum, nunc causa primaria agit omnia, nunc agit per causas secundarias ipsa quieta. Istis et similibus ludibriis verborum nihil facit, quam quod tempus redimat et causam interim nobis ex oculis rapiat alioque trahat. Tam stupidos et socordes nos aestimat, vel tam parum affici causae, quam ipsa afficitur, aut more infantium, qui, ubi metuunt vel ludunt, oculos manibus velant, tum a nemine videri sese putant, quod ipsi neminem videant. Sic per omnem modum diatribe, radios, imo fulgura clarissimorum verborum non ferens, fingit sese non videre id, quod res est, persuasura nobis simul, ut et ipsi oculis velatis non videamus. Sed haec omnia sunt signa convicti animi et invictae veritati reluctantis temere.

Figmentum illud de necessitate consequentiae et consequentis superius confutatum est. Fingat, refingat, cavilletur, recavilletur diatribe, quantum volet, si praescivit Deus, Iudam fore proditorem, necessario Iudas fiebat proditor, nec erat in manu Iudae aut ullius creaturae, aliter facere aut voluntatem mutare, licet id fecerit volendo non coactus, sed velle illud erat opus Dei, quod omnipotentia sua movebat [1]), sicut et omnia alia. Stat enim invicta et evidens sententia, Deus non mentitur, nec fallitur. Non sunt hic obscura verba vel ambigua,

---

1) In ed. Ien.: opus illius, quod omnipotentia sua movebat Deus.

etiamsi omnes omnium seculorum viri doctissimi caecutiant, ut aliter saperent et dicerent. Et ut multa tergiverseris, conscientia tamen tua et omnium convicta cogitur sic dicere: Si Deus non fallitur in eo, quod praescit, necesse est ipsum praescitum fieri, alioqui quis credere posset eius promissionibus, quis metueret eius minas, si non sequitur necessario, quod promittit aut minatur, aut quomodo promittat aut minetur, si praescientia eius fallit, aut nostra mutabilitate impediri potest? Obstruit plane haec nimia certae veritatis lux omnium os, dirimit omnes quaestiones, victoriam statuit adversus omnes argutias elusorias.

Scimus sane, praescientiam hominum falli, scimus non ideo eclipsin venire, quia praescitur, sed ideo praesciri, quia ventura est. Quid nobis cum ista praescientia? De praescientia Dei disputamus, huic nisi dederis necessarium effectum praesciti, fidem et timorem Dei abstulisti, promissiones et minas divinas omnes labefecisti, atque adeo ipsam divinitatem negasti. Sed et ipsamet diatribe, cum diu esset luctata omniaque tentasset, tandem vi veritatis compulsa confitetur nostram sententiam, dicens:

De voluntate ac destinatione Dei difficilior est quaestio. Vult enim Deus eadem, quae praescit. Et hoc est, quod subiicit Paulus: Voluntati eius quis resistit, si miseretur, cui vult, si indurat quem vult? Etenim si esset rex, quicquid vellet, efficeret, nec quisquam posset obsistere, facere diceretur quicquid vellet. Ita Dei voluntas, quoniam est causa principalis omnium, quae fiunt, videtur necessitatem nostrae voluntati inducere. Haec illa.

Et gratias tandem agimus Deo pro sano sensu diatribes. Ubi nunc igitur liberum arbitrium? Sed rursus elabitur anguilla ista subito dicens:

Verum hanc quaestionem non explicat Paulus, sed obiurgat disputantem: O homo tu quis es, qui respondes Deo?

O pulchrum effugium, hoccine est divinas literas tractare, sic propria autoritate de proprio capite,

sine Scripturis, sine miraculis pronunciare, imo clarissima verba Dei depravare? Non explicat Paulus quaestionem illam? quid tum facit? Obiurgat disputantem (inquit): An non est ista obiurgatio absolutissima explicatio? Quid enim quaerebatur ista quaestione de voluntate Dei? Nonne hoc, an necessitatem imponeret nostrae voluntati? At Paulus *) respondet, quod sic, Cuius vult miseretur (ait), quem vult indurat, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Nec contentus explicasse, insuper illos, qui pro libero arbitrio adversus hanc explicationem murmurant, et merita nulla esse et non nostra culpa nos damnari ac similia garriunt, inducit, ut murmura eorum et indignationem compescat dicens: ,

Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? Voluntati eius quis resistet? Vides prosopopeiam? Illi audito, quod voluntas Dei nobis necessitatem inducit, blasphemantes murmurant et dicunt: Quid adhuc queritur? hoc est: Cur Deus sic instat, sic urget, sic exigit, sic queritur? quid accusat? quid arguit? quasi nos homines possimus, si velimus, quod exigit. Non habet iustam causam querelae istius, suam voluntatem potius accuset, ibi queratur, ibi urgeat. Quis enim voluntati eius resistet? Quis misericordiam obtineat, ubi noluerit? Quis liquefiat, si indurare voluerit? Non est in manu nostra eius voluntatem mutare, multo minus resistere, quae nos vult induratos, qua voluntate cogimur esse indurati, velimus nolimus.

Si Paulus non explicarat hanc quaestionem, aut non certo definierat, necessitatem nobis imponi praescientia divina, quid opus erat, ut induceret murmurantes et causantes, voluntati eius non posse resisti? Quis enim murmuraret aut indignaretur, si non sentiret definiri necessitatem illam? Verba non sunt obscura, quibus de resistendo voluntati Dei loquitur; an ambiguum est, quid sit resistere,

*) Rom. 9.

quid voluntas, aut de quo loquatur, cum de Dei voluntate loquitur? Caecutiant sane hic infinita millia Doctorum probatissimorum, et Scripturas fingant dilucidas non esse, et quaestionem difficilem paveant. Nos habemus verba clarissima, quae sic sonant: Cuius vult, miseretur, quem vult, indurat; item: Dicis itaque mihi, Quid queritur? Voluntati eius quis resistet?

Nec est quaestio difficilis, imo nihil facilius etiam communi sensu, quam hanc sequelam esse certam, solidam, veram: Si Deus praescit, necessario fit, ubi hoc ex Scripturis praesuppositum fuerit, quod Deus neque errat, neque fallitur. Difficilem quidem esse quaestionem fateor, imo impossibilem, si simul utrumque voles statuere et praescientiam Dei et libertatem hominis. Quid enim difficilius, imo magis impossibile, quam ut contradictoria aut contraria non pugnare contendas, aut ut simul aliquis numerus sit decem, et simul idem sit novem? Non est difficultas in nostra quaestione, sed quaeritur et introducitur non secus ac ambiguitas et obscuritas in Scripturis quaeritur et violenter introducitur. Compescit itaque impios istis verbis clarissimis offensos, quod nostra necessitate voluntatem divinam impleri sentirent ac definitum certo sentirent, sibi nihil libertatis aut liberi arbitrii relictum, sed omnia in solius Dei voluntate pendere. Compescit autem sic, ut iubeat eos tacere et revereri maiestatem potentiae et voluntatis divinae, in quam nos nullum ius, ipsa vero in nos habet plenum ius faciendi quicquid voluerit, neque fieri nobis iniuriam, cum nihil nobis debeat, nihil a nobis acceperit, nihil promiserit, nisi quantum voluit et placuit.

Hic igitur locus, hic tempus est, non Corycios illos specus, sed veram maiestatem in metuendis mirabilibus et iudiciis suis incomprehensibilibus adorandi et dicendi: Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. At nos nullibi sumus magis irreverentes et temerarii, quam in illis ipsis mysteriis et iudiciis impervestigabilibus invadendis et arguendis;

interim vero fingimus nobis incredibilem reverentiam in Scripturis sanctis scrutandis, quas Deus iussit scrutari, non scrutamur hic, illic vero, ubi scrutari prohibuit, nihil facimus, nisi quod perpetua temeritate, ne dicam blasphemia, scrutemur. An non est scrutari, temere conari, ut liberrima praescientia Dei conveniat cum nostra libertate? parati, praescientiae Dei derogare, nisi nobis libertatem permiserit, aut si necessitatem intulerit, cum murmurantibus et blasphemantibus dicere: Quid adhuc queritur? voluntati eius quis resistet? Ubi Deus natura clementissimus? Ubi qui non vult mortem peccatoris? An ideo nos condidit, ut delectaretur cruciatibus hominum? et similia, quae apud inferos et damnatos ululabuntur in sempiternum.

At talem oportere esse Deum vivum et verum, qui libertate sua necessitatem imponat nobis, ipsa ratio naturalis cogitur confiteri, videlicet, quod ridiculus ille Deus fuerit, aut idolum verius, qui incerto praevideat futura, aut fallatur eventis, cum et gentiles Diis suis fatum dederint ineluctabile. Aeque ridiculus fuerit, si non omnia possit et faciat, aut aliquid sine ipso fiat. Concessa autem praescientia et omnipotentia sequitur naturaliter irrefragibili [1]) consequentia: Nos per nos ipsos non esse factos, nec vivere, nec agere quicquam, sed per illius omnipotentiam. Cum autem tales nos ille ante praescierit futuros talesque nunc faciat, moveat et gubernet, quid potest fingi quaeso, quod in nobis liberum sit, aliter et aliter fieri, quam ille praescierit aut nunc agat?

Pugnat itaque ex diametro praescientia et omnipotentia Dei cum nostro libero arbitrio; aut enim Deus falletur praesciendo, errabit et agendo (quod est impossibile), aut nos agemus et agemur secundum ipsius praescientiam et actionem. Omnipotentiam vero Dei voco non illam potentiam, qua multa non facit, quae potest, sed actualem illam, qua po-

---

1) In ed. Ien.: irrefragabili.

tenter omnia facit in omnibus, quomodo Scriptura vocat eum omnipotentem. Haec inquam omnipotentia et praescientia Dei funditus abolent dogma liberi arbitrii. Nec potest hic praetexi obscuritas Scripturae aut difficultas rei. Verba sunt clarissima, etiam pueris nota, res est plana et facilis, etiam communi sensus iudicio naturali probata, ut nihil faciat quantavis series seculorum, temporum, personarum aliter scribentium et docentium.

Scilicet hoc offendit quam maxime sensum illum communem seu rationem naturalem, quod Deus mera voluntate sua homines deserat, induret, damnet, quasi delectetur peccatis et cruciatibus miserorum tantis et aeternis, qui praedicatur tantae misericordiae et bonitatis etc. Hoc iniquum, hoc crudele, hoc intolerabile visum est de Deo sentire, quo offensi sunt etiam tot et tanti viri tot seculis. Et quis non offenderetur? Ego ipse non semel offensus sum usque ad profundum et abyssum desperationis, ut optarem nunquam esse me creatum hominem, antequam scirem, quam salutaris illa esset desperatio et quam gratiae propinqua. Ideo sic sudatum et laboratum est pro excusanda bonitate Dei, pro accusanda voluntate hominis, ibi repertae distinctiones de voluntate Dei ordinata et absoluta, de necessitate consequentiae et consequentis et multa similia. Sed quibus nihil est profectum, nisi quod rudibus impositum est inanitate verborum et oppositione falso nominatae scientiae. Mansit nihilominus semper aculeus ille alto corde infixus, tam rudibus quam eruditis, si quando ad rem seriam ventum est, ut sentirent necessitatem nostram, si credatur praescientia et omnipontentia Dei.

Atque ipsamet ratio naturalis, quae necessitate illa offenditur, et tanta molitur ad eam tollendam, cogitur eam concedere, proprio suo iudicio convicta, etiamsi nulla esset Scriptura. Omnes enim homines inveniunt hanc sententiam in cordibus suis scriptam, et agnoscunt eam ac probant (licet inviti), cum audiunt eam tractari: primo Deum esse omnipotentem, non solum potentia, sed etiam actione

(ut dixi), alioqui ridiculus foret Deus, deinde ipsum omnia nosse et praescire, neque errare, neque falli posse. Istis duobus omnium corde et sensu concessis coguntur mox inevitabili consequentia admittere, nos non fieri nostra voluntate, sed necessitate, ita nos non facere quodlibet, pro iure liberi arbitrii, sed prout Deus praescivit et agit, consilio et virtute infallibili et immutabili. Quare simul in omnium cordibus scriptum invenitur, liberum arbitrium nihil esse, licet obscuretur tot disputationibus contrariis, et tanta tot virorum autoritate, tot seculis aliter docentibus. Sicut et omnis alia lex (teste Paulo) in cordibus nostris scripta tum agnoscitur, ubi recte tractatur, tum obscuratur, ubi impiis magistris vexatur et aliis opinionibus occupatur.

Ad Paulum redeo, qui si Rom. 9 non explicat quaestionem nec definit necessitatem nostram ex praescientia et voluntate Dei, quid opus illi erat inducere similitudinem figuli, qui ex uno eodemque luto aliud vas facit in honorem, aliud in ignominiam? Nec tamen figmentum dicit fictori suo: Cur me ita facis? De hominibus enim loquitur, quos luto comparat, et Deum figulo. Friget nimirum, imo inepta est similitudo et frustra adducta, si non sentit libertatem nostram nullam esse. Quin tota disputatio Pauli*) frustranea est, qua tuetur gratiam. Nam hoc agit tota Epistola, ut ostendat, nos nihil posse, neque tum etiam, cum bene videmur facere, ut ibidem dicit, quod Israel sectando iustitiam non tamen pervenerit ad iustitiam, gentes vero pervenerint non sectando. De quo latius agam, cum nostras copias producam.

At diatribe dissimulans totum corpus disputationis Paulinae, et quorsum tendat Paulus, vocabulis interim excisis et depravatis se solatur. Nec iuvat diatriben quidquam, quod postea Paulus Rom. 11. rursus exhortatur, dicens: Tu fide stas, vide ne

*) Rom. 11.

extollaris; item: Etiam illi si crediderint, inserentur etc. Nihil enim ibi de viribus hominum dicit, sed verba imperativa et coniunctiva profert, quibus quid efficiatur, supra satis est dictum. Atque ipsemet Paulus eodem loco praeveniens liberi arbitrii iactatores non dicit, illos posse credere, sed potens est (inquit) Deus illos inserere. Breviter, adeo trepide et cunctanter incedit diatribe in istis locis Pauli tractandis, ut videatur in conscientia dissentire suis verbis. Cum enim maxime illi fuisset pergendum et probandum, fere semper sermonem abrumpit, dicens: Sed de his satis; item: Nunc illud non excutiam; item: Non est huius instituti; item: Illi sic dicerent, et multa similia, relinquitque rem in medio, ut nescias, an dicere pro libero arbitrio, vel eludere tantum inanibus verbis Paulum videri voluerit, idque iure et more suo, ut cui non est res seria in hac causa. Nos autem non oportet ita frigere, super aristas incedere, aut ventis velut arundo moveri, sed certo, constanter et ardenter asserere, tum solide et dextre ac copiose demonstrare quod docemus.

Iam vero[1]) quam pulchre libertatem simul cum necessitate conservat, dicens: Nec omnis necessitas excludit liberam voluntatem, quemadmodum Deus Pater gignit necessario Filium, et tamen volens ac libere gignit, quia non coactus.

Obsecro, an disputamus nunc de coactione et vi? Nonne de necessitate immutabilitatis nos loqui, tot libellis testati sumus? Scimus, quod Pater volens gignit, quod Iudas volendo prodidit Christum, sed hoc velle in ipso Iuda certo et infallibiliter futurum fuisse dicimus, si Deus praescivit. Aut si nondum intelliguntur quae dico, aliam necessitatem violentam ad opus, aliam necessitatem infallibilem ad tempus referamus, de posteriore nos loqui intelligat, qui nos audit, non de priore, hoc est, non disputamus, an Iudas invitus aut volens pro-

---

1) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus.

ditor sit factus, sed an tempore praedefinito a Deo infallibiliter fieri oportuerit, ut Iudas volendo proderet Christum.

Sed vide, quid hic dicat diatribe: Si spectes Dei praescientiam infallibilem, necessario Iudas erat proditurus, et tamen Iudas poterat mutare voluntatem suam. Intelligis etiam, mi[1]) diatribe, quid loquaris? ut omittam illud, quod voluntas non potest nisi malum velle, ut supra est probatum. Quomodo potuit Iudas mutare voluntatem suam, stante infallibili praescientia Dei? an potuit praescientiam Dei mutare et fallibilem facere? Hic succumbit diatribe, et relictis signis et proiectis armis cedit loco, reiiciens disputationem ad scholasticas subtilitates de necessitate consequentiae et consequentis, ut quae nolit istas argutias persequi. Prudenter certe, cum causam perduxeris in medias turbas, et iam maxime sit opus disputatore, tum terga vertas, et aliis relinquas negotium respondendi et definiendi. Hoc consilio oportuit uti ab initio et a scribendo in totum abstinere, iuxta illud: Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. Non enim ab Erasmo exspectabatur, ut difficultatem illam moveret, quomodo Deus certo praesciret, et tamen contingenter nostra fierent, erat haec difficultas longe ante diatriben in mundo. Sed exspectabatur, ut responderet ac definiret. Ipse vero rhetorica transitione usus nos ignaros rhetoricae secum trahit, ac si hic de re nihili agatur sintque merae argutiae quaedam, fortiter se proripit e mediis turbis, hedera coronatus et lauro.

Verum non sic, frater, nulla est rhetorica tanta, quae ludat veram conscientiam, fortior est aculeus conscientiae omnibus viribus et figuris eloquentiae. Nos hic non patiemur rhetorem transire et dissimulare, non est nunc locus huic schemati. Rerum cardo et causae caput hic petitur. Et hic vel liberum arbitrium exstinguitur, vel in totum trium-

---

1) In ed. Ien.: mea.

phabit. Tu vero cum sentias periculum, imo certam victoriam contra liberum arbitrium, simulas te nihil sentire, nisi argutias. Hoccine est fidelem theologum agere? Tene causa serio afficiat? qui sic relinquas et auditores suspensos et disputationem perturbatam et exasperatam, nihilominus tamen velis honeste satis fecisse et palmam retulisse videri. Ista vafritia et versutia in causis profanis tolerari valeat, in re theologica, ubi simplex et aperta veritas quaeritur pro salute animarum, odio dignissima et intolerabilis est.

Senserunt et Sophistae vim invictam et insustentabilem huius argumenti, ideo finxerunt necessitatem consequentiae et consequentis; sed quam nihil hoc figmentum efficiat, supra docuimus, etenim et ipsi non observant, quid dicant, et quantum admittant contra sese. Si enim necessitatem consequentiae concesseris, victum ac prostratum est liberum arbitrium, nec quidquam iuvat vel necessitas vel contingentia consequentis; quid ad me, si liberum arbitrium non cogatur, sed volenter faciat, quod facit? Sufficit mihi, quod concedis, necessario fore, ut volenter faciat, quod facit, nec aliter habere se queat, si Deus ita praescierit. Si Deus praescit Iudam proditurum, aut mutaturum esse voluntatem prodendi, utrum praescierit, necessario veniet, aut Deus falletur praesciendo et praedicendo, quod est impossibile. Hoc enim efficit necessitas consequentiae, id est, si Deus praescit, ipsum necessario fit. Hoc est, liberum arbitrium nihil est. Ista necessitas consequentiae non est obscura nec ambigua, ut, si etiam caecutiant omnium seculorum Doctores, cogantur tamen eam admittere, cum sit ita manifesta et certa, ut palpari possit.

Necessitas vero consequentis, qua illi se solantur, merum phantasma est et ex diametro pugnat cum necessitate consequentiae. Exempli gratia necessitas consequentiae est, si dixero: Deus praescit Iudam fore proditorem, ergo certo et infallibiliter fiet, ut Iudas proditor sit. Adversus hanc

necessitatem et consequentiam tu sic te solaris: Sed quia Iudas potest mutare voluntatem prodendi, ideo non est necessitas consequentis. Rogo te, quomodo conveniunt illa duo: Iudas potest non prodere velle; et necesse est, ut Iudas prodere velit? Nonne directe contradicunt et pugnant? Non cogetur (inquis) prodere invitus. Quid hoc ad rem? Tu dixisti de necessitate consequentis, illam scilicet non induci necessitate consequentiae, nihil de coactione consequentis dixisti. Responsio fuit de necessitate consequentis, et tu exemplum profers de coactione consequentis. Aliud quaero, et aliud tu reddis. Hoc facit oscitantia illa, qua non observatur, quam nihil efficiat illud commentum de necessitate consequentis.

Haec de primo loco, qui fuit de induratione Pharaonis, qui tamen omnes locos et multas copias involvit, easque invictas. Nunc alterum videamus de Iacob et Esau, de quibus necdum natis dictum est: Maior serviet minori. Hunc locum sic eludit diatribe, quod proprie non pertinet ad salutem hominis, potest enim Deus velle, ut homo servus sit et pauper, velit nolit, nec tamen reiiciatur ab aeterna salute.

Vide, quaeso, quot diverticula et effugia quaerat lubricus animus, et qui veritatem fugit, nec tamen effugit. Esto sane, locus ille non pertineat ad salutem hominis, de quo infra, nunquid ideo nihil efficit Paulus, qui illum adducit? Ridiculumne aut ineptum faciemus Paulum in disputatione tam seria? Verum illud Hieronymianum est, qui non uno loco audet superciliose satis, sed simul ore sacrilego dicere: Ea pugnare apud Paulum, quae locis suis non pugnant. Hoc est tantum dicere: Paulus cum fundamenta dogmatis Christiani iacit, nihil facit, nisi quod depravat Scripturas divinas, et ludit animas fidelium sententia suo cerebro efficta et Scripturis violenter intrusa. Sic honorari debet Spiritus in sancto illo et electo organo Dei Paulo. Atque ubi Hieronymus cum iudicio legi debeat, et hoc dictum eius inter ea numerari, quae

multa vir ille (ea fuit oscitantia et hebetudo eius in Scripturis intelligendis) impie scribit, diatribe ipsum sine iudicio arripit, nec glossa saltem aliqua dignatur mitigare, sed velut certissimo oraculo Scripturas divinas et iudicat et temperat. Sic impia hominum dicta pro regulis et mensuris divinae Scripturae accipimus. Et adhuc miramur, illam fieri ambiguam et obscuram, Patresque tot in illa caecutire, cum hac ratione impia et sacrilega fiat.

Anathema sit igitur, qui dixerit, ea non pugnaré locis suis, quae apud Paulum pugnant. Hoc enim dicitur solum, sed non probatur, dicitur vero ab iis, qui neque Paulum nec locos ab eo citatos intelligunt, sed vocabulis acceptis suo, id est, impio sensu falluntur. Ut enim maxime hic locus Gene. 25 de servitute temporali sola intelligeretur (quod non est verum), tamen a Paulo recte et efficaciter adducitur, dum per ipsum probat, non per merita Iacob aut Esau, sed per vocantem dictum esse ad Saram: Maior serviet minori.

Paulus disputat, an illi virtute aut meritis liberi arbitrii pervenerint ad id, quod de eis dicitur, probatque, quod non, sed sola vocantis gratia eo pervenerit Iacob, quo non pervenit Esau. Probat autem id invictis verbis Scripturae, scilicet, quod nondum nati, item, nihil boni aut mali operati fuerint. Atque in hac probatione situm[1]) est pondus rerum, hoc agitur in ista causa. Diatribe vero istis omnibus egregia rhetorica transitis et dissimulatis disputat nihil de meritis, quod tamen suscepit ut faceret, quod et tractatio Pauli exigit, sed de servitute temporali cavillatur, quasi hoc aliquid ad rem pertineat, tantum ne videatur victa potentissimis Pauli verbis. Quid enim haberet, quod ogganniret contra Paulum pro libero arbitrio? Quid liberum arbitrium iuvit Iacob? Quid obfuit Esau? cum iam praescientia et destinatione Dei uterque nondum natus nihilque[2]) operatus definitus esset, qualia

1) In ed. Ien.: quod situm. 2) In ed. 1526: nihilique.

esset recepturus, scilicet, ut ille serviret, hic dominaretur. Praemia decernuntur, antequam operarii nascantur et operentur. Hic debuit respondere diatribe, hoc urget Paulus, quod nihil boni, nihil mali adhuc fecerint, et tamen sententia divina alter dominus, alter servus decernitur. Non hoc quaeritur, an servitus illa pertineat ad salutem, sed quo merito illa imponitur ei, qui non meruerat? Sed molestissimum est, cum pravis istis studiis torquendae et eludendae Scripturae conflictari.

Deinde, quod non de servitute illorum sola agat Moses, et etiam in hoc recte faciat Paulus, quod de salute aeterna intelligat (quanquam hoc non ita faciat ad rem, tamen non patiar Paulum calumniis sacrilegorum contaminari), convincitur ex ipso textu. Sic enim habet oraculum in Mose: Duo populi ex utero tuo dividentur, populusque populum superabit, et maior serviet minori. Hic manifeste duo populi discernuntur, alter in gratiam Dei recipitur, licet minor, ut vincat maiorem, non quidem viribus, sed favente Deo, alioqui quomodo vincat minor maiorem, nisi Deus sit cum eo? Cum igitur minor sit futurus populus Dei, non sola ibi dominatio externa tractatur aut servitus, sed omnia, quae pertinent ad populum Dei, id est, benedictio, verbum, spiritus, promissio Christi et regnum aeternum, id quod etiam latius postea Scriptura confirmat, ubi Iacob benedici et promissiones et regnum accipere describit. Quae omnia Paulus breviter indicat, dum dicit, maiorem serviturum esse minori, nos ad Mosen remittens latius haec tractantem: ut possis contra Hieronymi et diatribes sacrilegam sententiam dicere, fortius ea pugnare locis suis, quam apud Paulum, quaecunque adducit, id quod non solum de Paulo verum est, sed de omnibus apostolis, qui Scripturas adducunt tanquam testes et assertrices sui sermonis. Ridiculum vero esset, id pro testimonio adducere, quod nihil testetur neque faciat ad rem. Si enim inter philosophos ridiculi sunt, qui ignotum per ignotius aut per impertinens probant, qua fronte nos hoc tribuemus sum-

mis ducibus et autoribus Christianae doctrinae, in qua pendet animarum salus? praesertim ubi ea docent, quae sunt capita fidei. Sed ista decent eos, qui Scripturis divinis serio non afficiuntur.

Illud vero Malachiae, quod Paulus attexit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, triplici industria torquet [1]. Prima est: Si literam urgeas (inquit), Deus non amat, quemadmodum nos amamus, nec odit quenquam, cum in Deum non cadant affectus huiusmodi.

Quid audio? An nunc quaeritur, quomodo Deus amet et odiat, ac non [2]) potius, cur amet et odiat? quo merito nostro amet aut odiat, quaeritur. Pulchre scimus, quod Deus non amat aut odit, quemadmodum nos, siquidem nos mutabiliter et amamus et odimus, ille aeterna et immutabili natura amat et odit, sic non cadunt in illum accidentia et affectus.

Atque hoc ipsum est, quod liberum arbitrium cogit nihil esse, quod aeternus et immutabilis sit amor, aeternum odium Dei erga homines, antequam mundus fieret, non solum ante meritum et opus liberi arbitrii, omniaque necessario in nobis fieri, secundum quod ille vel amat vel non amat ab aeterno, ut non solum amor Dei, sed etiam modus amandi necessitatem nobis inferat, ut videas, quam prosint diatribae sua effugia, ut ubique magis impingat, quo magis evadere nititur, adeo non succedit veritati reluctari. Sed esto, valeat tibi tropus, ut amor Dei sit effectus amoris, et odium Dei sit effectus odii, nunquid illi effectus citra et praeter voluntatem Dei fiunt? An hic etiam dices, Deum non velle quemadmodum nos, nec affectum volendi in illum cadere? Si fiunt igitur effectus illi, non nisi volente Deo fiunt. Iam quod vult Deus, hoc aut amat aut odit. Responde igitur, quo merito

1) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus.
2) In ed. 1526 deest: non; nos hoc vocabulum repetivimus ex ed. 1525 et ed. Ien.

amatur Iacob et oditur Esau, antequam nascuntur et operantur? Stat igitur Paulus, optime Malachiam*) inducens pro sententia Mosi, scilicet, quod ideo vocarit Iacob, antequam nasceretur, quia dilexerit eum, non autem dilectus sit prius a Iacob, aut merito eius ullo permotus, ut ostenderetur in Iacob et Esau, quid nostrum queat liberum arbitrium.

Altera[1]) industria est, quod Malachias non videtur loqui de odio, quo damnamur in aeternum, sed de temporaria afflictione, reprehenduntur enim, qui exstruere volebant Edomaeam.

Hoc iterum dicitur ad contumeliam Pauli, quasi vim fecerit Scripturis. Adeo nihil veremur maiestatem Spiritus sancti, modo nostra statuamus. Sed feremus interim contumeliam hanc videamusque quid efficiat. Malachias de afflictione temporali loquitur. Quid inde? aut quid hoc ad rem? Paulus ex Malachia probat illam afflictionem sine merito soloque odio Dei illatam Esau, ut liberum arbitrium nihil esse concludat. Hic urgeris, hic responderi oportuit. Nos de merito disputamus, tu de mercede loqueris, et sic loqueris, ut non eludas tamen quod voluisti, imo cum de mercede loquaris, meritum confiteris, at illud dissimulas te videre. Dic igitur, quae fuit causa amandi Iacob et odio habendi Esau apud Deum, cum illi nondum essent? Iam et illud falsum est, quod Malachias solum de temporaria afflictione loquatur, nec illi res est de Edomaea destruenda, totumque prophetae sensum pervertis hac industria. Propheta clarissimis verbis satis indicat, quid velit, nempe Israelitis exprobrat ingratitudinem, quod, cum eos dilexerit, illi vicissim neque diligant ut patrem, neque timeant ut dominum. Dilexisse autem se probat, tam Scriptura quam opere, nempe quod, cum Iacob et Esau essent fratres, ut Moses scribit Gene. 25, Iacob tamen dilexerit et elegerit, antequam nasceretur, sicut dictum

---

*) Malach. 1. 1) In ed. Ien. hic margini inscriptum est: Erasmus.

est paulo ante, Esau vero sic oderit, ut regionem eius redegerit in solitudinem, deinde ea pertinacia odiat et pergat, ut, cum Iacob reduxerit de captivitate et restituerit, Edomaeos tamen non sinat restitui, sed, etiam si dixerint sese velle aedificare, ipse minetur eis destructionem. Si non haec habet textus ipse apertus prophetae, arguat me mendacii totus orbis. Non igitur reprehenditur hic temeritas Edomaeorum, sed (ut dixi) ingratitudo filiorum Iacob, qui non vident, quid illis conferat, et fratribus suis Edomaeis auferat, nulla causa, nisi quia hic odit, illic amat.

Quomodo nunc stabit, quod propheta de temporaria afflictione loquatur? cum evidentibus verbis testetur, sese loqui de duobus populis, a duobus patriarchis natis, illum susceptum in populum et servatum, hunc vero relictum et tandem destructum. Suscipere vero in populum et non suscipere in populum, non pertinet ad temporalia bona vel mala tantum, sed ad omnia. Neque enim Deus noster tantum temporalium Deus est, sed omnium. Neque tibi Deus esse aut coli volet dimidio humero aut claudicante pede, sed totis viribus totoque corde, ut tibi sit Deus tam hic quam in futuro, et in omnibus rebus, casibus, temporibus et operibus.

Tertia industria est, quod tropologico sensu nec omnes gentes diligit nec omnes Iudaeos odit, sed ex utraque gente aliquos. Hac tropologia efficitur, ut testimonium hoc (ait) nihil pugnet ad probandam necessitatem, sed ad arrogantiam Iudaeorum retundendam. Hac via facta evadit deinde illuc diatribe, ut nondum natos odisse Deus dicatur, quia praescit illos gesturos odio digna, sic odium Dei et amor nihil officit libertati arbitrii. Tandem concludit Iudaeos merito incredulitatis excisos de olea, gentes merito fidei insertas, idque autore Paulo, spemque facit excisis rursus inserendi, et insitis metum, ne excidantur.

Moriar, si diatribe ipsa intelligit, quid loquatur. Sed est forte et hic rhetoricum schema, quod docet sensum obscurare, si qua periculum instat, ne

capiaris verbo. Nos tropologias hoc loco nullas videmus, quas diatribe sibi somniat, nec probat, ideo nihil mirum, si illi non pugnet testimonium Malachiae in sensu tropologico, qui ipse nullus est. Deinde nos non de excisione et insertione disputamus, de quibus Paulus loquitur, dum exhortatur. Scimus fide inseri, infidelitate exscindi homines, eosque exhortandos esse, ut credant, ne excidantur. Sed hinc non sequitur, neque probatur, eos posse credere aut discredere vi liberi arbitrii, de quo nos agimus. Non disputamus, qui sunt[1]) credentes, qui non, qui Iudaei, qui gentes, quid sequatur credentes et discredentes, hoc ad exhortatorem pertinet. Sed hoc disputamus, quo merito, quo opere perveniant ad fidem, qua inseruntur, aut ad infidelitatem, qua exciduntur. Hoc ad Doctorem pertinet, hoc meritum nobis describe. Paulus docet, quod nullo nostro opere, sed solo amore et odio Dei contingat; ubi vero contigerit, exhortatur ut perseverent, ne exscindantur. At hortatio[2]) non probat, quid nos possimus, sed quid debeamus. Cogor ego paene pluribus verbis adversarium tenere, ne alio vagetur deserta causa, quam ipsam causam tractare, quanquam tenuisse eum in proposito vicisse est, tam clara et invicta sunt verba, ideoque nihil fere agit, quam ut ea declinet, et sese e conspectu proripiat, aliudque agat, quam instituerat.

Tertium locum sumit ex Esai. 45: Nunquid lutum dicit figulo suo, quid facis? et Ierem. 18: Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea. Iterum haec magis pugnare dicit apud Paulum, quam apud prophetas, unde sumpta sunt, quia in prophetis sonant de afflictione temporali, Paulus autem utitur ad electionem et reprobationem aeternam, ut sugillet Pauli temeritatem vel inscitiam.

Sed antequam videamus, quomodo probet,

---

1) In ed. Ien.: sint. 2) In ed. 1525 et ed. Ien.: exhortatio.

utrumque non excludere liberum arbitrium, prius hoc dicam, non videri Paulum ex prophetis sumpsisse hunc locum, nec diatribe id probat. Solet enim Paulus adhibere nomen autoris vel protestari, sese de Scripturis aliquid accipere, quorum hic neutrum facit. Ideo verius est, quod Paulus hac generali similitudine, quam alii ad alias causas assumunt, ipse proprio spiritu utatur ad suam causam, quemadmodum facit illa similitudine: Modicum fermentum totam massam corrumpit, quam 1. Corinth. 5. corruptibilibus[1]) moribus aptat, alias verbum Dei corrumpentibus obiicit, quo modo et Christus fermentum Herodis appellat et Pharisaeorum. Ut igitur prophetae maxime de temporali afflictione loquantur, de quo nunc omitto dicere, ne toties alienis quaestionibus occuper et differar, Paulus tamen utitur suo spiritu adversus liberum arbitrium. Quod vero non adimitur[2]) libertas arbitrii, si Deo affligenti simus lutum, nescio quo pertineat, aut cur id contendat diatribe, cum non sit dubium, afflictiones a Deo venire invitis nobis, necessitatemque afferant ferendi eas, velimus nolimus, nec est in manu nostra eas avertere, licet exhortemur ad ferendas voluntarie.

Sed quomodo Pauli sermo non excludat liberum arbitrium ista similitudine, dignum est audire diatriben argutantem. Duo enim absurda opponit, alterum e Scripturis, alterum ex ratione colligit. E Scripturis sic colligit:

Paulus cum 2. Timoth. 2 dixisset, in magna domo esse vasa aurea, argentea, lignea, fictilia, quaedam in honorem, quaedam in contumeliam, mox subiungit: Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem etc. Tum sic arguit diatribe: Quid stultius, quam si quis dicat matulae Samiae, si te expurgaris, eris vas honorificum? Verum hoc recte dicitur testae rationali, quae mo-

---

1) In ed. 1525: corruptilibus. 2) In ed. 1526: admittitur; in ed. 1525 et Jen.: adimitur.

nita potest se accommodare ad voluntatem domini. Ex iis vult, similitudinem non per omnia quadrare, atque sic elusam, ut nihil efficiat.

Respondeo, ne illud caviller, quod Paulus non dicit: Si quis se emundaverit[1]) a sordibus suis, sed ab istis, id est, a vasis contumeliae, ut sensus sit: Si quis separatus manserit, ac non inter impios magistros misceatur, erit vas honoris etc. Donemus quoque hunc locum Pauli prorsus facere, quod vult diatribe, id est, similitudinem non esse efficacem, quomodo probabit idem velle Paulum loco illo ad Rom. 9, de quo disputamus? An satis est alium locum citare, et nihil prorsus curare, an idem vel diversum efficiat? Non est facilior et vulgatior lapsus in Scripturis, quam diversos locos velut similes e Scripturis coaptare, ut saepius monstravi, ut similitudo locorum magis inefficax sit, de quo diatribe superbit, quam nostra, quam confutat. Sed ne contentiosi simus, donemus utrumque locum Pauli idem velle, et, quod sine controversia verum est, similitudinem non semper et per omnia quadrare, alioqui non similitudo neque translatio, sed ipsa res esset, iuxtra proverbium: Similitudo claudicat nec semper currit quatuor pedibus.

In hoc tamen errat et peccat diatribe, quod neglecta causa similitudinis, quae maxime spectanda est, vocabula contentiose captat. Ex causis enim dicendi intelligentia petenda est, ait Hilarius, non ex vocabulis solis; ita similitudinis efficacia pendet ex causa similitudinis. Cur ergo diatribe omittit id, gratia cuius Paulus similitudine ista utitur, et captat id, quod extra causam similitudinis dicit? Nempe hoc ad exhortationem pertinet, quod dicit: Si quis sese emundaverit; illud vero ad doctrinam, quod dicit: In magna domo sunt vasa etc., ut ex omnibus circumstantiis verborum et sententiae Pauli intelligas eum statuere de diversitate et usu vasorum, ut sit sensus: cum tam multi a fide discedant, nul-

1) In ed. 1525: mundaverit.

lum est solatium nobis, nisi quod certi sumus, fundamentum Dei firmum stare, habens signaculum hoc: Novit*) Dominus qui sunt eius, et discedit ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini. Hactenus causa et efficacia similitudinis, scilicet, quod Dominus norit suos. Tum sequitur similitudo, scilicet, esse vasa diversa, alia in honorem, alia in contumeliam. His absolvitur doctrina, quod vasa non se ipsa parent, sed herus. Hoc vult et Rom. 9, quod figulus potestatem habet etc. Sic stat similitudo Pauli efficacissima, quod libertas arbitrii nihil sit coram Deo.

Post haec sequitur exhortatio: Si quis sese mundaverit[1]) ab istis etc. Quae quid valeat, ex supra dictis satis notum est. Non enim sequitur, ideo sese posse emundare, imo si quid probatur, probatur liberum arbitrium sese posse absque gratia emundare, cum non dicat, si quem gratia emundarit, sed, si sese emundarit. De verbis autem imperativis et coniunctivis abunde dictum est, nec similitudo verbis coniunctivis, sed indicativis profertur, ut electi et reprobi sunt, ita vasa honoris et ignominiae sunt. Summa, si ista elusio valet, tota disputatio Pauli nihil valet, frustra enim induceret murmurantes adversus figulum Deum, si culpa vasis et non figuli esse videretur; quis enim murmuret, si audiat damnari dignum damnatione?

Alterum absurdum colligit a Domina ratione, quae dicitur humana, videlicet, quod non vasi, sed figulo sit imputandum, praesertim cum talis figulus sit, qui creet ipsum lutum et temperet. Hic (ait diatribe) vas coniicitur in ignem aeternum, quod nihil commeruit, nisi quod non sui iuris est.

Nusquam se apertius prodit diatribe, quam hoc loco. Audis enim hic aliis quidem verbis, sed eodem sensu dici, quod Paulus dicere facit impios: Quid queritur? Voluntati eius quis resistet? Hoc est illud, quod ratio neque capere neque ferre po-

---

*) 2. Tim. 2. 1) In ed. Ien.: emundaverit.

test, hoc offendit tot viros excellentes ingenio, tot seculis receptos. Hic expostulant, ut Deus agat iure humano et faciat, quod ipsis rectum videtur, aut Deus esse desinat. Nihil illi profuerint secreta maiestatis, rationem reddat, quare sit Deus, aut quare velit aut faciat, quod nullam speciem iustitiae habeat, ac si sutorem aut zonarium roges iudicio se sistere. Non dignatur Deum caro gloria tanta, ut credat, iustum esse et bonum, dum supra et ultra dicit et facit, quam definivit Codex Iustiniani vel quintus liber Ethicorum Aristotelis. Cedat maiestas creatrix omnium faeci uni creaturae suae, et Corycius ille specus metuat versa vice spectatores suos. Igitur absurdum est, ut damnet eum, qui vitare non potest meritum damnationis, et propter hanc absurditatem falsum esse oportet, quod Deus cuius vult miseretur, quem vult indurat, sed redigendus est in ordinem, et praescribendae illi leges, ut non damnet quemquam, nisi qui nostro iudicio id meruit [1]. Sic est satisfactum Paulo cum sua similitudine, scilicet, ut illam revocet et sinat nihil valere, sed sic temperet, quod figulus hic (ut diatribe interpretatur) facit vas in contumeliam, ex meritis praecedentibus, sicut Iudaeos quosdam reiicit ob incredulitatem, gentes suscipit ob fidem. Verum si sic operatur Deus, ut merita spectet, cur illi murmurant et expostulant? Cur dicunt, quid queritur? quis voluntati eius resistit? Quid opus Paulo compescere illos? Quis enim miratur, non dicam, indignatur aut expostulat, si quis meritus damnetur? Deinde ubi manet potestas figuli faciendi, quod vult, si meritis et legibus subiectus non sinitur facere, quod vult, sed exigitur facere, quod debet; pugnat enim respectus meritorum cum potestate ac libertate faciendi quod vult, ut ille probat paterfamilias, qui operariis murmurantibus et ius postulantibus opposuit libertatem voluntatis in suis bonis. Haec sunt, quae diatribes glossam non sinunt valere.

---

1) In ed. 1525 et Ien.: meruerit.

Sed fingamus, quaeso, Deum talem esse oportere, qui merita respiciat in damnandis, nonne pariter contendemus et concedemus, ut et in salvandis merita spectet; si rationem sequi volumus, aeque iniquum est, indignos coronari atque indignos puniri. Concludamus itaque, Deum ex meritis praecedentibus iustificare debere, aut iniquum declarabimus, ut qui malis et impiis hominibus delectetur, et impietatem eorum praemiis invitet et coronet. At vae nobis tunc miseris apud illum Deum, quis enim salvus erit? Vide igitur nequitiam cordis humani, Deum, cum indignos sine meritis salvat, imo cum multis demeritis iustificat impios, non accusat iniquitatis, ibi non expostulat, cur hoc velit, cum sit iniquissimum, sese iudice, sed quia sibi commodum et plausibile est, aequum et bonum iudicat. At cum immeritos damnat, quia incommodum sibi est, hoc iniquum, hoc intolerabile est, hic expostulatur, hic murmuratur, hic blasphematur.

Vides ergo diatriben cum suis in hac causa non iudicare secundum aequitatem, sed secundum affectum commodi sui. Si enim aequitatem spectaret, aeque expostularet cum Deo, dum indignos coronat, atque expostulat cum eo, dum immeritos damnat; aeque etiam laudaret et praedicaret Deum, dum damnat immeritos, atque facit, dum indignos salvat, utrobique enim par iniquitas, si sensum nostrum spectes, nisi non fuerit aeque iniquum, si Cain ob homicidium laudes regemque facias, atque si Habel innocentem in carcerem coniicias aut occidas. Cum igitur ratio Deum laudet indignos salvantem, arguat vero immeritos damnantem, convincitur, non laudare Deum ut Deum, sed ut suo commodo servientem, hoc est, se ipsam et quae sua sunt in Deo quaerit et laudat, non Deum aut quae Dei sunt. At si placet tibi Deus indignos coronans, non debet etiam displicere immeritos damnans; si illic iustus est, cur non hic iustus erit? Illic gratiam et misericordiam spargit in indignos, hic iram et severitatem spargit in immeritos, utrobique nimius et iniquus apud homines, sed iustus et verax apud

se ipsum. Nam quomodo hoc iustum sit, ut indignos coronet, incomprehensibile est modo, videbimus autem, cum illuc venerimus, ubi iam non credetur, sed revelata facie videbitur. Ita quomodo hoc iustum sit, ut immeritos damnet, incomprehensibile est modo, creditur tamen, donec revelabitur Filius hominis.

Diatribe vero similitudine illa figuli et luti vehementer offensa nonnihil indignatur, sese adeo urgeri per illam, tandem eo redit, ut diversis locis e Scriptura productis, quorum aliqui totum homini videntur tribuere, aliqui totum gratiae, stomachabunda contendat, utrosque debere interpretatione sana intelligi et non simpliciter accipi. Alioqui si nos urgeamus similitudinem illam, ipsa rursus nos urgere parata est locis illis imperativis et coniunctivis, praesertim illo Pauli *): Si quis sese emundaverit ab istis; hic Paulum sibi contradicentem facit, et omnia tribuentem homini, nisi succurrat interpretatio sana. Si igitur hic interpretatio admittitur, ut gratiae locus relinquatur, cur non etiam similitudo figuli admittat interpretationem, ut libero arbitrio locus sit?

Respondeo: Mea nihil refert, accipias simpliciter, dupliciter vel centupliciter. Hoc dico, quod hac sana interpretatione nihil efficitur nec probatur, quod quaeritur. Probari enim debet, liberum arbitrium nihil posse velle boni. At illo loco: Si quis sese emundaverit ab istis, cum sit oratio coniunctiva, neque nihil, neque aliquid probatur, exhortatur tantum Paulus. Aut si sequelam diatribes adiicias et dicas, frustra exhortatur, si non potest sese emundare, tum probatur liberum arbitrium omnia posse sine gratia, atque ita se ipsam improbat diatribe.

Exspectamus igitur adhuc locum aliquem e Scriptura, qui interpretationem istam doceat, fingentibus eam suo cerebro non credimus, nos enim

*) 2. Tim. 2.

negamus, reperiri ullum locum, qui totum tribueret homini. Negamus quoque Paulum sibi pugnare, ubi dicit: Si quis sese emundaverit ab istis, sed dicimus, tam pugnantiam in Paulo fingi, quam interpretationem, quam illa extorqueat, excogitari, neutram vero monstrari. Hoc quidem fatemur, si sequelis et additamentis diatribes Scripturas augere licet, ut dicendo: Frustra praecipiuntur, si non possumus, quae praecipiuntur, tum vere pugnat Paulus sibi ipsi et tota Scriptura, quia tum Scriptura alia est, quam fuit; tum etiam probat liberum arbitrium omnia posse, quid mirum vero, si tum pugnet [1]) quoque, quod alibi dicit, omnia Deum solum facere. At ea Scriptura sic aucta non modo nobis, sed etiam ipsi diatribae pugnat, quae liberum arbitrium nihil boni posse velle definivit. Liberet igitur sese primum et dicat, quomodo cum Paulo conveniant ista duo: Liberum arbitrium nihil boni velle potest, et: Si quis sese emundaverit, ergo potest sese emundare, aut frustra dicitur. Vides igitur diatriben vexatam et victam esse, similitudine illa figuli, tantum hoc agere, ut illam eludat, nihil interim cogitans, quantum causae susceptae noceat interpretatio, quamque se ipsam confutet et irrideat.

Nos vero, ut diximus, nunquam interpretationem affectavimus, nec sumsu ita locuti: Extende manum, id est, gratia extendet. Haec omnia diatribe fingit de nobis, in commodum causae suae. Sed sic diximus, non esse pugnantiam in dictis Scripturae, nec opus esse interpretatione, quae nodum explicet. Sed ipsi liberi arbitrii assertores nodos in scirpo quaerunt et pugnantias sibi somniant. Exempli gratia illa nihil pugnant: Si quis sese emundaverit, et: Deus operatur omnia in omnibus. Nec est necesse pro nodo explicando dicere: Aliquid Deus, aliquid homo agit, quia prior locus est coniunctiva oratio, quae nihil operis aut virtutis affirmat aut negat in homine, sed praescribit, quid

1) In ed. Ien.: pugnat.

operis aut virtutis esse in homine debeat. Nihil hic figuratum, nihil interpretatione egens, simplicia verba sunt, simplex sensus est, modo sequelas et corruptelas non addas, more diatribes, tum enim fieret sensus non sanus, verum non sua, sed corruptoris culpa.

Posterior vero locus: Deus operatur omnia in omnibus, est oratio indicativa, omnia opera, omnem virtutem affirmans in Deo. Quomodo igitur pugnent duo loci, quorum unus nihil agit de virtute hominis, alter omnia tribuat Deo, ac non potius optime consentiant? Sed diatribe sic est submersa, suffocata et corrupta sensu cogitationis illius carnalis (frustra praecipi impossibilia), ut non queat sibi temperare, quin, quoties verbum imperativum aut coniunctivum audierit, mox suas sequelas annectat indicativas, scilicet: Praecipitur aliquid, ergo possumus et facimus, alioqui stulte praeciperetur. Hinc erumpit, et ubique victorias iactat, quasi demonstratum habeat, istas sequelas cum sua cogitatione esse ratas, ceu divinam autoritatem. Hinc secure pronunciat, quibusdam locis Scripturae omnia tribui homini, ideo pugnantiam ibi, et interpretatione opus esse. Et non videt, hoc totum esse figmentum capitis sui, nullo uspiam Scripturae apice firmatum; deinde eiusmodi, ut, si admitteretur, neminem fortius confutaret quam se ipsam, ut quae per ipsum probet, si quid probat, omnia posse liberum arbitrium, cuius contrarium suscepit probandum.

Sic et illud toties repetit [1]: Si nihil agit homo, nullus locus est meritis; ubi meritis non est locus, ibi nec suppliciis, nec praemiis locus erit.

Iterum non videt, quam se ipsam istis carnalibus argumentis fortius confutet, quam nos. Quid enim probant istae sequelae, nisi totum meritum esse penes liberum arbitrium? Ubi tum gratiae locus erit? Porro si modiculum meretur liberum

1) In ed. Ien. hic in margine inscriptum legitur: Erasmus.

arbitrium, reliquum vero gratia, cur totum praemium accipit liberum arbitrium? An modiculum etiam praemium illi fingemus? Si meritis locus est, ut praemiis locus sit, etiam tantum oportet meritum esse, quantum praemium. Sed quid verba et tempus perdo in re nihili? Ut etiam omnia consisterent, quae diatribe machinatur, et esset partim hominis, partim Dei opus, quod meremur, tamen illud ipsum opus non possunt definire, quid, quale et quantum esset, ideo disputatio est de lana caprina. Nunc vero cum nihil eorum probet quae dicit, nec [1]) pugnantiam, nec interpretationem, nec locum, qui totum homini tribuit, ostendere possit, omnia vero sint suae cogitationis phantasmata, salva et invicta stat similitudo Pauli de figulo et luto, quod non nostri arbitrii est, qualia vasa formemur. Exhortationes vero Pauli: Si quis sese emundaverit, et similes, sunt formae, secundum quas nos formari debemus, non autem testes nostri operis aut studii. Haec de locis illis, de induratione Pharaonis, et de Esau, et de figulo satis dicta sint.

Venit tandem diatribe ad locos a Luthero contra liberum arbitrium citatos, confutatura et illos, quorum primus est ille Gene. 6: Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Hunc locum varie confutat, primum, quod caro hic non impium affectum, sed infirmitatem significet; deinde auget textum Mosi, quod dictum eius pertineat ad illius aetatis homines [2]), non ad universum genus hominum, ideo dixerit, in istis hominibus, item, nec ad illius aetatis omnes homines, cum Noe excipiatur; tandem in Ebraeo dictum hoc sonare aliud, nempe clementiam, non severitatem Dei, autore Hieronymo, forte nobis persuasura, quod cum dictum illud non ad Noe, sed ad sceleratos pertineat, non clementia, sed severitas Dei ad Noe pertineat, ad impios vero clementia, non severitas pertineat.

Sed mittamus ista ludibria diatribes, quae nus-

---

1) In ed. 1526: ne. 2) Ibidem: hominis.

quam non significat, Scripturas pro fabulis sese habere. Quid Hieronymus hic nugetur, nihil moramur, certum est, quod nihil probat, neque de sensu Hieronymi, sed de sensu Scripturae disputamus. Fingat perversor Scripturae, spiritum Dei significare indignationem. Nos dicimus, duplici illum probatione deficere, prima, quod non possit proferre unum locum Scripturae, in quo spiritus Dei pro indignatione accipiatur, cum contra Spiritui benignitas et suavitas ubique tribuatur, deinde, si qua probaret, alicubi pro indignatione accipi, non tamen queat statim probare sequi necessario, et hoc loco sic accipiendum esse. Sic fingat, carnem pro infirmitate accipi, tamen aeque nihil probat. Nam quod Corinthios Paulus *) carnales appellat, non certe infirmitatem, sed vitium significat, cum arguat eos sectis et partibus laborare, quod non est infirmitas aut incapacitas solidioris doctrinae, sed malitia et fermentum vetus, quod expurgare iubet. Ebraeum videamus.

Non iudicabit spiritus meus in homine perpetuo, quia caro est; sic enim habet ad verbum Mose. Atque si nostra somnia mitteremus, satis aperta et clara (puto) stant ibi verba. Esse autem verba irati Dei, satis ostendunt praecedentia et sequentia cum effectu diluvii. Causa enim dicendi fuit, quod filii hominum ducerent uxores mera carnis libidine, deinde tyrannide terram premerent, ita ut diluvium accelerare cogerent iratum Deum, et vix centum viginti annos differre, quod alias nunquam erat inducturus. Lege Mosen et observa, videbisque clare id eum velle. Quid mirum vero, si obscurae sint Scripturae, aut per ipsas [1]) non modo liberum, sed etiam divinum arbitrium statuas, si sic licet in illis ludere, ac si Virgili centonas in illis quaeras? Scilicet hoc est nodos explicare et interpretatione quaestiones dirimere. Verum Hieronymus et suus

*) 1. Cor. 3. 1) In ed. 1525: ipsas; in ed. 1526: ipsa.

Origenes istis nugis repleverunt orbem et autores fuerunt pestilentis huius exempli, ne simplicitati Scripturarum studeretur.

Mihi ex isto loco satis erat probari, quod divina autoritas homines appellaret carnem, et adeo carnem, ut spiritus Dei non posset inter eos durare, sed statuto tempore esset revocandus ab eis. Quod enim negat perpetuo inter homines spiritum suum iudicaturum esse Deus, mox definit, cum centum viginti annos praescribit, quibus adhuc sit iudicaturus. Opponit autem spiritum carni, quod homines, cum sint caro, spiritum non admittant, ipse vero, cum sit spiritus, carnem probare non possit, ita fieri, ut revocandus sit, post centum viginti annos; ut locum Mosi sic intelligas: Spiritus meus, qui est in Noe et aliis viris sanctis, arguit illos impios, per verbum praedicationis et vitam piorum (iudicare enim inter homines est officio verbi inter eos agere, arguere, increpare, obsecrare, opportune, importune), sed frustra. Illi enim carne excaecati et indurati eo fiunt peiores, quo plus iudicantur, sicut fit, quoties verbum Dei in mundum venit, ut peiores fiant, quo magis erudiantur. Atque haec causa fecit, ut acceleretur ira, sicut et ibi acceleratum est diluvium, quando iam non solum peccatur, sed etiam gratia contemnitur, et ut Christus*) ait: Veniente luce oderunt homines lucem.

Dum [1]) igitur homines sint caro, Deo ipso teste, nihil sapere possunt nisi carnem, ideo nihil valere liberum arbitrium nisi ad peccandum, cum etiam spiritu Dei inter eos vocante et docente in peius proficiant, quid facerent sibi relicti sine spiritu Dei? Neque hic quidquam facit ad rem, quod Moses de illis aetatis hominibus loquitur. Idem pertinet ad omnes homines, cum sint omnes caro, sicut Christus dicit Iohan. 3: Quod natum est ex carne, caro est. Quod quam grave vitium sit, ipsemet ibidem docet, ubi dicit, non intrare regnum Dei posse quem-

---

*) Iohan. 3. 1) In ed. 1525: Cum.

quam, nisi denuo renatus fuerit. Sciat itaque Christianus, Origenem et Hieronymum cum suis omnibus perniciose errare, ubi negant carnem pro impio affectu accipi in istis locis. Nam et illud 1. Corinth.[1]) 3: Adhuc carnales estis, ad impietatem pertinet. Vult enim Paulus adhuc impios inter eos esse, tum pios, quatenus sapiunt carnalia, carnales esse, licet spiritu sint iustificati.

Summa, id observabis in Scripturis, ubicunque de carne agitur per antithesin ad spiritum, ibi fere per carnem intelligas omnia contraria spiritus, ut ibi: Caro non prodest quicquam. Ubi vero absolute tractatur, ibi conditionem naturamque corporalem significare scias, ut: Erunt duo in carne una; Caro mea vere est cibus; Verbum caro factum est. In his locis poteris, mutato Ebraismo, corpus pro carne dicere, Ebraea enim lingua uno vocabulo carnis significat, quod nos duobus carne et corpore significamus. Et vellem sic fuisse translatum distinctis vocabulis totum ubique Scripturae Canonem. Sic arbitror locus meus ex Gene. 6. adhuc fortiter stabit adversus liberum arbitrium, quando caro esse probatur, quam Paulus Rom. 8. dicit, nec posse Deo subiici, ut videbimus eo loco, et ipsamet diatribe dicit, nihil boni velle posse.

Alter[2]) locus est Gene. 8: Sensus et cogitatio cordis humani prona sunt ad malum ab adolescentia sua; et Cap. 6: Cuncta cogitatio cordis humani intenta est ad malum omni tempore. Hunc sic eludit: Proclivitas ad malum, quae est in plerisque hominibus, non adimit in totum libertatem arbitrii.

Sed obsecro, loquiturne Deus de plerisque hominibus, ac non potius de omnibus, quando post diluvium, velut poenitens, promittit reliquis et futuris hominibus, sese non amplius inducturum diluvium propter hominem, subdens causam, quod homo sit pronus ad malum, quasi dicat: Si hominum ma-

1) In ed. 1525 et 1526: illud Corinthiorum 3. 2) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.

litia deberet spectari, nunquam cessandum a diluvio esset. Verum nolo spectare deinceps, quid mereantur etc. Ita vides, quod tam ante diluvium, quam post diluvium Deus homines malos esse affirmat, ut nihil sit, quod diatribe de plerisque dicit. Deinde pronitas aut proclivitas ad malum res parvi momenti videtur diatribae, quasi nostrae sit opis, illam [1]) erigere aut cohibere, cum Scriptura velit ea pronitate assiduum illum raptum et impetum voluntatis ad malum significare. Aut cur non et hic Ebraicum consuluit, ubi nihil de pronitate Moses dicit, ne cavillandi causam habeas? Sic enim habet Cap. 6: כָּל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל [2]) הַיּוֹם, hoc est: Omne figmentum cogitationum cordis eius tantum malum cunctis diebus. Non dicit intentum vel pronum ad malum, sed prorsus malum, ac nihil nisi malum fingi et cogitari ab homine tota vita, natura malitiae eius descripta est, quod nec faciat, nec possit aliter, cum sit mala, neque enim arbor mala fructus alios quam malos ferre potest, teste Christo *).

Quod vero diatribe argutatur: Cur datum sit spatium poenitentiae, si nulla pars resipiscentiae pendet ab arbitrio, sed omnia necessitate geruntur? respondeo: Idem dices ad omnia praecepta Dei, cur praecipiat, si necessitate omnia fiant? Praecipit, ut erudiat et moneat, quid debeant, ut agnita sua malitia humiliati perveniant ad gratiam, ut abunde dictum est. Stat ergo et hic locus adhuc invictus adversus libertatem arbitrii.

Tertius [3]) est ille Esaiae 40: Suscepit duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis suis. Hieronymus (inquit) de vindicta divina interpretatur, non de gratia reddita pro malefactis.

Audio, Hieronymus dicit sic, ergo est verum. Ego de Esaia disputo, clarissimis verbis disseren-

---

1) In ed. 1526: illum. 2) In edd. origg.: Chol Ietzer Mahescheboth libbo rak ra chol haiom. *) Matth. 7. 3) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.

tem, et mihi Hieronymus obiicitur, ne quid asperius dicam, homo nullius neque iudicii neque diligentiae. Ubi est promissio illa, qua pactum fecimus, nos velle ipsis Scripturis agere, non commentariis hominum? Totum capitulum Esaiae, testibus Evangelistis, loquitur de remissione peccatorum per Evangelium annunciata, ubi ad Iohannem Baptistam vocem clamantis pertinere dicunt. Et nos feremus, ut Hieronymus more suo Iudaicas caecitates pro historico sensu, deinde suas ineptias pro allegoria obtrudat? ut inversa grammatica de vindicta[1]) intelligamus locum, qui de remissione loquitur. Obsecro qualis est vindicta impleta per Christum praedicatum? Sed verba ipsa videamus in Ebraeo.

Consolamini (inquit), consolamini, popule meus, vel populum meum, dicit Deus vester. Arbitror illum non vindictam exigere, qui iubet consolari. Sequitur: Loquimini ad cor Ierusalem, et praedicate illi. Ebraismus est, loqui ad cor, id est, bona, dulcia et blanda loqui, quemadmodum Gene. 34: Sichem loquitur ad cor Dinae, quam corruperat, id est, tristem delinibat blanditiis, ut noster transtulit. Quae autem sint illa bona et dulcia, praedicari iussa ad solatium eorum, exponit dicens: Quoniam finita est militia eius, eo quod iniquitas eius condonata sit, accepit enim de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.

Militia, quod nostri codices vitiose habent Malitia, Iudaeis audacibus grammatistis videtur tempus statutum significare, sic enim illud Iob. 7. intelligunt: Militia est vita hominis super terram, id est, tempus est ei definitum. Mihi simpliciter, ut grammatica habet, dici militiam placet, ut Esaiam intelligas loqui de cursu et labore populi sub lege, vel ut in stadio militantis. Sic enim Paulus tam praedicatores, quam auditores verbi militibus libenter comparat, ut dum Timotheum *) bonum militem et bonam militiam certare iubet; et Corinthios [2]) in

---

1) In ed. 1526: universa. *) 2. Tim. 2. 2) In ed. Ien.: et 1 Corinth. 9.

stadio currere facit: item, nemo coronatur, nisi legitime certaverit. Ephesios et Thessalonicenses armis instruit *), et se bonum certamen certasse gloriatur, et similia alias. Sic et 1. Reg. 2 scribitur in Ebraeo, quod filii Eli dormiebant cum mulieribus militantibus in ostio tabernaculi foederis, de quarum militia et Moses in Exodo meminit, et hinc Dominus Zebaoth vocatur Deus populi illius, id est, Dominus militiae vel exercituum.

Esaias igitur militiam legalis populi, quia [1]) sub lege vexabantur velut onere importabili, teste Petro Acto. 15 denunciat [2]) finiendam esse, et liberatos a lege in novam militiam spiritus transferendos. Porro is finis militiae durissimae et successio militiae novae et liberrimae non dabitur illis merito illorum, cum illam neque ferre potuerint, imo demerito illorum potius, quia sic finitur eorum militia, quod donatur eis gratuito eorum iniquitas. Non sunt hic verba obscura vel ambigua. Militiam finiendam dicit, ideo, quod donetur eius iniquitas, manifeste significans, milites sub lege non implesse legem, neque implere potuisse, sed militiam peccati exercuisse, et milites peccatores fuisse; ac si dicat Deus, cogor eis peccata donare, si volo legem ab illis impleri, imo simul legem tollere, quia video non posse eos non peccare, tum maxime cum militant, id est, legem viribus suis exprimere laborant. Nam verbum Ebraicum: Donata est iniquitas, significat gratuitum beneplacitum. Et eo donatur iniquitas sine ullo merito, imo cum demerito. Atque hoc est quod [3]) subdit.

Accepit enim de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. Hoc est, ut dixi, non solum remissionem peccatorum, sed etiam finitam militiam, quod est aliud nihil, quam sublata lege, quae erat virtus peccati, et donato peccato, quod erat aculeus mortis, regnarent in libertate du-

---

*) Ephes. 6. 1. Thess. 2. 1) In ed. 1526: qui. 2) Ibidem: denunciant. 3) Ibidem: quo.

plici per victoriam Iesu Christi, id est, quod Esaias dicit: De manu Domini; non enim suis viribus aut meritis haec obtinuerunt, sed victore Christo et donante acceperunt. In omnibus peccatis dicitur Ebraismo, id quod latine dicitur pro, vel propter peccata, ut Oseae 12: Iacob servivit in uxore, id est, pro uxore; et Psal. 17 [1]): Circumdederunt me in anima mea, id est, propter animam meam. Igitur merita nostra pingit Esaias, quibus duplicem illam libertatem obtinemus, et finitae militiae legis, et donati peccati scilicet, quod nihil nisi peccata et omnia peccata fuerint.

Hunccine igitur pulcherrimum et invictum locum contra liberum arbitrium sic pateremur conspurcari sordibus Iudaicis per Hieronymum et diatriben allatis? Absit. Stat vero Esaias meus victor liberi arbitrii, et definit, gratiam donari non meritis aut liberi arbitrii conatibus, sed peccatis et demeritis, liberumque arbitrium suis viribus nihil, nisi militiam peccati exercere posse, adeo ut et ipsa lex, quae in adiutorium dari putatur, ei fuerit intolerabilis, et magis peccatorem fecerit, militantem sub ipsa.

Quod autem diatribe disputat: Licet per legem peccatum abundet, et, ubi peccatum abundavit, abundet et gratia, non tamen hinc sequi, quod homo ante gratiam gratum facientem adiutus auxilio Dei non possit sese per opera moraliter bona praeparare favori divino.

Mirum, si suo capite loquitur, ac non ex aliqua charta aliunde missa vel accepta decerpserit libroque suo inseruerit diatribe. Neque enim videt, neque audit, quid sua verba sonent. Si per legem abundat peccatum, quomodo est possibile, hominem per opera moralia posse praeparare sese favori divino? Quomodo opera prosint, cum lex non prosit? aut quid est aliud per legem abundare peccatum, quam opera secundum legem facta esse pec-

1) In edd. origg.: 16.

cata? Sed haec alias. Quid vero dicit, quod homo adiutus Dei auxilio possit operibus moralibus sese praeparare? Disputamusne de divino auxilio, vel de libero arbitrio? Quid enim non sit possibile divino auxilio? Sed hoc est, quod dixi: Diatribe causam contemnit, quam agit, ideo sic stertit et oscitat loquendo.

Cornelium *) tamen illum centurionem pro exemplo adducit [1]), ut cuius preces et eleemosynae placuerint nondum baptisati, necdum afflati Spiritu sancto.

Ego quoque Lucam in Actis legi, nec tamen inveni ulla syllaba indicari, quod opera Cornelii fuerint moraliter bona, sine Spiritu sancto, ut somniat diatribe, sed contrarium invenio, quod iustus et timens Deum fuerit, sic enim Lucas eum appellat; iustum autem et timentem Deum sine Spiritu sancto dici, est idem, quod Belial Christum dici. Deinde tota disputatio ibi agit, quod mundus coram Deo sit Cornelius, etiam teste visione de coelo ad Petrum missa et ipsum increpante, scilicet, tantis verbis et rebus iustitia et fides Cornelii a Luca celebratur. Nihilominus diatribe cum suis Sophistis apertis oculis in clarissima luce verborum et evidentia rerum caecutiunt et contrarium vident, tanta est indiligentia [2]) legendi et observandi sacras literas, quas tum oportet obscuras et ambiguas infamari. Esto, nondum erat baptisatus, et verbum de Christo suscitato nondum audierat, nunquid hinc sequitur, ipsum sine Spiritu sancto fuisse? Sic et Iohannem Baptistam cum suis parentibus, tum matrem Christi, et Simeonem dices sine Spiritu sancto fuisse. Sed valeant tenebrae tam crassae.

Quartus locus Esaias eodem Cap. **): Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos foeni, exsiccatum est foenum, et flos foeni cecidit, quia spiritus Domini sufflavit in illud etc. Videtur dia-

---

*) Act. 10. 1) In ed. Ien. hic in margine scriptum legitur: Erasmus. 2) In ed. Ien.: diligentia. **) Esa. 40.

tribe mea violentius ad gratiam et liberum arbitrium trahi. Quare hoc quaeso? Quia Hieronymus (inquit) spiritum pro indignatione accipit, carnem pro infirma hominis conditione, quae nihil valet adversus Deum. Iterum mihi Hieronymi nugae pro Esaia afferuntur, fortius contra taedium mihi pugnandum est, quo me conficit tanta indiligentia (ne quid acerbius dicam) diatribe, quam contra ipsam diatriben. Sed diximus paulo ante iudicium nostrum de Hieronymi sententia.

Ipsam quaeso diatriben sibi ipsi comparemus; caro (inquit) est infirma hominis conditio, spiritus autem indignatio divina.

Nihilne igitur aliud habet indignatio divina, quod exsiccet, quam miseram illam et infirmam hominis conditionem, quam potius debeat erigere?

Sed illud pulchrius, flos foeni est gloria, quae nascitur ex felicitate rerum corporalium. Iudaei gloriabantur templo, praeputio, victimis, Graeci sapientia. Igitur flos foeni et gloria carnis est iustitia operum et sapientia mundi. Quomodo igitur iustitia et sapientia dicuntur res corporales apud diatriben? Quid tum ad ipsum Esaiam, qui propriis verbis sese interpretatur, dicens: Vere foenum est populus, non dicit, vere foenum est infirma hominis conditio, sed populus, idque asserit iuramento. Quid autem est populus? An est sola conditio hominis infirma? Iam an infirmam hominis conditionem intelligat Hieronymus ipsam creationem, vel sortem et statum hominis miserum, nescio. Sed utrum sit, egregiam certe laudem et spolia ampla refert divina indignatio, quod miseram creaturam vel homines infelices exsiccat, ac non potius superbos dispergat et potentes de sede deponat, et divites dimittat inanes, ut Maria canit.

Sed Esaiam, dimissis larvis, sequamur, Populus (inquit) est foenum, populus autem non est mera caro, vel infirma conditio humanae naturae, sed complectitur quicquid est in populo, scilicet, divites, sapientes, iustos, sanctos, nisi de populo Iudaeorum non sunt Pharisaei, Seniores, Principes, Optimates,

Divites etc. Flos foeni recte gloria dicitur, scilicet quod de regno, de politia, maxime vero de lege, Deo, iustitia et sapientia gloriabantur, ut Paulus Roma. 2, 3 et 9 disputat. Cum ergo dicit Esaias, Omnis caro, quid hoc est aliud, quam omne foenum seu omnis populus? Non enim simpliciter dicit Caro, sed omnis caro. Ad populum autem pertinet anima, corpus, mens, ratio, iudicium, et quicquid etiam in homine potest praestantissimum dici aut inveniri. Nullum enim excipit, qui dicit, Omnis caro foenum, nisi spiritum qui exsiccat. Nihil quoque omittit, qui dicit, foenum est populus. Da igitur liberum arbitrium, da quicquid in populo potest summum et infimum haberi, totum hoc Esaias carnem appellat et foenum. Quia tria illa nomina, Caro, foenum, populus, ipsomet interprete, qui est autor libri, idem hoc loco significant.

Deinde tu ipse affirmas, Graecorum sapientiam et Iudaeorum iustitiam, quae exsiccata sint per Evangelium, foenum vel florem foeni esse. An putas sapientiam in Graecis non fuisse praestantissimum, quod habuerunt, et iustitiam in Iudaeis non fuisse praestantissimum, quod potuerunt? Tu doce aliud praestantius. Ubi igitur est fiducia tua, qua etiam (Philippum puto) suggillabas dicens:

Si quis contendat, id quod in hominis natura est praestantissimum, nihil aliud quam carnem, id est, impium esse, huic facile assentiam, si id, quod asseverat, Scripturae sacrae testimoniis doceat.

Habes hic Esaiam, qui populum spiritu Domini vacuum carnem magna voce clamat, quanquam nec sic audias. Habes tuam ipsius confessionem, qui Graecorum sapientiam (forte imprudenter) dicis foenum vel gloriam foeni, quod idem est, ac si carnem dixeris, nisi sapientiam Graecorum contendas non pertinere ad rationem vel igemonicon, ut dicis, id est, principalem partem hominis. Audi quaeso, si nos contemnis, vel te ipsum vi veritatis captum, recta dicentem: Habes Iohannem *): Quod natum

*) Iohan. 3.

est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est. Hunc locum, qui evidenter convincit, id quod ex spiritu natum non est, carnem esse, alioqui partitio Christi non subsisteret, qui omnes homines in duo dividit, in carnem et spiritum; hunc igitur locum, quasi te non doceat quod petis, fortiter transis, et aliorsum te proripis more tuo, disserens interim Iohannem dicere, credentes ex Deo nasci ac filios Dei fieri, imo Deos et novam creaturam. Non quid partitio concludat curas, sed qui sint in parte altera partitionis otiosis verbis nos doces, rhetorica tua fisus, quasi nemo sit, qui hanc transitionem et dissimulationem tam callidam sit observaturus.

Difficile est te hoc loco non subdolum et versipellem credere; qui enim Scripturas ea colit vafritia et hypocrisi, qua tu colis, is secure poterit de se confiteri, Scripturis sese nondum esse doctum, velle autem doceri, cum nihil velit minus, et haec tantum garriat ad contumeliam lucis clarissimae in Scripturis, et ad suam pertinaciam ornandam. Sic Iudaei usque in hodiernum diem dicunt, Scripturis non probari, quae Christus, apostoli et tota ecclesia docuerunt. Nihil haeretici Scripturis possunt doceri. Papistae Scripturis adhuc non sunt edocti, quamvis etiam saxa clament veritatem. Forte exspectas locum e Scripturis producendum, qui istis literis et syllabis constet: Pars principalis in homine est caro, vel id,. quod praestantissimum est in homine, est caro, alioqui invictus victor futurus, tanquam si Iudaei postulent, ut ex prophetis proferatur sermo, qui his literis constet: Iesus fabri filius et[1]) Maria virgine natus in Bethlehem est Messias et filius Dei.

Hic ubi aperta sententia cogeris, literas et syllabas nobis praescribis, quas proferamus, alibi ubi et literis et sententia vinceris, tropos, nodos et interpretationes sanas habes, nusquam non invenis,

---

1) In ed. Ien.: ex.

quod contradicas Scripturis divinis, nec mirum, qui nihil aliud agis, quam ut quaeras, quod contradicas. Nunc curris ad interpretationes veterum, nunc ad absurditates rationis, ubi horum neutrum succurrerit, tum aliena et vicina disseris, tantum, ut praesente Scripturae loco non tenearis. Quid dicam? Proteus non est Proteus, si tibi comparetur; nec sic tamen elabi potes. Quantas victorias Ariani iactabant, quod syllabae istae et literae Homousios non haberentur in Scripturis, nihil morati, quod aliis verbis idem efficacissime probaretur? Sed an hoc sit boni, non dicam pii animi, erudiri cupientis, iudicet vel ipsa impietas et iniquitas.

Habe igitur victoriam, nos victi confitemur, hos characteres et syllabas (praestantissimum in homine nihil nisi caro est) in sacris Scripturis non inveniri. Tu autem vide, qualis sit victoria tua, cum nos probemus in Scripturis locupletissime inveniri, quod non una portio vel praestantissimum aut principalis pars hominis sit caro, sed totum hominem esse carnem, nec id solum, sed totum populum esse carnem, atque ne hoc quidem satis, sed totum genus humanum esse carnem. Christus enim dicit: Quod natum est ex carne, caro est; tu solve nodos, finge tropos, sectare interpretationem veterum, aut alio versus interim de Troiano bello dissere, ne videas vel audias praesentem locum. Nos non credimus, sed videmus et experimur, totum genus humanum ex carne natum esse. Ideo cogimur credere, quod non videmus, scilicet totum genus humanum carnem esse, docente Christo. An nunc igemonica pars in homine comprehendatur toto homine, toto populo, toto genere hominum, permittimus Sophistis, ut dubitent et disputent, nos in toto genere humano scimus complecti corpus et animam cum omnibus viribus et operibus, cum omnibus vitiis et virtutibus, cum omni sapientia et stultitia, cum omni iustitia et iniustitia. Omnia sunt caro, quia omnia sapiunt carnem, id est, quae sua sunt, vacantque gloria Dei et spiritu Dei, ut Paulus ait Rom. 3.

Quod igitur dicis [1]): Nec omnis affectus hominis est caro, sed est, qui dicitur anima, est qui dicitur spiritus, quo nitimur ad honesta, sicut philosophi nisi [2]) sunt, qui docuerunt, millies oppetendam esse mortem citius, quam admittendam turpitudinem, etiamsi sciremus futurum, ut ignorarent homines et Deus ignosceret.

Respondeo: Qui nihil certe [3]) credit, huic facile est, quidvis credere et dicere. Non ego, sed Lucianus tuus te interroget, an unum in universo genere humano (sit bis aut septies ipse Socrates) ostendere queas [4]), qui hoc praestiterit, quod tu hic dicis, et eos docuisse scribis? Quid igitur inanibus verbis fabularis? Ad honesta illi niterentur, qui etiam nesciebant, quid esset honestum? Honestum forte dices, si exemplum praestantissimum petam, quod pro patria, pro coniugibus et liberis, pro parentibus occubuerint, aut, ne mentirentur aut proderent, exquisitos cruciatus pertulerint, quales Q. Scaevola, M. Regulus et alii fuerint. Quid vero in his omnibus nisi speciem externam operum monstrare poteris? An cor eorum vidisti? imo simul in specie operis apparuit, quod pro gloria sua haec omnia gesserunt, ita ut nec puduerit confiteri et gloriari sese gloriam suam quaerere. Nam et gloria perurente gesserunt Romani, ipsismet testibus, quicquid virtutis gesserunt, ita et Graeci, ita et Iudaei, ita et omne genus hominum.

Sed ut sit hoc honestum apud homines, apud Deum tamen nihil est inhonestius, imo impiissimum et summum sacrilegium, nempe quod non pro gloria Dei egerunt nec ut Deum glorificaverunt, sed impiissima rapina Deo gloriam rapientes, et sibi attribuentes, nunquam magis inhonesti et turpes fuerunt, quam dum in summis suis virtutibus fulserunt. Quomodo vero pro gloria Dei agerent, cum

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus. 2) In ed. 1525 et ed. Ien.: nixi. 3) In ed. Ien.: certo. 4) Ibidem: queat.

Deum et gloriam eius ignorarent, non quod non appareret, sed quod caro non sinebat eos videre gloriam Dei, prae furore et insania in gloriam propriam. Habes igitur spiritum illum igemonicum principalem partem hominis ad honesta nitentem, id est, latronem gloriae divinae et maiestatis affectatorem, tum maxime, cum sunt honestissimi et summis suis virtutibus illustrissimi. Hos nunc nega esse carnem et impio affectu perditos.

Nec credo diatriben adeo offendi ea locutione, quod homo dicatur esse caro vel spiritus, cum latinus diceret: Homo est carnalis vel spiritualis. Donandum est enim hoc, sicut et multa alia Ebraeae linguae, ut, cum dicit: Homo est caro vel spiritus, idem significet, quod nos, cum dicimus: Homo est carnalis vel spiritualis, quemadmodum latini dicunt: Triste lupus stabulis, Dulce satis humor, vel cum dicunt: Iste homo est scelus et ipsa malitia. Ita et Scriptura sancta per epitasin hominem vocat carnem, quasi ipsam carnalitatem, quod nimio ac nihil aliud sapiat, quam ea, quae carnis sunt, et spiritum, quod nihil nisi ea, quae spiritus sunt, sapiat, quaerat, agat et ferat.

Nisi forte hoc adhuc reliquum quaerat: Etiamsi totus homo et praestantissimum in homine caro esse dicatur, nunquid ideo statim etiam impium dici oporteat, quicquid caro fuerit? Nos impium dicimus, quisquis sine spiritu Dei fuerit. Nam ideo Scriptura dicit, Spiritum donari, ut impium iustificet. Cum vero Christus spiritum a carne distinguat dicens: Quod natum est ex carne, caro est, addatque non posse natum ex carne regnum Dei videre, evidenter sequitur: Quicquid fuerit caro, idem impium et sub ira Dei, alienumque a regno Dei esse; quod si a regno et spiritu Dei alienum est, necessario sequi, quod sub regno et spiritu Satanae sit, cum non sit medium regnum inter regnum Dei et regnum Satanae, mutuo sibi et perpetuo pugnantia. Haec sunt, quae demonstrant, summas virtutes in gentibus, optima in philosophis, praestantissima in hominibus coram mundo quidem dici et apparere honesta et

bona, sed coram Deo vere sunt caro et Satanae regno servientia, id est, impia et sacrilega, omnibusque nominibus mala.

Sed fingamus quaeso, diatribes sententiam stare, quod non omnis affectus sit caro, id est, impius, sed sit is, qui spiritus dicitur, honestus et sanus, vide quantum absurditatis hinc sequatur, non quidem apud rationem humanam, sed in tota Christiana religione et summis fidei articulis. Si enim praestantissimum in homine non est impium, neque perditum aut damnatum, sed solum caro, id est, crassiores et inferiores affectus, qualem rogo faciemus Christum redemptorem? An pretium sanguinis eius tam vile faciemus, ut solum id, quod vilissimum est in homine, redemerit, praestantissimum vero in homine per sese valeat et Christo non habeat opus? Ut Christum deinceps praedicemus redemptorem non totius hominis, sed partis eius vilissimae, scilicet carnis, hominem vero ipsummet sui ipsius redemptorem in potiore sui parte.

Elige utrum volueris, si sana est potior pars hominis, redemptore Christo non eget. Si Christo non eget, maiore gloria super Christum triumphat, ut quae sese potiorem partem curet, cum Christus viliorem tantum curet. Deinde regnum Satanae quoque nihil erit, ut quod viliore parte hominis regnet, a potiore vero parte per hominem potius regnetur. Ita fiet per dogma istud de principali parte hominis, ut homo supra Christum et diabolum extollatur, hoc est, fiet Deus Deorum et dominus dominantium. Ubi nunc est illa opinio probabilis, quae dixit, liberum arbitrium nihil boni velle posse, hic vero contendit, esse principalem partem et sanam honestamque, ne Christo quidem indigere, sed plura posse quam Deus ipse et diabolus possunt.

Hoc dico, ut iterum videas, quanti periculi res sit, sacra ac divina tentare sine spiritu Dei, temeritate rationis humanae. Igitur si Christus est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, mundum totum sub peccato, damnatione et diabolo esse sequitur, nihilque prodest distinctio partium principalium et

non principalium, mundus enim significat homines mundana sapientes partibus omnibus.

Si totus homo (inquit), etiam renatus per fidem, nihil aliud est, quam caro, ubi spiritus e spiritu natus? ubi filius Dei? ubi nova creatura? Super his doceri velim. Haec diatribe.

Quo? quo? mea diatribe carissima, quid somnias? Tu petis doceri, quomodo spiritus natus e spiritu sit caro. Proh quam laeta et secura victoria nobis victis hic insultas, quasi impossibile sit, nos hic subsistere. Interim veterum autoritate vis abuti, qui semina quaedam honesti tradunt insita mentibus hominum. Primum, si ita vis, per nos quidem licet, ut veterum autoritate utaris vel abutaris, tu videris quid credas, qui hominibus credis, sua dictantibus sine verbo Dei. Nec forte multum te cruciat religionis cura, quid quis credat, qui tam facile hominibus credis, nihil moratus, an certum vel incertum sit apud Deum, quod dicunt. Et nos super hoc doceri velimus, quando nos unquam id docuerimus, quod tu tam libere et publice nobis imputas? Quis ita insaniat, ut nihil nisi carnem esse dicat eum, qui natus est ex spiritu?

Nos manifeste separamus carnem et spiritum tanquam res pugnantes, dicimusque cum oraculo divino, hominem, qui non est renatus per fidem, esse carnem. Deinde renatum non amplius carnem esse dicimus, quam secundum reliquias carnis, quae adversantur primitiis accepti spiritus. Nec credo, quod hoc in nostri volueris invidiam fingere, alioqui quid poteras nobis sceleratius imponere? Sed vel nihil intelligis nostrarum rerum, vel magnitudini rerum impar esse videris, qua sic premeris et confunderis forte, ut non satis memor sis, quid vel in nos, vel pro te dicas. Nam quod veterum autoritate credis semina quaedam honesti insita mentibus hominum, iterum oblivione quadam dicis, cum supra asserueris, nihil boni velle posse liberum arbitrium. Non posse autem quicquam boni velle, nescio, quomodo secum patiatur semina quaedam honesti. Sic ego perpetuo cogor te admonere status causae suae

ceptae, a quo tu perpetua oblivione discedis, et aliud agis quam institueras.

Alius locus est Hieremiae 10: Scio, Domine, quoniam non est hominis via eius, nec ullius est, ut ambulet et dirigat gressus suos. Hunc locum dicit[1]) magis pertinere ad eventum rerum laetarum, quam ad potestatem liberi arbitrii.

Hic iterum diatribe cum fiducia glossam affert, prout visum est, tanquam Scriptura sit sub iure suo plenissimo. Ut autem prophetae sensum et intentum consideraret, quid opus erat tantae autoritatis viro? Sat est, Erasmus dicit, ergo sic est. Hac libidine glossandi permissa adversariis quid est, quod non obtineant? Doceat igitur ex ipsius sermonis serie hanc glossam, et credemus. Nos autem docemus ex ipsa serie, prophetam cum videret sese frustra docere impios tanta instantia, simul intelligit, verbum suum nihil valere, nisi Deus intus doceat, atque ideo non esse in manu hominis audire et bonum velle. Hoc animadverso Dei iudicio territus petit, ut corrigat eum in iudicio, si omnino corrigi debet, et non tradatur cum impiis sub iram Dei, quos sinit indurari et incredulos manere.

Sed fingamus tamen locum de eventis rerum tristium et laetarum intelligi, quid si haec ipsa glossa fortissime subvertat liberum arbitrium? Fingitur quidem hoc novum effugium, ut rudes et inertes falsi putent esse satisfactum, sicut illi faciunt effugio illo de necessitate consequentiae. Non vident enim, quomodo multo magis irretiantur et capiantur istis effugiis, adeo avertuntur novis istis vocabulis. Si itaque eventus rerum istarum non est in manu nostra, quae sunt temporales, et quibus homo dominus constituitur, Gen. 1, obsecro, quomodo erit in manu nostra res illa coelestis, gratia Dei, quae in solius arbitrio Dei pendet? An liberi arbitrii conatus potest salutem aeternam obtinere, qui non potest obulum, imo nec pilum capitis retinere.

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.

Non est nobis potestas obtinendae creaturae, et potestas erit obtinendi creatoris? Quid insanimus? Pertinet igitur id multo maxime ad eventus, quod homo ad bonum vel ad malum nititur, quia utrobique multo magis fallitur, et minus libertatis habet, quam dum nititur ad pecuniam, vel gloriam, vel voluptatem. Quam pulchre igitur evasit haec glossa, quae libertatem hominis negat in parvulis et creatis eventibus, et praedicat eam in summis et divinis eventibus, ac si dicas: Codrus non potest staterem persolvere, potest autem infinita millia aureorum persolvere. Et miror diatriben, quae illud Viglephi, omnia necessario fieri, adeo persecuta hactenus nunc ipsamet concedit, eventa esse necessaria nobis.

Deinde si maxime torqueas, ait [1]), ad liberum arbitrium, nemo non fatetur, absque gratia Dei neminem posse rectum vitae cursum tenere, nihilominus tamen interim annitimur et ipsi pro viribus, quia oramus quotidie: Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam; qui petit auxilium, non deponit conatum.

Nihil putat diatribe referre, quid respondeat, modo non taceat et aliquid dicat, tum satis factum vult videri, adeo confidit autoritate sua. Probandum fuit, an nos viribus nostris nitamur, et probat, quod orans aliquid conetur. Obsecro, an nos irridet? an ludificatur Papistas? Qui orat, spiritu orat, imo spiritus ipse in nobis orat, Rom. 8. Quomodo igitur per conatum Spiritus sancti probatur potestas liberi arbitrii? An eadem res est liberum arbitrium et Spiritus sanctus apud diatriben? An disputamus nunc, quid Spiritus possit? Relinquit igitur locum istum Hieremiae mihi intactum diatribe atque invictum, solumque id sui capitis affert glossema: Nos etiam annitimur viribus. Et huic cogetur Lutherus credere, modo velit.

Item illud Proverb. 16: Hominis est praeparare

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.

cor, Domini autem gubernare linguam, etiam ad eventa rerum dicit pertinere.

Quasi hoc suo proprio dicto sine autoritate alia satis sit nobis factum. Et facit sane nimio satis, quod concesso sensu de eventis rerum, nos plane vicimus secundum ea, quae proxime diximus, quod, cum libertas arbitrii in rebus et operibus nostris nulla est, multo magis nulla est in rebus et operibus divinis.

Sed acumen eius vide: Quomodo est hominis praeparare cor, quum Lutherus affirmet omnia necessitate geri?

Respondeo, quum eventa rerum non sint in potestate nostra, ut tu dicis, quomodo est hominis res gerere? Quod mihi responderis, tibi responsum habe. Imo ideo maxime operandum est, quia incerta nobis sunt omnia futura, ut Ecclesiastes ait: Mane semina semen tuum, et vespere non cesses, quia nescis, an hoc vel illud sit oriturum. Nobis, inquam, sunt incerta cognitione, sed necessaria eventu. Necessitas nobis timorem Dei incutit, ne praesumamus et securi simus, incertitudo vero fiduciam parit, ne desperemus.

Redit [1]) vero ad veterem suam cantilenam, quod in libro Proverbiorum multa dicuntur pro libero arbitrio, quale est illud: Revela Domino opera tua; audis (inquit) opera tua?

Scilicet, quod multa sint in eo libro verba imperativa et coniunctiva, item pronomina secundae personae; his enim fundamentis probatur libertas arbitrii, ut Revela, ergo potes revelare opera tua, ergo tu facis ea. Sic illud, Ego sum Deus tuus, intelliges, id est, Tu facis me Deum tuum, Fides tua te salvum fecit. Audis, tua? expone sic: Tu facis fidem, tum probasti liberum arbitrium. Non hic irrideo, sed ostendo diatribae serium non esse in hac causa.

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.

Illud [1]) eodem capite: Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum, etiam suis verbis format, excusans Deum, quod nullam creaturam malam condiderit.

Quasi de creatione dixerim ego, ac non magis de operatione illa assidua Dei in rebus creatis, qua operatione Deus agit et impium, sicut supra de Pharaone diximus [2]).

Nec illud [1]) ex Capit. 20 ipsi videtur urgere, Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinat illud. Non statim (ait) cogit, qui inclinat.

Quasi nos de coactione loquamur, ac non potius de necessitate immutabilitatis. Ea significatur per inclinationem Dei, quae non est res tam stertens et pigra, ut fingit diatribe, sed est actuosissima illa operatio Dei, quam vitare et mutare non possit, sed qua tale velle habet necessario, quale illi Deus dedit, et quale rapit suo motu, ut dixi supra.

Deinde cum Salomon de corde regis loquatur, putat diatribe eum locum non recte ad generalem sententiam trahi, sed illud velle, quod alias Iob dicit, regnare facit hypocritam propter peccata populi. Tandem concedit inclinari a Deo regem ad malum, sed sic, quod sinat regem agi affectibus, ad castigandum populum.

Respondeo: Sive sinat, sive inclinet Deus, ipsum sinere vel inclinare non fit nisi volente et operante Deo, quia voluntas regia non potest effugere actionem omnipotentis Dei, quia rapitur omnium voluntas, ut velit et faciat, sive sit bona sive mala. Quod vero generalem sententiam fecimus ex particulari voluntate regis, puto neque inepte neque in-

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus. 2) In ed. Ien. hic addita leguntur haec: At impium condit, non creando malitiam aut malam creaturam, quod est impossibile, sed ex vitiato semine, dum operatur Deus, fit vel creatur malus homo, non culpa factoris, sed vitio materiae.

docte nos fecisse. Si enim cor regis, quod videtur maxime liberum et aliis dominari, non tamen potest velle, nisi quo Deus ipsum inclinarit, quanto minus ullus aliorum hominum id potest? Atque ista consequentia non solum ex regis, sed etiam cuiuslibet hominis voluntate valeret. Si enim unus homo, quantumlibet privatus, non potest coram Deo velle, nisi quo inclinat Deus, idem de omnibus hominibus dicetur. Sic quod Balaam non potuit loqui, quod volebat, argumentum est evidens in Scripturis, hominem non esse sui iuris aut operis liberum electorem aut factorem, alioqui exempla nulla subsisterent in Scripturis.

Post haec cum dixisset testimonia, quae Lutherus ex eo libro colligit, multa colligi posse, sed quae commoda interpretatione tum pro, tum contra liberum arbitrium possent stare, tandem adducit telum illud Lutheri Achilleum et inevitabile Iohan. 15: Sine me nihil potestis facere etc.

Laudo et ego rhetorem liberi arbitrii egregium, qui testimonia Scripturae interpretationibus, ut visum fuerit, commodis formare docet, ut vere pro libero arbitrio stent, id est, efficiant, non quod debent, sed quod nobis placuerit. Deinde sic unum fingat sese metuere Achilleum, ut stolidus lector, eo victo, cetera nimis contempta habeat. Verum ego magniloquam et heroicam diatriben spectabo, visurus, qua vi meum superet Achillem, quae hactenus nullum gregarium militem, ne Thersitem quidem percusserit, sed suis ipsius telis sese miserrime confecerit.

Igitur apprehensa vocula hac Nihil multis verbis multisque exemplis eam iugulat et commoda interpretatione huc trahit, ut Nihil idem possit esse, quod modicum et imperfectum, scilicet aliis verbis id disserens, quod Sophistae hactenus hoc loco sic docuerunt: Sine me nihil potestis facere, scilicet perfecte. Hanc glossam iamdudum exoletam et corrosam reddit nobis vi rhetoricae novam et sic instat, quasi prima eam afferat, nec antea sit unquam audita, vice miraculi nobis eam exhibitura,

interim vero prorsus secura et nihil cogitans de ipso textu, de sequentibus et praecedentibus, unde petenda est intelligentia. Taceo illud, quod tot verbis et exemplis probat, vocabulum hoc Nihil posse hoc loco accipi pro modico et imperfecto, quasi nos de posse disputemus, cum hoc probandum fuerit, an debeat sic accipi, ut tota ista magnifica interpretatio nihil efficiat, si quid efficit, quam quod incertus fiat locus iste Iohannis et ambiguus. Nec hoc mirum, cum hoc unice agat diatribe, ut Scripturae Dei sint ubique umbiguae, ne illis cogatur uti, autoritates vero veterum certae, ut illis liceat abuti, mira sane religione, ut verba Dei sint inutilia, hominum verba sint utilia.

Sed hoc pulcherrimum est videre, quam bene sibi ipsi constet. Nihil pro modico accipi potest; et in eo sensu (inquit[1]) verissimum est, nos sine Christo nihil posse facere, loquitur enim de fructu Evangelico, qui non contingit nisi manentibus in vite, qui est Christus etc.

Hic ipsamet confitetur fructum non contingere, nisi manentibus in vite, et hoc facit in ea ipsa commoda interpretatione, qua probat, Nihil id esse, quod modicum et imperfectum. Sed forte et adverbium Non oportet etiam commode interpretari, ut significet fructum Evangelicum extra Christum aliquo modo seu modicum et imperfectum contingere, ut praedicemus impios sine Christo, qui regnante Satana in ipsis et contra Christum pugnante posse aliquid fructuum vitae praestare, hoc est, ut hostes Christi pro Christo faciant; sed mittamus ista.

Hic ego doceri velim modum, quo haereticis queat resisti, qui ubique in Scripturis hac lege usuri Nihil et Non pro imperfecto accipere contendant, ut sine ipso factum est nihil, id est, modicum. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, id est, imperfectus est Deus. Ipse fecit nos, et non ipsi nos,

---

1) In ed. Ien. hic in margine legitur: Erasmus.

id est, modicum fecimus nos. Et quis numeret e Scripturis locos, ubi Nihil et Non ponuntur? An hic dicemus, commoda interpretatio spectanda est? At nulli haeretico sua non commoda est. Scilicet, hoc est nodos solvere, tantae licentiae fenestram aperire corruptis mentibus et fallacibus spiritibus? Tibi credo, qui sacrae Scripturae certitudinem susque deque facis, commoda fuerit ea licentia interpretandi, sed nobis, qui conscientias stabilire laboramus, nihil incommodius, nihil nocentius, nihil pestilentius hac commoditate contingere potest. Audi itaque, magna victrix Achillis Lutherani, nisi tu probaveris, Nihil hoc loco non solum posse, sed etiam debere pro modico accipi, nihil effeceris tanta copia verborum et exemplorum, nisi quod aridis stipulis adversus flammas pugnaveris; quid nobis cum tuo posse, a quo exigitur, ut probes, debere? Quod nisi effeceris, manemus in naturali et grammatica significatione vocabuli, ridentes tam exercitus, quam triumphos tuos.

Ubi nunc manet opinio probabilis, quae statuit liberum arbitrium nihil boni velle posse? Sed forte venit tandem hic interpretatio commoda, ut nihil boni significet aliquid boni, inaudita plane et grammatica et dialectica, ut nihil sit id, quod aliquid, quod apud dialecticos impossibile fuerit, cum sint contradictoria. Ubi manet et illud, quod Satanam credimus principem esse mundi, regnantem teste Christo et Paulo *) in voluntatibus et mentibus hominum sibi captivis et servientibus? Ille, scilicet leo rugiens, hostis implacabilis et irrequietus gratiae Dei et salutis humanae, sinet fieri, ut homo servus et pars regni sui conetur ad bonum ullo motu aut momento, quo suam tyrannidem evadat, ac non potius incitet et urgeat, ut totis viribus contrarium gratiae et velit et faciat? cui iusti et spiritu Dei agentes vix resistunt, et bonum volunt ac faciunt, ita in eos saevit.

*) 2. Timoth. 2.

Tu qui fingis voluntatem humanam esse rem in medio libero positam, ac sibi relictam, facile simul fingis, esse conatum voluntatis in utram partem, quia tam Deum, quam diabolum fingis longe abesse, veluti solum spectatores mutabilis illius et liberae voluntatis, impulsores vero et agitatores illius servae voluntatis, mutuo bellacissimos, non credis. Quo solo credito satis fortiter stat nostra sententia, et prostratum iacet liberum arbitrium, ut et supra docuimus. Aut enim regnum Satanae in hominibus nihil erit, et sic Christus mentietur; aut si regnum eius tale est, quale Christus describit, liberum arbitrium nihil nisi iumentum captivum Satanae erit, non liberandum, nisi prius digito Dei eiiciatur diabolus.

Hinc credo, satis intelligis, mea diatribe, quid sit et quantum valeat, quod autor tuus pervicaciam Lutheranae assertionis detestatus solet dicere, scilicet, Lutherum valde urgere causam Scripturis, sed quae uno verbulo dissolvi possunt. Quis enim hoc nescit, uno verbulo posse omnes Scripturas solvi? Pulchre hoc sciebamus, etiam antequam Erasmi nomen audiremus. Sed hoc quaeritur, an hoc satis sit, verbulo solvi Scripturam. An recte solvatur, et an sic debeat solvi, hoc disputatur. Huc spectet et videbit, quam facile sit Scripturas solvere, et quam detestanda sit pervicacia Lutheri. Videbit autem non solum verbula nihil efficere, sed nec omnes portas inferorum.

Nos igitur, quod diatribe pro sua affirmativa non potest, quamvis non debeamus negativam probare, faciamus tamen et extorqueamus vi argumentorum, Nihil hoc loco non solum posse, sed debere accipi, non pro modico, sed pro eo, quod vocabulum natura significat; faciemus autem hoc ultra illud invictum argumentum, quo iam vicimus, scilicet esse vocabula naturali significationis usu servanda, nisi contrarium fuerit demonstratum, quod diatribe neque fecit neque potest facere. Extorquemus autem id primum ipsa rei natura, videlicet quod Scripturis neque ambiguis neque obscuris evictum sit,

Satanam esse principem longe potentissimum et callidissimum mundi (uti diximus), quo regnante voluntas humana iam non libera, nec sui iuris, sed serva peccati et Satanae, non potest velle, nisi quod princeps ille suus voluerit. Nihil vero boni ille sinet eam velle, quamvis, etiamsi Satanas ei non imperaret, ipsum peccatum, cuius servus est homo, satis oneraret, ne bonum velle posset.

Deinde ipsa sermonis consequentia idem extorquet, quam diatribe fortiter contemnit, licet eam satis copiose in Assertionibus meis annotassem. Sic enim prosequitur Christus Ioha. 15: Qui in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescit et colligunt eum et in ignem mittunt, et ardet. Haec, inquam, diatribe rhetoricissime transivit, speravitque transitum hunc esse tam rudibus Lutheranis incomprehensibilem. Vides autem hic Christum ipsum interpretem similitudinis suae de palmite et vite satis aperte declarare, quid velit intelligi per vocabulum Nihil, scilicet quod homo extra Christum foras mittitur et arescit. Quid vero foras mitti et arescere potest aliud significare, quam sub diabolum tradi et continenter peiorem fieri? Peiorem autem fieri non est aliquid posse vel conari. Arescens palmes magis ac magis ad ignem paratur, quo magis arescit. Nisi ipse Christus hanc similitudinem sic dilatasset et applicasset, nemo fuisset ausus ita dilatare et applicare. Stat igitur, Nihil hoc loco proprie debere accipi, ut natura fert vocabuli.

Iam et exempla videamus, quibus probat, Nihil alicubi pro modico accipi, ut et in hac parte demonstremus, diatriben esse et efficere nihil, in qua si etiam aliquid faceret, tamen nihil efficeret, adeo diatribe per omnia et omnibus modis nihil est.

Vulgo (inquit) nihil agere dicitur, qui non assequitur id, quod expetit, et tamen frequenter aliquo usque promovet, qui conatur.

Respondeo: Nunquam audivi vulgo sic dici: Tu ita fingis pro libertate tua. Verba spectanda sunt (ut vocant) secundum materiam subiectam et

ad intentionem loquentis. Iam nemo illud vocat nihil, quod conatur agens, nec de conatu loquitur, qui de nihilo loquitur, sed de effectu, hunc enim spectat, qui dicit: Ille nihil agit vel nihil efficit, id est, non attigit, non est assecutus; deinde ut exemplum valeat, quod tamen non valet, magis pro nobis facit. Hoc enim est quod contendimus et evictum volumus, quod liberum arbitrium multa agat, quae tamen sunt nihil coram Deo. Quid profuerit illi conari, si non assequitur quod expetit? ut quoquo se vertat diatribe, impingat et se ipsam confutet, ut solet accidere malam agentibus causam.

Sic et illud exemplum e Paulo infeliciter adducit: Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Quod minimi (inquit) momenti est et per se inutile, nihil appellat.

Quis? Tu diatribe ministerium verbi per sese inutile et minimi momenti esse dictitas, quod tantis laudibus Paulus cum ubique tum maxime 2. Corinth. 3 vehit, ubi administrationem [1]) vitae et gloriae appellat? Iterum neque materiam subiectam, neque intentionem loquentis consideras. Ad incrementum dandum plantator et rigator nihil est, sed ad plantandum et rigandum nonnihil est, cum sit opus summum spiritus in ecclesia Dei docere [2]) et exhortari. Hoc vult Paulus, hoc et verba satis aperte tradunt. Sed esto, et hoc exemplum ineptum valeat, iterum pro nobis idem stabit. Nam hoc agimus, quod liberum arbitrium sit nihil, id est, inutile, per sese, ut tu exponis, coram Deo, nam de hoc genere essendi loquimur, non ignari, quod voluntas impia sit aliquid et non merum nihil.

Item illud 1. Corinth. 13: Si caritatem non habeam, nihil sum. Cur hoc adducat exemplum, non video, nisi numerum et copiam quaesierit, aut arma nobis deesse putarit, quibus a nobis ipsa confodia-

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: ministrationem. 2) In ed. 1526: doceri; in ed. 1525 et ed. Ien.: docere.

tur. Vere enim et proprie nihil est coram Deo, qui sine caritate est. Sic et de libero arbitrio docemus. Quare et hoc exemplum pro nobis contra ipsam diatriben stat, nisi forte adhuc diatribe ignorat, quo loco pugnemus. Non enim de esse naturae loquimur, sed de esse gratiae (ut vocant). Scimus liberum arbitrium natura aliquid facere, ut comedere, bibere, gignere, regere, ne nos delirio illo, velut argutulo, rideat, quod nec peccare quidem liceret sine Christo, si vocem illam Nihil urgeamus, cum tamen Lutherus donarit, liberum arbitrium valere nihil, nisi ad peccandum, adeo libuit sapienti diatribae ineptire etiam in re seria. Dicimus enim, hominem extra gratiam Dei manere nihilominus sub generali omnipotentia Dei facientis, moventis, rapientis omnia, necessario et infallibili cursu, sed hoc, quod sic raptus homo facit, esse nihil, id est, nihil valere coram Deo, nec aliud reputari, quam peccatum. Sic in gratia nihil est, qui sine caritate est. Cur igitur diatribe, cum ipsamet fateatur nos hoc loco agere de fructu evangelico, qui sine Christo non contingit, hic mox extra statum causae divertit, et alienam cantionem orsa de opere naturali et fructu humano cavillatur? nisi quod nusquam sibi constat, qui veritate privatus est.

Sic illud Iohan. 3: Non potest homo quidquam accipere, nisi fuerit ei datum e coelo.

Iohannes loquitur de homine, qui utique aliquid iam erat, et hunc negat accipere quidquam, scilicet Spiritum cum donis; de hoc enim loquebatur, non de natura. Nec enim opus illi fuit magistra diatribe, quae illum doceret, hominem habere iam oculos, nares, aures, os, manus, mentem, voluntatem, rationem et omnia, quae sunt in homine, nisi diatribe credit, Baptistam tam furiosum fuisse, ut, cum hominem nominarit, chaos Platonis, aut vacuum Leucippi, aut infinitum Aristotelis aut aliud quoddam nihil cogitarit, quod dono e coelo aliquid demum fieret, scilicet hoc est exempla e Scripturis proferre, sic in re tanta de industria ludere.

Quorsum igitur illa copia attinet, quod ignem,

fugam mali, nisum ad bona et reliqua e coelo esse nos docet, quasi haec ullus ignoret aut neget? Nos de gratia et, ut ipsa dixit, de Christo et fructu evangelico loquimur, ipsa vero de natura interim fabulata tempus redimit [1]) et causam trahit, rudique lectori nubem offundit. Sed interim non solum non profert ullum exemplum, ubi nihil pro modico accipiatur, sicut instituit, verum etiam aperte prodit sese nihil intelligere aut curare, quid sit Christus aut gratia, aut quomodo aliud sit gratia quam natura, quod tamen etiam rudissimi Sophistae noverunt et usu vulgatissimo hoc discrimen in suis scholis detriverunt, simulque nihil videt, quod sua exempla omnia pro nobis contra ipsam faciant. Hoc enim facit verbum Baptistae, quod homo nihil potest accipere, nisi donatum fuerit e coelo, ut liberum arbitrium nihil sit. Sic vincitur meus Achilles, cum ei per diatriben arma porriguntur, quo ipsa nuda et imbellis conficitur. Sic uno verbulo Scripturae solvuntur, quibus urget Lutherus pervicax ille assertor.

Post haec multas enumerat similitudines, quibus nihil facit, nisi ut more suo ad aliena rapiat stultum lectorem, causae interim prorsus oblita: ut Deus navem quidem servat, sed navita tamen ducit ad portum, quare nonnihil agit navita. Diversum opus, scilicet Deo servandi, navitae ducendi tribuit ista similitudo. Deinde si quid probat, id probat, quod Dei sit totum opus servandi, navitae totum opus ducendi, et tamen est pulchra et apta similitudo.

Sic agricola convehit proventus, Deus autem dedit iterum diversa opera Deo et homini, nisi agricolam simul creatorem facit, qui dederit proventus. Sed dentur adhuc eadem opera Deo et homini, quid efficiunt istae similitudines? nihil nisi quod creatura Deo operanti cooperatur. At nunquid nos de co-

1) Lectio redimit repetita est ex ed. 1525, in ed. 1526 legitur: redemit.

operatione nunc disputamus, ac non potius de propria vi et operatione liberi arbitrii? Quo igitur rhetor ille fugit, qui dicturus de palma nihil dicit nisi de cucurbita? Amphora coepit institui, cur urceus exit?

Scimus et nos, quod Paulus cooperatur Deo in docendis Corinthiis, dum foris praedicat ipse, et intus docet Deus, etiam in diverso opere. Similiter et Deo cooperatur, cum loquitur in spiritu Dei, idque in eodem opere. Hoc enim nos asserimus et contendimus, quod Deus, cum citra gratiam spiritus operatur, omnia in omnibus, etiam in impiis, operatur, dum omnia, quae condidit solus, solus quoque movet, agit et rapit omnipotentiae suae motu, quem illa non possunt vitare nec mutare, sed necessario sequuntur et parent, quodlibet pro modo suae virtutis, sibi a Deo datae, sic omnia etiam impia illi cooperantur. Deinde, ubi spiritu gratiae agit in illis, quos iustificavit, hoc est, in regno suo, similiter eos agit et movet, et illi, ut sunt nova creatura, sequuntur et cooperantur, vel potius, ut Paulus ait, aguntur. Sed iis nunc non erat locus, non disputamus, quid operante Deo possimus, sed quid nos possimus, videlicet an iam creati ex nihilo aliquid nos faciamus vel conemur illo generali motu omnipotentiae, ut paremur ad novam creaturam spiritus; hic respondendum erat, non alio divertendum. Hic enim nos sic respondemus: Sicut homo, antequam creatur, ut sit homo, nihil facit aut conatur, quo fiat creatura, deinde factus et creatus nihil facit aut conatur, quo perseveret creatura, sed utrumque fit sola voluntate omnipotentis virtutis et bonitatis Dei, nos sine nobis creantis et conservantis, sed non operatur in nobis sine nobis, ut quos ad hoc creavit et servavit, ut in nobis operaretur, et nos ei cooperaremur, sive hoc fiat extra regnum suum generali omnipotentia, sive intra regnum suum singulari virtute spiritus sui.

Sic deinceps dicimus: Homo, antequam renovetur in novam creaturam regni spiritus, nihil facit, nihil conatur, quo paretur ad eam renovationem et

regnum, deinde recreatus nihil facit, nihil conatur, quo perseveret in eo regno, sed utrumque facit solus Spiritus in nobis, nos sine nobis recreans et conservans recreatos, ut et Iacobus*) dicit: Voluntarie genuit nos verbo virtutis suae, ut essemus initium creaturae eius, loquitur de renovata creatura. Sed non operatur sine nobis, ut quos in hoc ipsum recreavit et conservat, ut operaretur in nobis et nos ei cooperaremur. Sic per nos praedicat, miseretur pauperibus, consolatur afflictos, verum quid hinc libero arbitrio tribuitur? imo quid ei relinquitur nisi nihil? et vere nihil.

Lege igitur hic diatriben per quinque vel sex chartas, ubi istiusmodi similitudinibus, tum pulcherrimis locis et parabolis ex Evangelio et Paulo adductis, aliud nihil agit, quam quod nos docet, in Scripturis inveniri loca (ut ait) innumerabilia, quae cooperationem et auxilia Dei tradant. Ex quibus si tunc ego colligam, Homo nihil potest nisi auxiliante Dei gratia, igitur nulla sunt opera hominis bona, ipsa contra sic colligit inversione rhetorica: Imo (inquit) homo nihil non potest auxiliante Dei gratia, igitur omnia opera hominis possunt esse bona, quot igitur sunt loca in Scripturis divinis, quae meminerunt auxilii, tot sunt, quae statuunt liberum arbitrium, at ea sunt innumerabilia. Itaque vicero, si res aestimetur testimoniorum numero. Haec illa. Satin' sobriam diatriben putas aut mente sana fuisse, cum haec scriberet? Nam malitiae et nequitiae eius non tribuam. nisi taedio forte perpetuo me voluerit enecare, dum ubique similis sibi semper alia tractat, quam instituit. Sed si illam delectavit ineptire in re tanta, delectet et nos ineptias eius voluntarias publice traducere.

Primum nos neque disputamus neque ignoramus, omnia opera hominis posse esse bona, si fiant auxiliante Dei gratia, deinde hominem nihil non posse auxiliante Dei gratia. Tuam vero non satis

---

*) Iacob. 1.

possumus admirari negligentiam, qui cum de liberi arbitrii vi instituisses scribere, scribis de vi gratiae Dei, deinde, ac si omnes homines essent trunci et lapides, audes in publico dicere, liberum arbitrium statui per loca Scripturae, quae auxilium gratiae Dei commendant, nec solum hoc audes, sed et encomion cantas victor triumphatorque gloriosissimus. Nunc vere scio ex hoc ipso dicto et facto tuo, quid sit et valeat liberum arbitrium, scilicet insanire. Quid esse potest, quaeso, in te, quod sic loquitur, nisi ipsum liberum arbitrium?

Audi tamen tuas consequentias: Scriptura commendat gratiam Dei, ergo probat liberum arbitrium, commendat auxilium gratiae Dei, ergo statuit liberum arbitrium. Qua dialectica didicisti has collectiones? Cur non contra: Gratia praedicatur, ergo liberum arbitrium tollitur, auxilium gratiae commendatur, ergo liberum arbitrium destruitur? Ad quid enim confertur gratia? An ad hoc, ut superbia liberi arbitrii per sese satis robusti gratia velut superfluo ornamento diebus bacchanalibus gestiat et ludat. Quare et ego invertam collectionem, licet non rhetor, firmiori tamen rhetorica quam tu: Quotquot sunt loca in Scripturis divinis, quae meminerunt auxilii, tot sunt, quae tollunt liberum arbitrium. Atque ea sunt innumerabilia. Itaque vicero, si res aestimetur testimoniorum numero. Nam ideo gratia opus est, ideo auxilium gratiae confertur, quod liberum arbitrium per sese nihil possit, et, ut ipsamet dixit, opinione illa probabili non possit velle bonum. Commendata itaque gratia et praedicato auxilio gratiae simul impotentia liberi arbitrii praedicatur. Haec est sana collectio et rata consequentia, quam nec inferorum portae subvertent.

Hic finem ponemus defendendis nostris a diatribe confutatis, ne liber crescat in immodicum, cetera, si quae digna sunt, inter asserenda nostra tractabuntur. Nam quod Erasmus in Epilogo repetit, si nostra stet sententia, frustra esse tot praecepta, tot minas, tot promissiones, nec meritis, nec demeritis, nec praemiis, nec suppliciis locum relinqui,

deinde difficile esse, ut misericordia, imo iustitia Dei defendatur, si Deus necessario peccantes damnet, et alia incommoda, quae sequuntur, quae summos viros ita moverunt, ut et subverterunt:

De his omnibus reddidimus superius rationem, nec patimur neque recipimus mediocritatem illam, quam nobis consulit bono, ut credo, animo, scilicet ut libero arbitrio perpusillum concedamus, quo facilius pugnantia Scripturae et incommoda praedicta tollantur, nam ista mediocritate nihil est causae consultum, neque quidquam profectum, nisi enim totum et omnia libero arbitrio tribueris, exemplo Pelagianorum, manet nihilominus Scripturae pugnantia, tollitur meritum et praemium, tollitur misericordia et iustitia Dei et omnia manent incommoda, quae vitare volumus per liberi arbitrii modiculam et inefficacem vim, ut satis docuimus [1]. Ideo ad extrema eundum est, ut totum negetur liberum arbitrium et omnia ad Deum referantur, sic non pugnabunt Scripturae, et incommoda, si non tolluntur, feruntur.

Hoc autem deprecor, mi Erasme, nec credas me causam hanc studio magis, quam iudicio agere. Non patior me insimulari eius hypocrisis, ut aliter sentiam et aliter scribam, nec defensionis calore (ut tu scribis de me) huc provectus sum, ut nunc primum negem totum liberum [2], qui antea nonnihil illi tribuerim. Nec hoc tu uspiam mihi in libellis meis ostendes, scio. Exstant themata et problemata, in quibus perpetuo asserui usque in hanc horam, liberum arbitrium esse nihil et rem (eo verbo tum utebar) de solo titulo. Veritate victus et disputatione provocatus ac compulsus sic sensi et scripsi. Quod autem vehementius egerim, agnosco culpam, si culpa est, imo testimonium hoc mihi in mundo reddi in causa Dei, mirifice gaudeo. Atque utinam et ipse Deus id testimonii in novissimo die confir-

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: ut satis supra docuimus.
2) In ed. Ien.: liberum arbitrium.

maret. Quis enim tum beatior Luthero, qui tanto sui seculi testimonio commendatur, quod veritatis causam non segniter, nec fraudulenter, sed vehementer satis vel potius nimio egerit? Tum illud Ieremiae feliciter evaserim: Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.

Si vero et in tuam diatriben acerbior videbor, ignosces mihi, neque enim id maligno animo facio, sed movit, quod autoritate tua causam hanc Christi vehementer premebas, licet eruditione et re ipsa nihil praestares. Iam quis sic imperet stilo ubique, ut non alicubi ferveat? Tu qui prae modestiae studio paene friges in hoc libro, tamen non raro ignita et amarulenta tela iacularis, ut, nisi lector multum aequus ac favens sit, virulentus videaris. Sed haec nihil ad causam, quae invicem libenter condonare debemus, ut sumus homines et humani alienum in nobis nihil est.

Ad ultimam huius libri partem venimus, qua [1]), ut promisimus, copias nostras producere debemus contra liberum arbitrium. Sed eas non producemus omnes, quis enim hoc effecerit parvo libello, cum universa Scriptura a nobis stet per singulos apices et literas? Nec est opus, tum quod iam victum ac prostratum sit liberum arbitrium duplici victoria, altera, ubi omnia contra ipsum stare probamus, quae pro se facere putabat, altera, ubi invicta adhuc permanere ostendimus, quae confutare voluit, tum etiamsi victum nondum esset, satis fuerit effectum, si uno aut altero telo prosternatur. Quid enim opus est hostem uno aliquo telo occisum multis aliis telis confodere mortuum? Brevius itaque, si res passa fuerit, nunc agemus, atque e tanto numero exercituum duos proferemus duces cum aliquot suis legionibus, Paulum videlicet et Iohannem Evangelistam.

Paulus ad Romanos scribens sic ingreditur disputationem adversus liberum arbitrium pro gratia

1) In ed. 1526: quam.

Dei, revelatur (inquit*)) ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Audis hic generalem sententiam super omnes homines, quod sint sub ira Dei; hoc quid est aliud, quam esse ira et supplicio dignos? Causam irae assignat, quod gerant non nisi ira et supplicio digna, nempe quod impii et iniusti sint omnes et veritatem detineant in iniustitia. Ubi nunc vis liberi arbitrii, quae conetur aliquid boni? Paulus id facit ira Dei dignum, et impium et iniustum decernit; quod vero iram meretur et impium est, id contra gratiam conatur et valet, non pro gratia.

Ridebitur hic oscitantia Lutheri, qui Paulum non satis inspexerit, dicetque aliquis, Paulum ibi non de omnibus hominibus nec de omnibus eorum studiis, sed de iis tantum loqui, qui sunt impii et iniusti, atque, ut verba habent, de iis, qui veritatem in iniustitia detinent; hinc non sequi, quod omnes sint eiusmodi. Hic ego dico, apud Paulum idem valere, si dixeris, super omnem impietatem hominum, atque si dixeris, super impietatem omnium hominum. Ebraicatur enim Paulus fere ubique, ut sit sensus: Omnes homines sunt impii et iniusti, detinentque veritatem in iniustitia, ideo omnes sunt ira digni. Deinde in graeco non ponitur relativum, eorum qui, sed articulus hoc modo: Revelatur ira Dei super impietatem et iniustitiam hominum, detinentium veritatem in iniustitia, ut hoc velut epitheton sit omnium hominum, quod veritatem in iniustitia detinent, sicut epitheton est, cum dicitur: Pater noster, qui es in coelis, quod sic alias diceretur: Pater noster coelestis, vel in coelis. Dicitur enim ad differentiam eorum, qui credunt et pii sunt.

Sed frivola et vana sint haec, nisi ipsa disputatio Pauli ea cogat et evincat. Paulo enim ante dixerat: Evangelium virtus Dei est, in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco. Hic non sunt

---

*) Rom. 1.

obscura aut ambigua verba, Iudaeis et Graecis, id est, omnibus hominibus est necessarium Evangelium virtutis Dei, ut credentes salvi fiant ab ira revelata. Obsecro, qui Iudaeos, iustitia, lege Dei et vi liberi arbitrii pollentes, sine discrimine vacuos et egentes praedicat virtute Dei, qua salvi sint[1]) ab ira revelata, et necessariam eam virtutem illis facit, an non sub ira eos esse censet? Quos iam dabis homines non obnoxios irae Dei, quando summos homines mundi, puta Iudaeos et Graecos, tales esse credere cogeris. Deinde quos inter ipsos Iudaeos et Graecos excipies, quando Paulus sine ullo discrimine, omnes uno verbo complexos, omnes eidem sententiae subiicit? An putandum est, in istis duabus praestantissimis nationibus non fuisse homines, qui ad honesta niterentur? an non conati sunt ulli pro viribus liberi arbitrii? Sed nihil hoc Paulus moratur? omnes sub iram mittit, omnes impios et iniustos praedicat. Ita et reliquos apostolos nonne simili sermone et omnes gentes alias, quemlibet in forte sua, sub iram hanc coniecisse credendum est?

Fortiter itaque stat et urget hic locus Pauli, liberum arbitrium seu praestantissimum in hominibus, quamvis praestantissimis, lege, iustitia, sapientia et omnibus virtutibus praeditis, esse impium, iniustum et ira Dei dignum. Alioqui disputatio Pauli nihil valet; si autem valet, nullum relinquit medium partitio sua, qua credentibus Evangelio salutem, ceteris omnibus iram distribuit, credentes iustos, non credentes facit impios, iniustos et irae subiectos. Tantum enim vult dicere: Iustitia Dei revelatur in Evangelio, quod sit ex fide, ergo omnes homines sunt impii et iniusti. Stultus esset enim Deus, qui hominibus iustitiam revelaret, quam iam vel nossent vel cuius semina haberent. Cum autem stultus non sit, et tamen revelat illis iustitiam salutis, manifestum est, liberum arbitrium, etiam in summis hominibus, non solum non habere vel posse

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: fiant.

aliquid, sed ne nosse quidem, quid sit iustum coram Deo: nisi forte iustitia Dei non revelatur summis illis hominibus, sed solum infimis, contra quam Paulus *) gloriatur, quod sit debitor Iudaeis et Graecis, sapientibus et insipientibus, barbaris et Graecis. Quare Paulus hoc loco prorsus omnes homines una massa comprehendens concludit, omnes esse impios, iniustos, et ignaros iustitiae et fidei, tantum abest, ut aliquid boni velle aut facere possint. Et haec conclusio firma est ex eo, quod Deus illis, ut ignaris et in tenebris sedentibus, revelat iustitiam salutis, ergo per sese ignorant. Ignorantes autem iustitiam salutis certe sub ira et damnatione sunt, nec inde sese propter ignorantiam evolvere possunt, aut conari, ut evolvantur. Quid enim coneris, si nescieris, quid, qua, quo, aut quatenus conandum sit?

Consentit cum hac conclusione res ipsa et experientia. Nam ostende mihi in universo genere mortalium unum, sit ille omnium sanctissimus et iustissimus, cui unquam in mentem venerit, hanc esse viam ad iustitiam et ad salutem, scilicet credere in eum, qui sit simul Deus et homo, pro peccatis hominum mortuus et suscitatus et collocatus ad dexteram Patris, aut somniarit hanc iram Dei, quam Paulus hic revelari de coelo dicit. Vide philosophos summos, qui de Deo senserint, quid de futura ira scriptum reliquerint. Vide Iudaeos, tot signis, tot prophetis assidue eruditos, quid de hac via sentiant, non modo non receperunt, sed ita oderunt, ut nulla natio sub coelo atrocius sit Christum persecuta usque in hodiernum diem. At in tanto populo dicere non fuisse aliquem unum, qui liberum arbitrium coluerit, et vi eius conatus fuerit, quis audeat dicere? Qui fit igitur, ut omnes in diversum conentur, et id, quod praestantissimum fuit in praestantissimis hominibus, hanc rationem iustitiae non solum non coluerit, non solum ignorarit, sed etiam publicatam et revelatam summo odio repulerit et perditum voluerit? Ita ut Paulus

*) Rom. 1.

1. Corinth. 1. dicat eam viam esse scandalum Iudaeis et stultitiam gentibus.

Cum autem Indaeos et gentes sine discrimine appellet, et Iudaeos ac gentes praecipuos populos sub coelo esse certum sit, simul certum est, liberum arbitrium esse nihil aliud, quam summum hostem iustitiae et salutis humanae, cum fieri non potuerit, quin aliquod inter Iudaeos et gentes summa vi liberi arbitrii egerint et conati sint, et tamen eo ipso non nisi bellum contra gratiam gesserint. Tu nunc vade et dic, quod liberum arbitrium conetur ad bonum, cui ipsa bonitas et iustitia scandalum et stultitia sunt. Nec potes dicere, haec ad aliquos, non ad omnes pertinere. Paulus sine discrimine loquitur de omnibus, cum dicit: Gentibus stultitia et Iudaeis scandalum, nec ullos excipit nisi credentes. Nobis (inquit), id est vocatis et sanctis, est virtus et sapientia Dei. Non dicit aliquibus gentibus, aliquibus Iudaeis, sed simpliciter gentibus et Iudaeis (inquit), qui non sunt ex nobis, manifesta partitione separans credentes ab incredulis, nullo relicto medio. Nos autem disputamus de gentibus citra gratiam agentibus, his dicit Paulus iustitiam Dei esse stultitiam, quam abhorrent, atque is est ille laudabilis conatus liberi arbitrii ad bonum.

Deinde vide, an non summos homines inter Graecos ipsemet adducat, ubi dicit, eos infatuatos esse et cor eorum obscuratum, qui sapientiores inter eos fuerunt, item vanos factos dialogismis suis, hoc est suis argutis disputationibus.

Obsecro, an hic non tangit summum illud et praestantissimum in Graecis hominibus, dum eorum dialogismos tangit? Hae[1]) enim sunt eorum summae et optimae cogitationes et opiniones, quas pro solida sapientia habuerunt. At hanc sapientiam, ut alibi stultam, ita hic vanam esse in illis dicit, et eo progressam multa conando, ut peior fieret, et tandem corde obscurato idola colerent, et sequen-

---

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: hi.

tia monstra patrarent, quae commemorat. Si igitur optimum studium et opus in optimis gentium malum et impium est, quid de reliquo vulgo velut peioribus gentibus sentias? Neque enim et hic discrimen inter optimos facit, dum nullo personarum respectu studium sapientiae eorum damnat, damnato autem ipso opere vel studio damnantur quicunque illi studuerint, etiamsi fecerint summa vi liberi arbitrii. Ipse, inquam, optimus conatus eorum vitiosus asseritur, quanto magis ii, qui illo exercentur?

Sic et mox*) Iudaeos sine ullo discrimine reiicit, qui litera, et non spiritu Iudaei sunt. Tu (inquit) per literam et circumcisionem Deum inhonoras; item: Non enim is Iudaeus est, qui in manifesto Iudaeus est, sed qui occulto[1]) Iudaeus est.

Quid hac partitione manifestius? Iudaeus manifestus est transgressor legis. At quantos putas fuisse Iudaeos citra fidem viros sapientissimos, religiosissimos, honestissimos, qui summo conatu ad iustitiam et veritatem connisi sunt? Sicut illis testimonium saepe perhibet, quod zelum Dei habent[2]), quod iustitiam legis sectentur, quod diu noctuque studeant ad salutem venire, quod sine querela vivant; et tamen transgressores sunt legis, quia non sunt in spiritu Iudaei[3]); imo pertinaciter resistunt iustitiae fidei: quid igitur reliquum est, quam liberum arbitrium, dum optimum est, pessimum esse, et quo magis conatur, hoc peius fieri et habere? Clara sunt verba, certa est partitio, non est quod contra dici queat.

Sed ipsummet Paulum sui interpretem audiamus, Cap. 3. velut epilogum faciens dicit: Quid ergo? praecellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse.

Ubi nunc liberum arbitrium? Omnes (inquit)

---

*) Rom. 2. 1) In ed. Ien.: in occulto. 2) Ibidem: habeant. 3) In ed. 1526 desunt verba: Iudaei — fidei, repetita sunt ex ed. 1525 et ed. Ienensi.

Iudaei et Graeci sub peccato sunt. An hic tropi sunt, aut nodi? Quid valeat interpretatio totius mundi adversus hanc clarissimam sententiam? Neminem excipit, qui dicit Omnes, nihil relinquit boni, qui eos sub peccato esse, id est servos peccati, definit. Ubi autem hanc causam dixit, quod omnes Iudaei et gentes sint sub peccato? Nusquam nisi ubi nos monstravimus, scilicet quando dicit*): Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniquitatem hominum. Et id sequenter probat per experientiam, quod ingrati Deo, tot vitiis subiecti fuerint, velut fructibus impietatis suae convicti, quod nihil nisi malum velint et faciant. Tum Iudaeos seorsum iudicat, cum Iudaeum litera transgressorem esse dicit, idque similiter fructibus et experientia probat dicens**): Tu praedicas non furandum, et furaris, qui abominaris idola, sacrilegium facis; nullos prorsus excipiens, nisi sint spiritu Iudaei. Nec est quod hic effugias ac dicas: Licet sub peccato sint, tamen optimum in eis, ut ratio et voluntas, habet conatum ad bonum. Si enim conatus reliquus est bonus, falsum est, quod eos sub peccato esse dicit. Cum enim Iudaeos et gentes nominet, simul comprehendit, quicquid in gentibus et Iudaeis est, nisi Paulum inversurus velis ita scripsisse: Omnium Iudaeorum et gentium caro (id est) crassiores affectus sub peccato esse, sed ira de coelo revelata super eos, totos [1]) est damnatura, nisi spiritu iustificentur, quod non fieret, nisi toti essent sub peccato.

Videamus vero, quomodo Paulus suam sententiam ex sacris literis probet, an fortius pugnent verba in Paulo, quam in loco suo. Sicut scriptum est (inquit): Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et reliqua.

Hic mihi det interpretationem commodam, qui

---

*) Rom. 1. **) Rom. 2. 1) In ed. 1526: totus.

potest, fingat tropos, causetur verba esse ambigua et obscura, et defendat liberum arbitrium adversus has damnationes, qui audet. Tum et ego libens cedam et recantabo, eroque et ipse liberi arbitrii confessor et assertor. Certum est, haec dici de omnibus hominibus. Propheta enim inducit Deum prospicientem super omnes homines et ferentem super eos hanc sententiam. Sic enim dicit Psal. 14[1]): Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videret, an sit intelligens aut requirens Deum; sed omnes declinaverunt etc. Et ne Iudaei putarent ad sese non pertinere, praevenit Paulus, asserens ad eos maxime pertinere.

Scimus (inquit) quaecunque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur. Hoc idem voluit, ubi dixit: Iudaeo primum et Graeco.

Audis igitur omnes filios hominum, omnes qui sunt in lege, id est, tam gentes quam Iudaeos, coram Deo tales iudicari, qui iniusti sint[2]), non intelligant, nec requirant Deum, ne unus quidem, omnes vero declinent et inutiles sint. Arbitror autem inter filios hominum, ac eos, qui sub lege sunt, numerari etiam eos, qui sunt optimi et honestissimi, qui vi liberi arbitrii conantur ad honesta et ad bonum, et quos iactat diatribe habere sensum et semina honesti insita, nisi angelorum forte filios esse contendat.

Quomodo igitur conantur ad bonum, qui omnes in universum ignorant Deum, nec curant aut requirunt Deum? Quomodo habent vim utilem ad bonum, qui omnes declinant a bono, et sunt prorsus inutiles? An ignoramus, quid significet ignorare Deum, non intelligere, non requirere Deum, non timere Deum, declinare et inutiles esse? Nonne verba clarissima sunt, et id docent, quod omnes homines et nesciunt Deum et contemnunt Deum, deinde declinant ad malum, et sunt inutiles ad bonum? Neque enim hic agitur de ignorantia quae-

---

1) In ed. 1525 et. 1526: 13. 2) In ed. 1526: sunt, intelligunt.

rendi victus, aut de contemptu pecuniae, sed de ignorantia et contemptu religionis et pietatis. At ea ignorantia et contemptus procul dubio non sunt in carne et inferioribus crassioribusque affectibus, sed in summis illis et praestantissimis viribus hominum, in quibus regnare debet iustitia, pietas, cognitio et reverentia Dei, nempe in ratione et voluntate, atque adeo in ipsa vi liberi arbitrii, in ipso semine honesti, seu praestantissimo, quod est in homine.

Ubi nunc es, mea diatribe, quae superius promittebas, te assensuram libenter, praestantissimum in homine esse carnem, id est impium, si id Scripturis probaretur? Assentire nunc igitur, cum audis praestantissimum in omnibus hominibus non solum impium, sed ignarum Dei, contemnens Dei, versum ad malum et inutile ad bonum esse. Quid est enim esse iniustum, nisi voluntatem (quae est praestantissimarum rerum una) esse iniustam? Quid est esse non intelligentem Dei et boni, nisi rationem (quae est praestantissimarum rerum altera) esse ignaram Dei et boni, hoc est caecam in cognitione pietatis? Quid est declinare et inutiles esse, nisi homines nulla sui parte, tum minime partibus suis praestantissimis valere quidquam ad bonum, sed tantum ad malum? Quid est non timere Deum, nisi homines omnibus suis partibus, maxime potioribus illis, esse contemptores Dei? Esse autem contemptores Dei est esse simul contemptores omnium rerum Dei, puta verborum, operum, legum, praeceptorum, voluntatis Dei. Quid nunc ratio dictet recti, quae caeca est et ignara? Quid voluntas eligat boni, quae mala et inutilis est? Imo quid sequatur voluntas, cui ratio nihil dictet, nisi caecitatis et ignorantiae suae tenebras? Errante igitur ratione et aversa voluntate quid boni facere queat homo aut conari?

Sed sophisticari forte quis audeat: Licet voluntas declinet, et ratio ignoret actu, potest tamen voluntas aliquid conari, et ratio aliquid nosse suis viribus, cum multa possimus, quae tamen non fa-

cimus; de vi potentiae scilicet, non de actu disputamus.

Respondeo: Verba prophetae includunt et actum et potentiam; et idem est dicere: Homo non requirit Deum, ac si dicas: Homo non potest requirere Deum. Quod inde colliges, quia, si esset potentia aut vis in homine boni volendi, cum per omnipotentiae divinae motum non sinatur quiescere aut feriari, ut supra docuimus, fieri non posset, quin in aliquod vel saltem in uno aliquo moveretur, et usu aliquo ostenderetur. At hoc non fit, quia Deus*) de coelo prospicit, et ne unum quidem videt, qui requirat aut conetur; quare sequitur, eam vim nusquam esse, quae conetur aut velit requirere, sed omnes declinant potius. Deinde nisi de impotentia simul intelligeretur Paulus, disputatio sua nihil efficeret. Quia in hoc totus incumbit Paulus, ut gratiam necessariam faciat cunctis hominibus. Si autem per sese aliquid possent incipere, gratia non foret opus. Nunc autem, quia non possunt, opus est illis gratia. Ita vides liberum arbitrium hoc loco funditus tolli, nec quicquam boni aut honesti in homine relinqui, dum iniustus, ignarus Dei, contemptor Dei, aversus et inutilis coram Deo definitur, et satis fortiter pugnat propheta, tam suo loco, quam in Paulo eum allegante.

Nec parva res est, cum dicitur homo ignorare et contemnere Deum, fontes sunt hi omnium scelerum, sentina peccatorum, imo infernus malorum. Quid ibi non sit mali, ubi ignorantia et contemptus Dei fuerit? Breviter, regnum Satanae in hominibus nec brevioribus, nec plenioribus verbis potuit describi, quam quod eos diceret ignaros et contemptores Dei. Ibi est incredulitas, ibi inobedientia, ibi sacrilegia, ibi blasphemia erga Deum, ibi crudelitas, et immisericordia erga proximum, ibi amor sui in omnibus rebus Dei et hominum. Sic habes gloriam et potentiam liberi arbitrii.

Pergit vero Paulus**), et sese de omnibus ho-

*) Psalm. 14. **) Rom. 3.

minibus, et maxime de optimis et praestantissimis loqui testatur, dicens: ut obstruatur omnium os, et obnoxius fiat totus mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram illo.

Obsecro, quomodo obstruitur os omnium, si reliqua est adhuc vis, qua aliquid possumus? Licebit enim Deo dicere: Non prorsus nihil hic est, est aliquid, quod non queas damnare, ut quod dederis tu ipse aliquid posse, hoc saltem non silebit, nec erit obnoxium tibi. Si enim liberi arbitrii vis illa sana est et valet, falsum est, quod totus mundus Deo obnoxius seu reus est, cum illa vis non sit parva res aut in parva parte mundi, sed in toto mundo praestantissima et communissima, cui os obstrui non debet, aut si obstrui os eius debet, oportet, ut cum toto mundo obnoxium Deo sit et reum. Reum vero quo iure dicetur, nisi iniustum et impium, hoc est poena et vindicta dignum fuerit?

Videam[1]), quaeso, qua interpretatione vis illa hominis absolvatur a reatu, quo totus mundus Deo est obstrictus, aut qua arte excipiatur, ne in toto mundo comprehendatur. Grandia sunt tonitrua et penetrantia fulmina vereque malleus ille conterens petram (ut Ieremias*) vocat) ista verba Pauli: Omnes declinaverunt, totus mundus est reus, non est iustus quisquam, quibus conteritur, quidquid est, non modo in uno homine, aut aliquibus, aut aliqua eorum parte, sed etiam in toto mundo, in omnibus, nullo prorsus excepto, ut mundus totus ad eas voces tremere, pavere et fugere debuerit. Quid enim grandius et fortius potuit dici, quam: Totus mundus est reus, omnes filii hominum sunt aversi et inutiles, nullus timet Deum, nullus est non iniustus, nullus intelligit, nullus requirit Deum. Nihilominus tanta fuit et est duritia et insensata cordis nostri obstinacia, ut haec tonitrua et fulmina neque audiremus neque sentiremus, sed liberum arbitrium et

---

1) In ed. Ien.: videat. *) Ierem. 23.

vires eius interim simul adversus haec omnia extolleremus, et statueremus, ut vere illud impleverimus Malach. 1: Illi aedificant, ego destruam.

Eadem grandiloquentia dicitur et illud: Ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram illo. Grande verbum est, Ex operibus legis, quemadmodum et illud, Totus mundus, aut illud, Omnes filii hominum. Nam observandum est, quod Paulus personis abstinet, et studia memorat, scilicet, ut involvat omnes personas, et quicquid praestantissimum in illis est. Nam si dixisset, vulgus Iudaeorum, aut Pharisaei, aut aliquot impii non iustificantur, poterat videri aliquos fecisse reliquos, qui vi liberi arbitrii et adminiculo legis non prorsus essent inutiles. At cum ipsa legis opera damnet et impia faciat coram Deo, manifestum fit, quod omnes, qui studio legis et operum pollebant, damnat. Studebant autem legi et operibus non nisi optimi et praestantissimi, idque non nisi optimis et praestantissimis sui partibus, ratione scilicet et voluntate.

Si igitur ii, qui summo studio et conatu tum rationis tum voluntatis, id est tota vi liberi arbitrii, in lege et operibus exercebantur, tum ipsa lege ceu divino auxilio adiuvabantur, qua erudiebantur et excitabantur, si, inquam, ii damnantur impietatis, quod non iustificentur, sed caro esse definiuntur coram Deo, quid iam reliquum est in toto hominum genere, quod non caro et impium sit? Omnes enim ex aequo damnantur, qui sunt ex operibus legis, sive enim summo studio, sive mediocri, sive nullo in lege exerciti sunt, nihil refert. Omnes non nisi opera legis praestare potuerunt, opera autem legis non iustificant, si non iustificant, impios arguunt et relinquunt suos operatores, impii vero rei et ira Dei digni sunt; haec sunt tam clara, ut ne mutire contra quisquam possit.

At solent hic eludere Paulum et evadere, quod opera legis vocet ceremonialia opera, quae post mortem Christi sint mortifera.

Respondeo: Hic est error ille et ignorantia Hieronymi, cui licet Augustinus fortiter restiterit, tamen deserente Deo et praevalente Satana dimanavit in mundum et permansit in hodiernum diem. Quo et factum est, ut impossibile fuerit Paulum intelligere, et Christi notitiam oportuerit obscurari. Atque si nullus praeterea fuisset error in ecclesia, iste unus satis pestilens et potens fuit ad vastandum Evangelium, quo, nisi singularis gratia intercessit, infernum potius quam coelum Hieronymus meruit, tantum abest, ut ipsum canonisare aut Sanctum esse audeam dicere. Non est verum igitur, Paulum de ceremonialibus operibus tantum loqui, alioqui quomodo stabit sua disputatio, qua concludit, omnes esse iniustos et gratia indigere? Diceret enim aliquis: Esto, ex ceremonialibus operibus non iustificemur, at ex moralibus Decalogi quis iustificari posset? Quare tuo syllogismo illis non probasti necessariam gratiam. Tum quam utilis fuerit illa gratia, quae solum a ceremonialibus operibus nos liberarit, quae sunt facillima omnium, et saltem metu vel amore sui possunt extorqueri.

Iam et illud erroneum est, opera ceremonialia esse mortifera et illicita post mortem Christi. Non hoc dixit unquam Paulus, sed dicit, quod non iustificent et homini nihil prosint coram Deo, quo ab impietate liber fiat. Cum hoc bene stat, ut ea quispiam faciat, et nihil illicitum tamen faciat, sicut edere et bibere opera sunt, quae non iustificant et Deo nos non commendant, at non ideo illicitum facit, qui edit et bibit.

Errant et in hoc, quod opera ceremonialia aeque erant praecepta et exacta in veteri lege atque Decalogus, et ideo haec neque minus neque magis valebant quam illa, Iudaeis autem primum loquitur Paulus, ut dicit Roma. 1; quare nemo dubitet, per opera legis intelligi omnia opera totius legis. Nam ne legis quidem opera dicenda sunt, si lex abrogata et mortifera est, lex enim abrogata iam lex non est. Id quod pulchre sciebat Pau-

lus, ideo non de abrogata lege[1]) dicit, cum opera legis memorat, sed de lege valente et regnante. Alioqui quam fuisset illi facile dicere: Lex ipsa iam est abrogata? Id quod fuisset aperte et clare dictum. Sed afferamus ipsummet Paulum, sui interpretem optimum, qui in Galat. 3. dicit: Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Vides hic Paulum, ubi eandem causam, quam ad Romanos et eisdem verbis agit, de omnibus legibus in libro legis scriptis loqui, quoties opera legis memorat.

Et quod mirabilius est, ipse citat Mosen, qui maledicat non permanentes in lege, cum tamen maledictos praedicet, qui sunt ex operibus legis, contrarium locum contrariae sententiae adducens, cum ille negativus, hic affirmativus sit. Sed hoc facit, quod res ita habet coram Deo, ut qui maxime student operibus legis, minime legem implent, eo quod spiritu carent, legis consummatore, quam viribus suis tentare quidem possint, sed nihil efficiant. Ita utrumque verum est, quod iuxta Mosen maledicti sint, qui non permanent, et iuxta Paulum maledicti sint, qui sunt ex operibus legis, uterque enim spiritum exigit, sine quo opera legis, quantumlibet fiant, non iustificant, ut Paulus dicit, quare nec permanent in omnibus, quae scripta sunt, ut Moses dicit.

Summa, Paulus partitione sua satis confirmat hoc, quod dicimus, dividit enim homines operatores legis in duo, alios facit spiritu operatores, alios carne operatores, nullo relicto medio; sic enim dicit *): Non iustificabitur ulla caro ex operibus legis. Quid est hoc aliud, quam illos sine spiritu operari in lege, cum sint caro, id est, impii et ignari Dei, quibus ea opera nihil prosint. Sic Gal. 3.

---

1) In ed. 1526: ideo non abrogata lege; nostra lectio repetita est ex ed. 1525 et ed. Ien. *) Rom. 3.

eadem partitione usus dicit: Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? et rursus Rom. 3: Nunc sine lege manifestata est iustitia Dei; et iterum *): Arbitramur hominem iustificari ex fide sine operibus legis. Quibus omnibus perspicuum et clarum fit, apud Paulum opponi spiritum operibus legis, non aliter quam omnibus aliis rebus non spiritualibus universisque carnis viribus et nominibus, ut sententiam Pauli hanc esse certum sit cum Christo Ioan. 3: Omne quod non est ex spiritu, carnem esse, sit etiam quantumvis speciosum, sanctum, praestans, atque adeo ipsamet opera legis divinae pulcherrima, quibuscunque tandem viribus expressa. Spiritu enim Christi opus est, sine quo nihil sunt omnia, nisi damnabilia. Ratum itaque esto, Paulum per opera legis non ceremonialia, sed omnia totius legis opera intelligere. Ratum simul erit: In operibus legis damnari quicquid est sine spiritu. At sine spiritu est vis illa liberi arbitrii, de hac enim disputamus, praestantissimum, scilicet in homine. Esse enim ex operibus legis est id, quo nihil excellentius de homine potest dici, non enim dicit, qui sunt ex peccatis et impietate contra legem, sed qui ex operibus legis, hoc est, optimi et studiosi legis, qui ultra vim liberi arbitrii, etiam lege adiuti, hoc est, eruditi et exercitati fuerunt.

Si igitur liberum arbitrium per legem adiutum, et in lege summis viribus versatum, nihil prodest neque iustificat, sed in impietate et carne relinquitur, quid posse putandum est se solo sine lege?

Per legem (inquit) cognitio peccati; ostendit hic, quantum et quatenus prosit lex, scilicet quod liberum arbitrium se solo adeo caecum sit, ut ne norit quidem peccatum, sed lege doctrice opus illi sit. At qui peccatum ignorat, quid ille conetur pro peccato auferendo? Hoc scilicet, quod peccatum pro non peccato, et non peccatum pro peccato iudicabit. Id quod experientia satis declarat, quam odiat et persequatur mundus per eos, quos opti-

*) Rom. 4.

mos et studiosissimos habet iustitiae et pietatis, iustitiam Dei, Evangelio praedicatam, et haeresim, errorem, ac pessimis aliis nominibus infamet, sua vero opera et consilia, quae vere peccatum et error sunt, pro iustitia et sapientia iactet et venditet[1]). Obstruit igitur hac voce Paulus os libero arbitrio, dum per legem illi peccatum ostendi docet, ceu ignaro peccati sui, tantum abest, ut ullam ei vim concedat conandi ad bonum.

Atque hic solvitur illa quaestio diatribes, toties toto libello repetita: Si nihil possumus, quid faciunt tot leges, tot praecepta, tot minae, tot promissiones? Respondet hic Paulus: Per legem cognitio peccati. Longe aliter respondet ad eam quaestionem, quam homo aut liberum arbitrium cogitat. Non (ait) probatur liberum arbitrium per legem, non cooperatur ad iustitiam, non enim per legem iustitia, sed cognitio peccati. Is enim est fructus, id opus, id officium legis, quod ignaris et caecis lux est, sed talis lux, quae ostendat morbum, peccatum, malum, mortem, infernum, iram Dei, sed non iuvat, nec liberat ab istis, ostendisse contenta est. Tum homo cognito morbo peccati tristatur, affligitur, imo desperat, lex non iuvat, multo minus ipse se iuvare potest. Alia vero luce opus est, quae ostendat remedium. Haec est vox Evangelii, ostendens Christum liberatorem ab istis omnibus. Hunc non ostendit ratio aut liberum arbitrium, et quomodo ostenderet, cum ipsamet sit ipsa tenebra, indigens luce legis, quae ostendat ei morbum, quem per suam lucem non videt, sed sanitatem esse credit?

Sic et in Galatis*) eandem quaestionem tractat dicens: Quid igitur lex? Respondet vero non diatribes modo, quod arguat esse liberum arbitrium, sed sic dicit: Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat. Propter trans-

---

1) In ed. 1526: vendicet; in ed. 1525 et Ien.: venditet. *) Galat. 3.

gressiones (inquit) non quidem coercendas, ut Hieronymus somniat, cum Paulus disputet hoc semini futuro promissum, ut peccata tollat et coerceat donata iustitia, sed propter transgressiones augendas, ut ad Rom. 5. dicit: Lex subintravit, ut abundaret peccatum; non quod non fierent aut non abundarent peccata sine lege, sed quod non cognoscerentur esse transgressiones, aut peccata tam grandia, sed plurima et maxima pro iustitia haberentur. Ignotis autem peccatis nullus est remedii locus neque spes, eo quod non ferant manum medentis, ut quae sibi sana videntur neque egere medico. Ideo necessaria est lex, quae notificet peccatum, ut nequitia et magnitudine eius cognita humilietur superbus et sanus sibi visus homo, et gratiam suspiret et anhelet in Christo propositam.

Vide ergo, quam simplex oratio: Per legem cognitio peccati, et tamen sola satis potens liberum arbitrium confundere et subvertere. Si enim hoc verum est, quod se solo nescit, quid sit peccatum et malum, ut et hic et Rom. 7 dicit: Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces, quomodo unquam sciet, quid sit iustitia et bonum? Ignorata iustitia quomodo conetur ad eam? Peccatum, in quo nati sumus, in quo vivimus, movemur et sumus, imo quod in nobis vivit, movet et regnat, ignoramus. Et quomodo iustitiam, quae extra nos in coelo regnat, nosceremus? Nimis nimis nihil faciunt haec dicta miserum illud liberum arbitrium.

His sic habentibus pronunciat Paulus*) cum plena fiducia et autoritate dicens: Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestatur, testificata a lege et prophetis, iustitia, inquam, Dei per fidem in Iesum Christum, in omnes et super omnes, qui credunt in eum. Non est enim distinctio, omnes enim peccaverunt et vacant gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Chri-

*) Rom. 3.

sto Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine eius etc.

Hic Paulus mera fulmina loquitur adversus liberum arbitrium, primum iustitia Dei sine lege (inquit) manifestatur, secernit iustitiam Dei a legis iustitia, quia iustitia fidei venit ex gratia sine lege. Hoc quod dicit, Sine lege, aliud nihil esse potest, quam quod iustitia Christiana constet sine operibus legis, sic quod opera legis nihil pro ea valeant aut faciant obtinenda. Sicut mox infra dicit: Nos arbitramur hominem iustificari per fidem absque operibus legis; et ut supra dixit: Ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram illo. Ex quibus omnibus manifestissimum est, conatum aut studium liberi arbitrii nihil esse prorsus, quia, si sine lege et sine operibus legis iustitia Dei constat, quomodo non multo magis sine libero arbitrio constet? cum id sit[1]) summum studium liberi arbitrii, si iustitia morali seu operibus legis exerceatur, qua ipsius caecitas et impotentia iuvatur. Tollit haec vox Sine opera moraliter bona, tollit iustitiam moralem, tollit praeparationes ad gratiam, denique finge quicquid poteris, quod valeat liberum arbitrium, perstabit Paulus et dicet: Sine tali constat iustitia Dei. Atque ut dem liberum arbitrium per conatum suum aliquo posse promoveri, videlicet ad opera bona vel ad iustitiam legis civilis vel moralis, ad iustitiam Dei tamen non promovetur, nec ullo respectu dignatur eius studia Deus ad suam iustitiam, dum dicit, sine lege suam iustitiam valere. Si vero ad iustitiam Dei non promovet, quid profuerit illi, si operibus et conatibus suis promoveret (si possit fieri) etiam ad angelorum sanctimoniam? Arbitror hic non esse verba obscura vel ambigua, nec tropis ullis locum relinqui, quia distinguit Paulus manifeste duas iustitias, alteram legis, alteram gratiae tribuens, et hanc sine illa et absque operibus eius donari,

1) In ed. 1526 deest: sit; nostra lectio repetita est ex ed. 1525 et ed. Ien.

illam vero sine hac non iustificare nec quicquam valere. Videam igitur, quomodo liberum arbitrium adversus haec subsistere et defendi queat.

Alterum fulmen, quod iustitiam Dei manifestari et valere dicit in omnes et super omnes, qui credunt in Christum, neque ullam esse distinctionem.

Iterum clarissimis verbis universum genus hominum in duo dividit: Credentibus dat iustitiam Dei, non credentibus aufert. Iam nemo tam insanus est, qui dubitet, liberi arbitrii vim aut conatum aliud quippiam esse, quam fidem in Iesum Christum. At Paulus, quidquid extra fidem hanc est, negat esse iustum coram Deo. Si iustum non fuerit coram Deo, peccatum esse necesse est. Neque enim apud Deum relinquitur medium, inter iustitiam et peccatum, quod velut neutrum sit, quasi nec iustitia nec peccatum. Alioqui disputatio tota Pauli nihil efficeret, quae procedit ex partitione illa: Aut iustitiam, aut peccatum esse apud Deum, quicquid in hominibus fit et geritur, iustitiam, si fides adsit, peccatum, si fides desit. Apud homines sane ita habet res, ut media et neutralia sint, in quibus homines invicem neque debent quicquam, neque praestant quicquam. In Deum peccat impius, sive edat, sive bibat, aut quidquid fecerit, quia abutitur creatura Dei cum impietate et ingratitudine perpetua, nec ex animo dat gloriam Deo ullo momento.

Est et hoc non leve fulmen, quod dicit: Omnes peccaverunt, et vacant gloria Dei, nec ulla est distinctio.

Obsecro quid clarius dici possit? Da operarium liberi arbitrii, et responde, an conatu illo suo etiam peccet. Si non peccat, cur Paulus eum non excipit, sed involvit sine distinctione? Certe, qui Omnes dicit, neminem ullo loco, ullo tempore, ullo opere, ullo studio excipit. Si enim ullius studii aut operis hominem exceperis, falsum Paulum feceris? Quia et operator et conator ille liberi arbitrii etiam inter omnes et in omnibus numeratur, et eum revereri debuerat Paulus, ne tam libere et genera-

liter inter peccatores numeraret[1]). Sic et illud: Quod eos gloria Dei inanes dicit. Gloriam Dei hic possis bifariam accipere, active et passive, hoc facit Paulus suis Ebraismis, quibus crebro utitur. Active gloria Dei est, qua ipse in nobis gloriatur, passive, qua nos in Deo gloriamur. Mihi tamen passive accipi debere nunc videtur, ut fides Christi latine sonat, quam Christus habet, sed Ebraeis fides Christi intelligitur, quae in Christum habetur. Sic iustitia Dei latine dicitur, quam Deus habet, sed Ebraeis intelligitur, quae ex Deo et coram Deo habetur. Ita gloriam Dei non latine, sed Ebraice accipimus, quae in Deo et coram Deo habetur, et gloria in Deo dici posset. Gloriatur igitur in Deo, qui certo scit, Deum esse sibi faventem et dignantem sese respectu benevolo, ut placeant coram eo, quae facit, aut condonentur et tolerentur, quae non placent.

Si igitur liberi arbitrii conatus aut studium non est peccatum, sed bonum coram Deo, certe potest gloriari, et cum fiducia in ea gloria dicere, hoc placet Deo, huic favet Deus, hoc dignatur et acceptat, vel saltem tolerat et ignoscit Deus. Haec est enim gloria fidelium in Deo, quam qui non habent, potius confunduntur coram Deo, sed hoc negat hic Paulus, dicens, quod hac gloria sint prorsus inanes. Et hoc probat etiam experientia. Interroga mihi omnes in universum liberi arbitrii conatores, si unum poteris ostendere, qui serio et ex animo de ullo suo studio et conatu queat dicere: Hoc scio placere Deo, victus volo palmam concedere, sed scio, quod nullus reperietur. Si autem defuerit haec gloria, ut conscientia non audeat certo scire aut confidere, hoc placere Deo, certum est, quod non placet Deo. Quia sicut credit, sic habet, non enim credit sese certo placere, quod tamen necessarium est, cum hoc ipsum sit incredulitatis crimen, dubi-

1) In ed. 1526: numeret; in ed. 1525 et ed. Ien.: numeraret.

tare de favore Dei, qui sibi vult quām certissima fide credi, quod faveat. Ita teste ipsamet conscientia eorum convincimus, quod liberum arbitrium, cum vacet gloria Dei, sit incredulitatis crimine perpetuo reum cum omnibus viribus, studiis, conatibus suis.

Quid vero liberi arbitrii tutores dicent tandem ad illud, quod sequitur: Iustificati gratis per gratiam ipsius? Quid est hoc gratis? Quid est per gratiam ipsius? Quomodo conatus et meritum conveniunt cum gratuita et donata iustitia? Forte hic dicent, sese libero arbitrio quam minimum tribuere, nequaquam meritum condignum. Sed haec sunt verba inania. Hoc enim quaeritur per liberum arbitrium, ut meritis locus sit. Sic enim perpetuo causata diatribe expostulavit:

Si non est libertas arbitrii, ubi est meritis locus? Si meritis non est locus, ubi praemiis locus est? Cui imputabitur, si quis iustificetur sine meritis[1])?

Respondet hic Paulus, nullum esse meritum prorsus, sed gratis iustificari omnes, quotquot iustificantur, nec hoc ulli imputari, nisi gratiae Dei. Donata autem iustitia donatum est simul regnum et vita aeterna. Ubi nunc conatus? ubi studium? ubi opera? ubi merita liberi arbitrii? quis eorum usus? Obscuritatem et ambiguitatem causari non potes, res et verba sunt clarissima et simplicissima. Esto enim, quod libero arbitrio quam minimum tribuant, nihilominus iustitiam et gratiam eo minimo consequi nos posse docent. Neque enim ratione alia quaestionem illam dissolvunt: Cur Deus hunc iustificet, et illum deserat, quam statuendo liberum arbitrium, scilicet quod hic conatus sit, ille non sit conatus, et Deus hunc propter conatum respiciat, illum vero contemnat, ne sit iniustus, si secus fecerit.

Et quamvis lingua et calamo praetexant, sese

---

1) In ed. 1526 deest vocabulum: meritis, repetitum est ex ed. 1525 et ed. Ien.

condigno merito gratiam non consequi, nec ipsum appellent meritum condignum, tamen vocabulo nos ludunt, et rem nihilominus tenent. Quid enim excuset, quod meritum condignum non appellent, et tamen omnia ei tribuant, quae sunt meriti condigni? nempe, quod hic apud Deum gratiam consequitur, qui conatur, ille vero, qui non conatur, non consequitur. Nonne hoc est plane meriti condigni? Nonne Deum respectorem operum, meritorum et personarum faciunt? Scilicet, quod ille sua culpa gratia caret, quia non est conatus, hic vero quia conatus est, gratiam consequitur, non consecuturus, nisi conatus fuisset. Si hoc non est meritum condignum, velim doceri, quid tum meritum condignum dici possit? Hoc modo ludere posses in omnibus verbis et dicere: Meritum condigni quidem non est, efficit tamen, quod meritum condigni solet; spina non est arbor mala, sed efficit solum, quod arbor mala; ficus arbor bona non est, sed efficit, quod arbor bona solet; diatribe quidem non est impia, sed loquitur et facit solum quod impius.

Accidit istis liberi arbitrii tutoribus id, quod dicitur: Incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdim. Nam studio Pelagianis dissentiendi negare coeperunt meritum condignum, et eo ipso, quo negant, fortius statuunt, verbo et calamo negant, re ipsa et animo statuunt, duplicique nomine Pelagianis sunt peiores. Primum, quod Pelagiani simpliciter, candide et ingenue confitentur et asserunt meritum condignum, appellantes scapham scapham, ficum ficum, docentesque quod sentiunt. Nostri vero, idem cum sentiant et doceant, mendacibus tamen verbis et falsa specie nos ludunt, quasi Pelagianis dissentiant, cum nihil faciant minus, ut, si hypocrisin spectes, videamur Pelagianis accerrimi hostes, si rem et animum spectes, simus bis Pelagiani. Deinde quod hac hypocrisi gratiam Dei longe vilius et aestimamus et emimus, quam Pelagiani. Hi enim non esse aliquod pusillum in nobis asserunt, quo gratiam consequamur, sed tota, plena, perfecta, magna et multa esse studia et opera, no-

stri vero, minimum et fere nihil esse, quo gratiam meremur.

Si igitur errandum est, honestius illi errant et minus superbe, qui gratiam Dei magno constare dicunt, caram et pretiosam habentes, quam ii, qui parvi[1]) et pusillo eam constare docent, vilem et contemptibilem habentes. Sed Paulus utrosque in unam massam contundit uno verbo, cum dicit: Gratis omnes iustificari, item: Sine lege, sine operibus legis iustificari. Qui enim gratuitam iustificationem in omnibus iustificandis asserit, is nullos reliquos facit, qui operentur, mereantur, praeparentur, nullumque opus relinquit, quod congruum vel condignum dici possit, conteritque uno fulminis huius ictu tam Pelagianos cum suo toto merito, quam Sophistas cum suo pusillo merito. Gratuita iustificatio non fert, ut operarios statuas, quod manifeste pugnent gratis donari et aliquo opere parari; deinde per gratiam iustificari non fert, ut personae ullius dignitatem afferas, ut et infra 11. Cap. dicit: Si ex gratia, ergo non ex operibus, alioqui gratia non est gratia; sicut et Cap. 4. dicit: Ei enim, qui operatur, merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum. Quare stat meus Paulus liberi arbitrii vastator invictus, et uno verbo duos exercitus posternit. Nam si sine operibus iustificamur, omnia opera damnantur, sive sint pusilla, sive magna, nulla enim excipit, sed adversus omnia ex aequo fulminat.

Et hic vide oscitantiam omnium nostrum, et quid iuvet, si quis priscis Patribus tot seculorum serie probatis nixus fuerit. Nonne et ipsi omnes pariter caecutierunt, imo neglexerunt Pauli clarissima et apertissima verba? Obsecro, quid potest pro gratia contra liberum arbitrium clare et aperte dici, si Pauli sermo clarus et apertus non est? Per contentionem procedit et gratiam adversus opera iactat, tum verbis clarissimis et simplicissimis usus

---

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: parvo.

dicit, gratis nos iustificari, et gratiam non esse gratiam, si operibus paretur, manifestissime in re iustificationis omnia opera excludens, ut solam gratiam statuat et gratuitam iustificationem. Et nos in hac luce adhuc tenebras quaerimus, et ubi non possumus magna et omnia nobis tribuere, pusilla et modica nobis tribuere conamur, tantum ut obtineamus, non esse gratuitam et sine operibus iustificationem per gratiam Dei, scilicet, quasi is, qui maiora et omnia nobis denegat, non multo magis etiam pusilla et modica deneget ad iustificationem nobis suppetere, cum non nisi per gratiam ipsius, sine omnibus operibus, atque adeo sine ipsa lege, in qua sunt omnia opera comprehensa, magna, modica, congrua et condigna, nos iustificari statuit. I nunc, et autoritates veterum iacta, et dictis eorum fide, quos omnes in unum vides neglexisse Paulum clarissimum et manifestissimum Doctorem, ac velut studio Luciferum, imo Solem hunc fugisse, occupati scilicet carnali sensu, quod absurdum videretur esse, nullum locum relinqui meritis.

Afferamus exemplum illud, quod sequenter Paulus*) affert de Abraham. Si Abraham (inquit) ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam.

Observa quaeso et hic partitionem Pauli, duplicem Abrahae iustitiam recitantis. Una est operum, id est, moralis et civilis, sed hac negat eum iustificari coram Deo, etiamsi coram hominibus per illam iustus sit. Deinde gloriam habet apud homines, sed vacat ipse quoque gloria Dei per eam iustitiam. Nec est, quod ullus hic legis aut ceremoniarum opera damnari dicat, cum Abraham tot annis ante legem fuerit. Paulus simpliciter de operibus Abrahae loquitur, iisque non nisi optimis. Ridiculum enim esset disputare, an quis malis operibus iustificetur. Si igitur Abraham nullis operibus iustus est, sed nisi alia iustitia, puta fidei, induatur, tam ipse,

*) Rom. 4.

quam opera sua cuncta sub impietate relinquuntur. Palam est nullum hominem quicquam promovere ad iustitiam suis operibus, deinde nulla opera, nulla studia, nullos conatus liberi arbitrii coram Deo quicquam valere, sed omnia impia, iniusta et mala iudicari. Si enim ipse iustus non est, nec opera aut studia eius iusta sunt, si iusta non sunt, damnabilia et ira digna sunt. Altera est fidei iustitia, quae constat non operibus ullis, sed favente et reputante Deo per gratiam. Ac vide, quomodo Paulus nitatur verbo reputandi, ut urgeat, repetat et inculcet.

Ei (inquit), qui operatur, merces non reputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, ei vero, qui non operatur, credit vero in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiae Dei. Tum adducit David *) itidem de reputatione gratiae dicentem: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum etc.

Paene decies eo capitulo repetit verbum reputandi. Breviter, Paulus componit operantem et non operantem, nec relinquit medium inter hos duos; operanti reputari iustitiam negat, non operanti vero asserit reputari iustitiam, modo credat. Non est, quo hic liberum arbitrium evadat aut elabatur cum suo conatu aut studio. Aut enim cum operante, aut cum non operante numerabitur, si cum operante, audis hic ei non reputari ullam iustitiam, si cum non operante, qui credit tamen Deo, reputatur ei iustitia. At tum non liberi arbitrii vis erit, sed renovata creatura per fidem, si autem non reputatur iustitia operanti, manifestum fit, eius opera nihil nisi peccata, mala et impia esse coram Deo.

Nec potest hic protervire ullus Sophista, quod, licet homo sit malus, possit tamen opus eius esse non malum. Nam ideo Paulus apprehendit non hominem simpliciter, sed operantem, ut apertissimo verbo declararet, ipsa opera et studia hominis damnari, quaecunque illa sint et quocunque nomine aut

*) Psalm. 32.

specie censeantur. Agit autem de bonis operibus, quia de iustificando et merendo disputat. Et cum de operante loquatur, universaliter de omnibus operantibus et de omnibus operibus eorum, potissimum vero de bonis et honestis operibus loquitur, alioqui partitio sua de operante et non operante non consisteret.

Praetereo hic fortissima illa argumenta ex proposito gratiae, ex promissione, ex vi legis, ex peccato originali, ex electione Dei assumpta, quorum nullum est, quod non se solo funditus tollat liberum arbitrium. Si enim gratia ex proposito seu praedestinatione venit, necessitate venit, non studio aut conatu nostro, ut supra docuimus. Item, si Deus gratiam promisit ante legem, ut hic et in Galatis Paulus arguit, ergo non ex operibus aut lege venit, alioqui promissio nihil erit. Ita et fides nihil erit (qua tamen Abraham ante legem iustificatus est), si opera valent. Item, cum lex sit virtus peccati, ostendens tantum, non autem tollens peccatum, facit conscientiam ream coram Deo, et iram minatur, hoc est quod dicit: Lex iram operatur, quomodo igitur fieri posset, ut per legem iustitia paretur? Si autem lege non iuvamur, quomodo vi sola arbitrii iuvari possimus[1])?

Item *), cum unius Adae unico delicto omnes sub peccato et damnatione sumus, quomodo possumus aliquid tentare, quod non peccatum et damnabile sit? Quum enim dicat Omnes, neminem excipit, nec vim liberi arbitrii, nec ullum operarium, operetur sive non operetur, conetur sive non conetur, inter Omnes necessario comprehendetur cum aliis. Nec nos peccaremus aut damnaremur delicto illo unico Adae, nisi nostrum delictum esset; quis enim alieno delicto damnaretur, praesertim coram Deo? Nostrum autem non fit imitando aut operando, cum hoc non esse posset delictum illud unicum Adae, ut quod non ipse, sed nos fecerimus,

*) Rom. 5. 1) In ed. 1525 et ed. Ien.: possumus.

fit vero nostrum nascendo. Sed hac de re [1]) disputandum alias. Igitur ipsum originale peccatum liberum arbitrium prorsus nihil sinit posse peccare et damnari.

Ista, inquam, argumenta praetereo, quod sint apertissima et robustissima, tum quod nonnihil superius de his diximus. Quod si omnia, quae liberum arbitrium subvertunt, recensere vellemus in solo Paulo, nihil melius faceremus, quam ut perpetuo commentario totum Paulum tractaremus, et in singulis paene verbis monstraremus confutatam liberi arbitrii vim adeo iactatam, quemadmodum iam feci in hoc 3. et 4. Capite. Quae ideo potissimum tractavi, ut oscitantiam omnium nostrum ostenderem, qui Paulum sic legimus, ut nihil minus in his clarissimis locis videremus, quam haec validissima argumenta contra liberum arbitrium, et confidentiam illam autoritate et scriptis veterum doctorum nitentem facerem stultam, simulque cogitandum relinquerem, quid factura sint argumenta illa apertissima, si cum diligentia et iudicio tractarentur.

Ego de me dico, vehementer admiror, quod cum Paulus toties utatur vocabulis illis universalibus: Omnes, Nullus, Non, Nusquam, Sine, ut Omnes declinaverunt, Non est iustus quisquam, Non est qui faciat bonum, nec unus quidem, Omnes unius delicto peccatores et damnati sunt, Fide sine lege, sine operibus iustificamur, ut si aliter quispiam velit, non posset tamen clarius et apertius loqui, miror, inquam, qui factum sit, ut adversus has universales voces et sententias praevaluerint contrariae, imo contradictoriae, scilicet: Aliqui sunt non declinantes, non iniusti, non mali, non peccatores, non damnati, Est aliquid in homine, quod bonum est et ad bonum nititur, quasi ille, quisquis fuerit homo, qui ad bonum nititur, non sit comprehensus in voce ista Omnes, Nullus, Non. Ego non haberem, etiam si vellem, quod Paulo

---

1) In ed. 1525 et ed. Ien.: de hac re.

opponerem aut responderem, sed cogerer vim mei liberi arbitrii una cum suo conatu complecti inter Omnes et Nullos illos, de quibus Paulus loquitur, nisi nova grammatica aut novus usus loquendi introducatur.

Ac tropum forte suspicari et verba excerpta torquere liceret, si semel aut uno loco uteretur tali nota; at nunc perpetuo utitur, tum simul affirmativis et negativis, et sententiam per contentionem et partitionem utrobique universalium partium sic tractat, ut non modo vocum natura et ipsa oratio, sed et consequentia, praecedentia, circumstantiae, intentioque et corpus ipsum totius disputationis sensum communem concludant, Paulum velle, quod extra fidem Christi nihil nisi peccatum et damnatio sit. Atque hoc modo nos confutaturos esse promisimus liberum arbitrium, ut non queant resistere omnes adversarii, id quod arbitror me fecisse, etiam si non concedant victi in nostram sententiam aut taceant, nam hoc nostrae non est opis, spiritus Dei hoc donum est.

Sed antequam Iohannem Evangelistam audiamus, coronidem Paulinam adiiciamus, parati ubi haec non satis fuerint, totum Paulum perpetuo commentario in liberum arbitrium instruere, Rom. 8, ubi genus humanum in duo dividit, in carnem et spiritum, sicut et Christus facit Iohan. 3, sic dicit: Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt, qui vero secundum spiritum sunt, quae spiritus sunt, sapiunt. Quod Paulus hic carnales vocet omnes, qui non sunt spirituales, manifestum est tum ex ipsa partitione et oppositione spiritus et carnis, tum ex ipsiusmet Pauli verbis, ubi sequitur: Vos in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis; si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quid enim aliud hic vult: Vos non estis in carne, si spiritus Dei in vobis est, quam necessario in carne eos esse, qui spiritum non habent? Et qui Christi non est, cuius alius quam Satanae est? Stat igitur, qui spiritu carent, hos in carne et sub Satana esse.

Iam videamus, quid sentiat de conatu et vi liberi arbitrii carnalium: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, et iterum: Sensus carnis est mors; et iterum: Sensus carnis est inimicitia contra Deum, item: Legi Dei non est subiectus, neque enim potest. Hic mihi respondeat liberi arbitrii tutor, quomodo possit conari ad bonum id quod est mors, displicens Deo, inimicitia contra Deum, inobediens Deo, nec potens obedire? Nec enim voluit dicere: Sensus carnis est mortuus aut inimicus Deo, sed ipsa mors, ipsa inimicitia, cui sit impossibile legi Dei subiici, aut Deo placere, sicut et paulo ante dixerat. Nam quod legi erat impossibile, quo infirmabatur per carnem, Deus fecit etc. Nota est et mihi fabula Origenis de triplici affectu, quorum unus caro, alius anima, alius spiritus illi dicitur, anima vero medius ille, in utram partem vel carnis vel spiritus vertibilis. Sed sua sunt haec somnia, dicit tantum ea, sed non probat. Paulus hic carnem vocat, quicquid sine spiritu est, uti monstravimus. Ideo summae illae virtutes optimorum hominum in carne sunt, hoc est, mortuae, inimicae Deo sunt, legi Dei non subiectae, nec potentes subiici Deoque non placentes. Paulus enim non solum dicit, eos non subiici, sed nec posse subiici. Sic et Christus Matth. 7: Arbor mala non potest fructus bonos facere; et 12: Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Vides hic, non solum mala nos loqui, sed nec posse loqui bona.

Et qui alibi dicit: Nos cum simus mali, scire tamen filiis nostris bona dare, negat tamen nos bona facere, etiam eo ipso, quo damus bona, scilicet, quod bona est creatura Dei, quam damus, nec tamen ipsi boni sumus, nec bene bona illa damus, loquitur autem ad omnes, nempe etiam ad discipulos suos, ut constet haec gemina Pauli *) sententia: Iustus ex fide vivit, et: Omne, quod non est ex fide, peccatum est, quarum haec ex illa sequitur. Si enim nihil

*) Rom. 1 et 14.

est, quo iustificemur, nisi fides, evidens est, eos, qui sine fide sunt, nondum iustificatos esse, non iustificati vero peccatores sunt, peccatores vero arbores malae sunt, nec possunt quippiam nisi peccare et fructus malos ferre. Quare liberum arbitrium nihil est, nisi servum peccati, mortis et Satanae, nihil faciens neque potens facere aut conari nisi malum.

Adde exemplum illud Capit. 10 ex Esaia adductum: Inventus sum a non quaerentibus, palam apparui his, qui me non interrogabant. Haec de gentibus dicit, quod Christum audire et cognoscere illis datum sit, cum nec cogitare antea de ipso potuerint, multo minus quaerere aut se vi liberi arbitrii ad eum praeparare. Hoc exemplo satis clarum est, gratiam venire adeo gratis, ut nec cogitatio de ea, nedum conatus aut studium praecedat. Sic et Paulus, cum Saulus esset, quid fecit illa summa vi liberi arbitrii? Certe optima et honestissima agitabat animo, si ratio spectetur. At vide, quo conatu gratiam invenit, non modo non quaerit, sed etiam insaniendo contra eam accipit. Contra de Iudaeis dicit 9: Gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, quae ex fide est, Israel vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Quid contra haec mutire potest ullus tutor liberi arbitrii? Gentes tum, cum impietate et omnibus vitiis oppletae sunt, accipiunt iustitiam gratis miserente Deo, Iudaei, dum summo studio et conatu iustitiae student, frustrantur. An hoc non est dicere tantum, quod conatus liberi artrii sit frustra, dum ad optima conatur, et ipsum potius in peius ruere, et retro sublapsum referri? Nec potest ullus dicere, quod non summa vi liberi arbitrii studuerunt. Ipse Paulus testimonium [1]) perhibet Cap. 10, quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam; igitur nihil deest in Iudaeis,

---

*) In ed. 1525 et ed. Ien.: Ipse Paulus eis testimonium.

quod libero arbitrio tribuitur, et tamen nihil sequitur, imo contrarium sequitur. In gentibus nihil adest, quod libero arbitrio tribuitur, et tamen sequitur iustitia Dei. Quid hoc est, nisi manifestissimo exemplo utriusque nationis, tum clarissimo simul testimonio Pauli confirmari, quod gratia donatur gratis immeritis et indignissimis, nec obtinetur ullis studiis, conatibus, operibus, pusillis aut magnis, etiam optimorum et honestissimorum hominum, ardenti zelo iustitiam quaerentium et sectantium.

Ad Iohannem etiam veniamus, qui et ipse copiosus et potens est liberi arbitrii vastator. Statim in principio tribuit libero arbitrio tantam caecitatem, ut ne videat quidem lucem veritatis, tantum abest, ut ad eam possit conari. Sic enim dicit*): Lux in tenebris lucet, sed tenebrae non comprehendunt; et mox: In mundo erat, et mundus eum non cognovit, in propria venit, et sui non receperunt eum. Quid per mundum putas intelligit? Nunquid aliquem hominem ab hoc nomine separabis, nisi Spiritu sancto recreatum? Et peculiaris est usus vocabuli huius, Mundus, apud hunc Apostolum, quo prorsus totum genus hominum intelligit. Quicquid ergo de mundo dicit, de libero arbitrio intelligitur, ut quod est praestantissimum in homine. Igitur apud hunc Apostolum mundus non novit lucem veritatis; mundus odit Christum et suos; mundus non novit neque videt Spiritum sanctum; mundus totus in maligno positus est; omne, quod est in mundo, est concupiscentia carnis, oculorum et superbia vitae; nolite diligere mundum; vos estis (ait **)) de mundo, mundus non potest odisse vos, me odit, quia opera eius testor esse mala.

Haec omnia et similia multa sunt praeconia liberi arbitrii, scilicet principalis partis in mundo regnantis sub Satanae imperio. Nam et ipse Iohannes per antithesin de mundo loquitur, ut mundus sit, quicquid de mundo non est in spiritum trans-

*) Iohan. 1. **) Iohan. 7.

latum, sicut ad apostolos dicit: Ego tuli vos de mundo, et posui vos etc. Si nunc essent aliqui in mundo, qui vi liberi arbitrii conarentur ad bonum, sicut fieri oporteret, si liberum arbitrium aliquid posset, propter horum reverentiam temperasset merito Iohannes verbum, ne generali voce eos involveret tot malis, quibus mundum accusat. Quod cum non faciat, evidens est, quod liberum arbitrium omnibus mundi nominibus reum facit, cum, quicquid mundus agat, per vim liberi arbitrii, hoc est rationem et voluntatem, partes sui praestantissimas agat. Sequitur *):

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Hac partitione perfecta reiicit a regno Christi sanguines, voluntatem carnis, voluntatem viri. Sanguines credo Iudaeos esse, hoc est, qui volebant filii regni esse, quod essent filii Abrahae et Patrum, scilicet de sanguine gloriantes; voluntatem carnis intelligo studia populi, quibus in lege et operibus exercitati sunt. Caro enim hic carnales significat sine spiritu, ut qui voluntatem quidem et conatum habeant, sed quia spiritus non adest, carnaliter habeant. Voluntatem viri generaliter omnium studia intelligo, sive sint in lege, sive sine lege, puta gentium et quorumlibet hominum, ut sit sensus, nec nativitate carnis, nec studio legis, nec ullo alio studio humano fiunt filii Dei, sed solum nativitate divina. Si igitur non nascuntur carne, nec educantur lege, nec parantur ulla hominis disciplina, sed ex Deo renascuntur, manifestum est, liberum arbitrium hic nihil valere. Virum enim puto hoc loco accipi Ebraico more pro quolibet vel pro quocunque, sicut carnem per antithesin pro populo sine spiritu; voluntatem autem pro summa vi in hominibus, nempe pro principali parte liberi arbitrii.

---

*) Iohan. 1.

Sed esto, non intelligamus verba singulatim, tamen ipsa rei summa clarissima est, quod Iohannes hac partitione reiiciat quicquid non est generatio divina, dum filios Dei non fieri dicit, nisi nascendo ex Deo, quod fit, ipso interprete, credendo in nomine eius. In qua reiectione voluntas hominis seu liberum arbitrium, cum non sit nativitas ex Deo neque fides, necessario comprehenditur. Si vero aliquid valeret liberum arbitrium, non debebat voluntas viri a Iohanne reiici, nec homines ab eo retrahi et ad solam fidem et renascentiam mitti, ne illud Esaiae 5 ei diceretur: Vae vobis, qui dicitis bonum malum. Nunc vero cum aequaliter reiiciat sanguines, voluntatem carnis, voluntatem viri, certum est, quod voluntas viri nihil magis valet ad faciendos filios Dei, quam sanguines seu nativitas carnalis. At nulli dubium est, quin nativitas carnis non faciat filios Dei, ut et Paulus Rom. 9 dicit: Non qui filii carnis, ii filii Dei, probatque id exemplo Ismaelis et Esau.

Idem Iohannes inducit Baptistam de Christo loquentem sic: De cuius plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia.

Gratiam dicit acceptam per nos de plenitudine Christi, sed pro quo merito vel studio? Pro gratia (inquit) scilicet Christi, quemadmodum et Paulus dicit Roma. 5: Gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Ubi nunc liberi arbitrii conatus, quo paratur gratia? Hic Iohannes dicit, non solum nullo nostro studio gratiam accipi, sed etiam aliena gratia seu alieno merito, nempe unius hominis Iesu Christi. Aut igitur falsum est, nos gratiam nostram accipere pro aliena gratia, aut liberum arbitrium nihil esse evidens est, utrumque enim simul consistere nequit, ut tam vilis sit gratia Dei, ut vulgo et passim cuiuslibet hominis pusillo conatu obtineatur, et rursus tam cara, ut in et per unius tam magni hominis gratiam nobis donetur.

Simul hoc loco admonitos velim liberi arbitrii tutores, ut sciant, sese esse abnegatores Christi,

dum asserunt liberum arbitrium. Nam si meo studio gratiam Dei obtineo, quid opus est Christi gratia pro mea gratia accipienda? Aut quid mihi deest, ubi gratiam Dei habuero? Dixit autem diatribe, dicunt et omnes Sophistae, nostro conatu nos gratiam Dei impetrare, et ad illam recipiendam praeparari, licet non de condigno, sed de congruo, hoc plane est negare Christum, pro cuius gratia nos gratiam accipere hic testatur Baptista. Nam illud commentum de condigno et congruò supra confutavi, quod inania verba sint, revera autem condignum meritum sentiant, idque maiore impietate quam Pelagiani, uti diximus. Ita fit, ut magis negent Dominum Christum, qui nos mercatus est, impii Sophistae una cum diatribe, quam unquam negaverint Pelagiani aut ulli haeretici, adeo non patitur secum gratia ullam particulam aut vim liberi arbitrii. Quod autem Christum negent liberi arbitrii tutores, non modo probat haec Scriptura, sed et ipsa eorum vita; hinc enim Christum iam non suavem mediatorem, sed metuendum iudicem sibi fecerunt, quem placare student intercessionibus Matris et Sanctorum, tum multis repertis operibus, ritibus, religionibus, votis, quibus omnibus agunt, ut Christus eis placatus gratiam donet, non autem credunt, quod apud Deum interpellet, et gratiam eis impetret per suum sanguinem, et gratiam (ut hic dicitur) pro gratia. Atque ut credunt, ita habent, est enim Christus vere et merito illis iudex inexorabilis, dum eum deserunt ut mediatorem et salvatorem clementissimum, et sanguinem ac gratiam eius viliorem habent, quam studia et conatus liberi arbitrii.

Audiamus et exemplum liberi arbitrii. Nicodemus *) scilicet vir est, in quo nihil queas desiderare, quod liberum arbitrium valeat, quid enim vir ille omittit studii aut conatus? Fatetur Christum veracem et a Deo venisse, signa praedicat,

---

*) Iohan. 3.

venit nocte auditurus et collaturus reliqua, an non is quaesiisse videtur vi liberi arbitrii ea, quae sunt pietatis et salutis? Sed vide, ut impingat, cum a Christo veram viam salutis per renascentiam doceri audit, nunquid eam agnoscit, aut sese illam aliquando quaesivisse fatetur? Imo sic abhorret et confunditur, ut eam non solum se non intelligere dicat, sed etiam aversetur ut impossibilem, quomodo (inquit) possunt haec fieri? Nec mirum sane, quis enim unquam audivit, quod ex aqua et spiritu regenerandus sit homo ad salutem? Quis unquam cogitavit, quod filium Dei oportuerit exaltari, quo omnis, qui crederet in ipsum, non periret, sed haberet vitam aeternam? An huius philosophi acutissimi et optimi unquam meminerunt? An principes huius mundi hanc scientiam unquam cognoverunt? An ullius liberum arbitrium unquam ad hoc conatum est? Nonne Paulus *) eam fatetur esse sapientiam in mysterio absconditam, per prophetas quidem praedictam, sed per Evangelium revelatam, ita ut ab aeterno fuerit tacita et incognita mundo?

Quid dicam? Experientiam interrogemus, ipse mundus totus, ipsa ratio humana, ipsum adeo liberum arbitrium cogitur confiteri, sese Christum non novisse neque audivisse, antequam Evangelium in mundum veniret. Si autem non novit, multo minus quaesivit, aut quaerere aut ad eum conari potuit. At Christus **) est via, veritas, vita et salus. Confitetur ergo, velit, nolit, sese suis viribus nec nosse nec quaerere potuisse ea, quae sunt viae, veritatis et salutis, nihilominus contra hanc ipsam confessionem et experientiam propriam insanimus et inanibus verbis disputamus, esse in nobis vim tantam reliquam, quae et noscat et applicare sese possit ad ea, quae sunt salutis, hoc est tantum dicere, Christum filium Dei pro nobis exaltatum cum nullus unquam scierit nec cogitare potuerit, haec ipsa tamen ignorantia non est ignorantia, sed notitia Chri-

*) 1. Corinth. 2. **) Iohan. 14.

sti, id est eorum quae sunt salutis. An nondum vides et palpas liberi arbitrii assertores plane insanire, cum hoc vocent scientiam, quod ipsimet confitentur esse ignorantiam? Nonne hoc est tenebras dicere lucem, Esai. 5. Scilicet adeo potenter obstruit Deus os libero arbitrio eius propria confessione et experientia, nec sic tamen tacere potest et Deo gloriam dare.

Deinde cum Christus dicatur via, veritas et vita, idque per contentionem, ut quicquid non est Christus, id neque via, sed error, neque veritas, sed mendacium, neque vita, sed mors est, necesse est liberum arbitrium, cum sit neque Christus neque in Christo, errore, mendacio et morte contineri. Ubi igitur et unde habetur medium illud et neutrum, nempe vis illa liberi arbitrii, quae cum nec Christus (id est via, veritas et vita) sit, nec error, nec mendacium, nec mors, tamen esse debeat? Nam nisi per contentionem dicerentur omnia, quae de Christo et gratia dicuntur, ut opponantur contrariis, scilicet, quod extra Christum non sit nisi Satan, extra gratiam non nisi ira, extra lucem non nisi tenebrae, extra viam non nisi error, extra veritatem non nisi mendacium, extra vitam non nisi mors, quid, rogo, efficerent universi sermones apostolorum et tota Scriptura? frustra scilicet dicerentur omnia, cum non cogerent, Christum esse necessarium, quod tamen maxime agunt, eo quod medium reperiretur, quod de se nec malum nec bonum, nec Christi, nec Satanae, nec verum nec falsum, nec vivum nec mortuum, forte etiam nec aliquid, nec nihil esset, idque vocetur praestantissimum et summum in toto genere hominum.

Utrum igitur vis, elige, si Scripturas per contentionem loqui concedis, de libero arbitrio nihil dicere poteris, nisi quae contraria sunt Christo, scilicet, quod error, mors, Satan et omnia mala in ipso regnent. Si non concedis eas per contentionem loqui, iam Scripturas enervas, ut nihil efficiant, nec Christum necessarium probent, ac sic, dum liberum arbitrium statuis, Christum evacuas, et totam

Scripturam pessundas. Deinde, ut verbis simules te Christum confiteri, re ipsa tamen et corde negas, quia si liberi arbitrii vis non est erronea tota neque damnabilis, sed videns et volens honesta et bona, et ea, quae sunt salutis, sana est, Christo medico non habet opus, nec Christus eam partem hominis redemit, quia, quid est opus luce et vita, ubi lux et vita est?

At ea non redempta per Christum optimum in homine non est redemptum, sed per sese bonum et salvum. Tum Deus quoque iniquus est, si ullum hominem damnat, quia illud, quod in homine optimum est et sanum, hoc est, innocentem damnat, nam nullus homo non habet liberum arbitrium. Et licet abutatur malus homo, vis tamen ipsa docetur non exstingui, quin ad bona conetur et conari possit. Si autem talis est, dubio procul bona, sancta et iusta est, quare non debet damnari, sed ab homine damnando separari. At hoc fieri nequit, atque si fieri posset, tum homo iam sine libero arbitrio ne homo quidem esset, nec mereretur, nec demereretur, nec damnaretur, nec salvaretur, essetque plane brutum, iam non immortalis. Reliquum igitur est, ut Deus sit iniquus, qui bonam, iustam, sanctam illam vim damnat, quae Christo non eget in homine et cum homine malo.

Sed pergamus in Iohanne, Qui credit (inquit*) in eum, non iudicatur, qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.

Responde, an liberum arbitrium sit de numero credentium necne. Si est, iterum gratia opus non habet, per sese credens in Christum, quem per sese nec novit nec cogitat. Si non est, iam iudicatum est, hoc quid est, nisi damnatum est coram Deo? At Deus non damnat nisi impium, impium igitur est. Quid pii vero impium conetur? Neque credo hic vim liberi arbitrii excipi posse, cum de toto ho-

*) Iohan. 3.

mine loquatur, quem damnari dicit. Deinde incredulitas non est crassus affectus, sed summus ille in voluntatis et rationis arce sedens et regnans, sicut eius contrarius, nempe fides. Incredulum autem esse est Deum negare et mendacem facere, 1. Iohan. 1: Si non credimus, mendacem facimus Deum. Quomodo iam vis illa Deo contraria, et eum mendacem faciens, conatur ad bonum? Si non esset incredula et impia illa vis; non debuit dicere de toto homine: Iam iudicatus est, sed sic: Homo secundum crassos affectus est iam iudicatus, sed secundum optimum et praestantissimum non iudicatur, quia conatur ad fidem, seu potius credula iam est.

Sic ubi toties Scriptura dicit: Omnis homo mendax, dicemus autoritate liberi arbitrii: Contra, Scriptura potius mentitur, quia homo non est mendax optima sua parte, id est, ratione et voluntate, sed tantum carne, sanguine et medullis, ut sic illud totum, unde nomen habet homo, scilicet ratio et voluntas, sit sanum et sanctum. Item et illud Baptistae: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum, sic oportebit intelligi, super ipsum, id est, super crassos affectus hominis manet ira Dei, super vim autem illam liberi arbitrii, voluntatis scilicet et rationis, manet gratia et vita aeterna. Hoc exemplo, ut liberum arbitrium subsistat, quicquid in Scripturis in homines impios dicitur, per synecdochen torqueas ad partem hominis brutalem, ut salva sit pars rationalis et vere humana. Tum ego gratias agam liberi arbitrii assertoribus, cum fiducia peccabo, securus, quod ratio et voluntas seu liberum arbitrium damnari non possit, eo quod nunquam exstinguatur, sed perpetuo sanum, iustum et sanctum permanet. At voluntate et ratione beata gaudebo foedam et brutam carnem separari et damnari, tantum abest, ut optem illi Christum redemptorem. Vides, quorsum nos ferat dogma liberi arbitrii, ut omnia divina et humana, temporalia et aeterna neget, et tot monstris irrideat se ipsum.

Item dicit Baptista*): Homo non potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de coelo.

Desinat hic diatribe suam ostentare copiam, ubi omnia, quae de coelo habemus, numerat. Nos non de natura, sed de gratia disputamus, nec quales simus super terram, sed quales simus in coelo coram Deo, quaerimus. Scimus, quod homo dominus est inferioribus se constitutus, in quae habet ius et liberum arbitrium, ut illa obediant et faciant, quae ipse vult et cogitat. Sed hoc quaerimus, an erga Deum habeat liberum arbitrium, ut ille obediat et faciat, quae homo voluerit, vel potius an Deus in hominem habeat liberum arbitrium, ut is velit et faciat, quod Deus vult, et nihil possit, nisi quod ille voluerit et fecerit. Hic dicit Baptista, quod nihil accipere possit, nisi donetur ei de coelo, quare nihil erit liberum arbitrium.

Item: Qui de terra est, de terra est et de terra loquitur, qui de coelo venit, super omnes est.

Hic iterum omnes terrenos facit, terrenaque sapere et loqui dicit eos, qui non sunt Christi, nec medios aliquos relinquit. At liberum arbitrium utique non est ille, qui de coelo venit, quare de terra esse et terram sapere et loqui necesse est. Quod si aliqua vis in homine aliquo tempore, loco aut opere non terrena saperet, hunc Baptista debuit excipere, et non generaliter de omnibus extra Christum dicere, de terra sunt, de terra loquuntur.

Sic infra Cap. 8 quoque dicit Christus: Vos de mundo estis, ego non sum de mundo, vos deorsum estis, ego de supernis sum.

At illi habebant liberum arbitrium, ad quos loquebatur, scilicet, rationem et voluntatem, et tamen de mundo eos esse dicit. Quid vero novi diceret, si secundum carnem et crassos affectus de mundo esse eos diceret? An hoc non ante novit totus mundus? Tum quid opus est homines ea parte, qua brutales sunt, de mundo dicere, cum hoc modo et bestiae sint de mundo?

---

*) Iohan. 3.

Iam illud, ubi Christus Iohan. 6 dicit: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, quid relinquit libero arbitrio? Dicit enim opus esse, ut quis audiat et discat ab ipso Patre, tum omnes oportere a Deo doctos esse. Hic sane non solum opera et studia liberi arbitrii docet esse inania, sed ipsum etiam verbum Evangelii (de quo agitur eo loco) frustra audiri, nisi intus loquatur, doceat, trahat ipsemet Pater, nemo potest, nemo potest (inquit) venire, vis scilicet illa, qua possit homo aliquid conari ad Christum, id est, ad ea, quae sunt salutis, nulla esse asseritur. Nec prodest libero arbitrio, quod diatribe ex Augustino affert ad calumniandum clarissimum hunc et potentissimum locum, scilicet, quod Deus trahat, quemadmodum ovem ostenso ramo trahimus. Hac similitudine vult probari, vim inesse nobis sequendi tractum Dei. Sed nihil valet haec similitudo hoc loco, quia Deus ostendit non solum unum, sed omnia bona sua, tum ipsum etiam Christum Filium, nec tamen ullus homo sequitur, nisi intus Pater aliud ostendat et aliter trahit, imo totus mundus persequitur Filium, quem ostendit. Ad pios belle quadrat ea similitudo, qui iam sunt oves et cognoscunt pastorem Deum, hi spiritu viventes et moti sequuntur, quorsumcunque Deus voluerit et quicquid ostenderit. Impius vero non venit, etiam audito verbo, nisi intus trahat doceatque Pater, quod facit largiendo spiritum. Ibi alius tractus est quam is, qui foris fit, ibi ostenditur Christus per illuminationem spiritus, qua rapitur homo ad Christum dulcissimo raptu, et patitur loquentem doctorem et trahentem Deum potius, quam ipse quaerat et currat.

Unum adhuc ex Iohanne afferamus, ubi Cap. 16 dicit: Spiritus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.

Hic vides peccatum esse non credere in Christum. At hoc peccatum non utique in cute vel capillis haeret, sed in ipsa ratione et voluntate. Cum autem totum mundum reum faciat hoc peccato, et experientia notum sit, peccatum hoc mundo fuisse

ignoratum aeque ac Christum, ut quod spiritu arguente reveletur, manifestum est, liberum arbitrium cum sua voluntate et ratione hoc peccato captum et damnatum censeri coram Deo. Quare, donec Christum ignorat nec in eum credit, nihil boni potest velle aut conari, sed servit necessario peccato illo ignorato. Summa, cum Scriptura ubique Christum per contentionem et antithesin praedicet (ut dixi), ut, quicquid sine Christi spiritu fuerit, hoc Satanae, impietati, errori, tenebris, peccato, morti et irae Dei subiiciat, contra liberum arbitrium pugnabunt testimonia, quotquot de Christo loquuntur, at ea sunt innumerabilia, imo tota Scriptura. Ideo si Scriptura iudice causam agimus, omnibus modis vicero, ut ne iota unum aut apex sit reliquus, qui non damnet dogma liberi arbitrii.

Quod autem Scriptura Christum per contentionem et antithesin praedicet, etsi id ignorent aut scire dissimulent magni theologi et liberi arbitrii tutores, sciunt tamen et confitentur vulgo cuncti Christiani. Sciunt, inquam, duo esse regna in mundo mutuo pugnantissima, in altero Satanam regnare, qui ob id princeps mundi a Christo et Deus huius seculi a Paulo dicitur, qui cunctos tenet captivos ad voluntatem suam, qui non sunt Christi spiritu ab eo rapti, teste eodem Paulo, nec sinit eos sibi rapi ullis viribus, nisi spiritu Dei, ut Christus testatur in parabola de forti atrium suum in pace servante. In altero regnat Christus, quod assidue resistit et pugnat cum Satanae regno, in quod transferimur, non nostra vi, sed gratia Dei, qua liberamur a praesenti seculo nequam et eripimur a potestate tenebrarum. Istorum regnorum mutuo tantis viribus et animis perpetuo pugnantium cognitio et confessio sola satis esset ad confutandum dogma liberi arbitrii, quod in regno Satanae cogimur servire, nisi virtute divina eripiamur. Haec, inquam, vulgus novit, et tum proverbiis, precibus, studiis totaque vita satis confitetur.

Omitto illud meum vere Achilleum, quod diatribe fortiter transivit intactum, scilicet, quod Ro-

man. 7 et Galat. 5 Paulus docet, in sanctis et piis esse pugnam spiritus et carnis tam validam, ut non facere possint, quae vellent. Ex hoc sic arguebam: Si natura hominis adeo mala est, ut in iis, qui spiritu renati sint, non modo non conetur ad bonum, sed etiam pugnet et adversetur bono, quomodo in illis, qui nondum renati in veteri homine sub Satana serviunt, ad bonum conaretur? Neque enim ibi Paulus solum de crassis affectibus loquitur, per quos velut per commune effugium solet diatribe omnibus Scripturis elabi, sed numerat inter opera carnis haeresim, idolatriam, dissensiones, contentiones, quae utique in summis illis viribus, puta ratione et voluntate, regnant. Si igitur caro istis affectibus pugnat contra spiritum in Sanctis, multo magis contra Deum pugnabit in impiis et in libero arbitrio. Ideo et Rom. 8 vocat eam inimicitiam contra Deum. Hoc, inquam, argumentum vellem mihi dilui et ab eo liberum arbitrium defendi.

Ego sane de me confiteor, si qua fieri posset, nollem mihi dari liberum arbitrium, aut quippiam in manu mea relinqui, quo ad salutem conari possem, non solum ideo, quod in tot adversitatibus et periculis, deinde tot impugnantibus daemonibus subsistere et retinere illud non valerem, cum unus daemon potentior sit omnibus hominibus, neque ullus hominum salvaretur, sed quod, etiam si nulla pericula, nullae adversitates, nulli daemones essent, cogerer tamen perpetuo in incertum laborare et aërem pugnis verberare; neque enim conscientia mea, si in aeternum viverem et operarer, unquam certa et secura fieret, quantum facere deberet, quo satis Deo fieret. Quocunque enim opere perfecto reliquus esset scrupulus, an id Deo placeret, vel an aliquid ultra requireret, sicut probat experientia omnium iustitiariorum, et ego meo magno malo tot annis satis didici.

At nunc, cum Deus salutem meam, extra meum arbitrium tollens, in suum receperit, et non meo opere aut cursu, sed sua gratia et misericordia promiserit me servare, securus et certus sum, quod ille

fidelis sit, et mihi non mentietur, tum potens et magnus, ut nulli daemones, nullae adversitates eum frangere aut me illi rapere poterunt. Nemo (inquit) rapiet eos de manu mea, quia pater, qui dedit, maior omnibus est. Ita fit, ut si non omnes, tamen aliqui et multi salventur, cum per vim liberi arbitrii nullus prorsus servaretur, sed in unum omnes perderemur. Tum etiam certi sumus et securi, nos Deo placere, non merito operis nostri, sed favore misericordiae suae nobis promissae, atque si minus aut male egerimus, quod nobis non imputet, sed paterne ignoscat et emendet. Haec est gloriatio omnium Sanctorum in Deo suo.

Si autem id movet, quod difficile sit, clementiam et aequitatem Dei tueri, ut qui damnet immeritos, hoc est, impios eiusmodi, qui in impietate nati non possunt ulla ratione sibi consulere, quin impii sint, maneant et damnentur, coganturque necessitate naturae peccare et perire, sicut Paulus*) dicit: Eramus omnes filii irae, quemadmodum et ceteri, cum tales creentur ab ipsomet Deo ex semine vitiato per unius Adae peccatum.

Hic honorandus et reverendus est Deus clementissimus in iis, quos iustificat et salvat indignissimos, donandumque[1]) est saltem nonnihil divinae eius sapientiae, ut iustus esse credatur, ubi iniquus nobis esse videtur. Si enim talis esset eius iustitia, quae humano captu posset iudicari esse iusta, plane non esset divina, et nihilo differret ab humana iustitia. At cum sit Deus verus et unus, deinde totus incomprehensibilis et inaccessibilis humana ratione, par est, imo necessarium est, ut et iustitia sua sit incomprehensibilis, sicut Paulus**) quoque exclamat, dicens: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius. Incomprehensibilia vero non essent, si nos per omnia capere valere-

---

*) Ephes. 2. **) Rom. 11. 1) In ed. 1526: donandique.

mus, quare sint iusta. Quid est homo comparatus Deo? Quantum est, quod potentia nostra potest illius potentiae comparata? Quid est nostra fortitudo illius viribus collata? Quid nostra scientia illius sapientiae comparata? Quid nostra substantia ad illius substantiam? Summa, quid omnia nostra sunt ad illius omnia.

Si igitur fatemur, etiam natura magistra, humanam potentiam, fortitudinem, sapientiam, scientiam, substantiam et omnia nostra prorsus nihil esse, si ad divinam potentiam, fortitudinem, sapientiam, scientiam, substantiam conferantur, quae est nostra illa perversitas, ut solam iustitiam et iudicium Dei vexemus, et iudicio nostro tantum arrogemus, ut divinum iudicium comprehendere, iudicare et aestimare velimus? Quare non similiter et hic dicimus: Iudicium nostrum nihil est, si divino iudicio comparetur? Consule ipsam rationem, si non convicta cogetur sese stultam et temerariam confiteri, quod iudicium Dei non sinit esse incomprehensibile, cum cetera divina omnia fateatur esse incomprehensibilia. Scilicet in omnibus aliis Deo concedimus maiestatem divinam, in solo iudicio negare parati sumus, nec tantisper possumus credere, eum esse iustum, cum nobis promiserit, fore, ubi gloriam suam revelarit, ut omnes tum videamus et palpemus, eum fuisse et esse iustum.

Dabo exemplum ad confirmandam hanc fidem et ad consolandum oculum illum nequam, qui Deum suspectum habet de iniquitate. Ecce sic Deus administrat mundum istum corporalem in rebus externis, ut, si rationis humanae iudicium spectes et sequaris, cogaris dicere, aut nullum esse Deum, aut iniquum esse Deum, ut ille ait: Sollicitor nullos saepe putare Deos. Vide enim, ut prosperrime habeant mali, contra infelicissime boni, testantibus proverbiis et experientia proverbiorum parente: Quo sceleratiores, hoc fortunatiores esse. Abundant (inquit Hiob*)) tabernacula impiorum; et Psal. 73

*) Hiob. 19.

queritur, peccatores in mundo abundare divitiis. Obsecro, an non omnium iudicio iniquissimum est, malos fortunari et bonos affligi? At ita fert cursus mundi. Hic etiam summa ingenia eo lapsa sunt, ut Deum esse negent, et Fortunam omnia temere versare fingant, quales Epicurei et Plinius. Deinde Aristoteles suum illud primum Ens, ut liberet a miseria, sentit ipsum nihil rerum videre, nisi se solum, quod ei molestissimum esse putat tot mala, tot iniurias videre.

Prophetae vero, qui Deum esse crediderunt, magis tentantur de iniquitate Dei, ut Hieremias, Hiob, David, Assaph et alii. Quid putas Demosthenes et Cicero cogitarint, cum omnia, quae poterant, effecissent, et talem mercedem misero interitu receperunt? Et tamen haec iniquitas Dei vehementer probabilis et argumentis talibus traducta, quibus nulla ratio aut lumen naturae potest resistere, tollitur facillime per lucem Evangelii et cognitionem gratiae, qua docemur, impios corporaliter quidem florere, sed anima perdi. Estque totius istius quaestionis insolubilis ista brevis solutio in uno verbulo, scilicet, esse vitam post hanc vitam, in qua quidquid hic non est punitum et remuneratum, illic punietur et remunerabitur, cum haec vita sit nihil nisi praecursus aut initium potius futurae vitae.

Si igitur lux Evangelii, quae solo verbo et fide valet, tantum efficit, ut ista quaestio omnibus seculis tractata et nunquam soluta tam facile dirimatur et componatur, quid putas futurum, ubi cessante lumine verbi et fidei res ipsa et maiestas divina per sese revelabitur? An non putas, quod tum lumen gloriae quaestionem quam facillime solvere possit, quae in lumine verbi aut gratiae est insolubilis, cum lumen gratiae tam facile solverit quaestionem in lumine naturae insolubilem? Tria mihi lumina pone, lumen naturae, lumen gratiae, lumen gloriae, ut habet vulgata et bona distinctio. In lumine naturae est insolubile, hoc esse iustum, quod bonus affligatur et malus bene habeat. At hoc dissolvit lumen gratiae.

In lumine gratiae est insolubile, quomodo Deus damnet eum, qui non potest ullis suis viribus aliud facere, quam peccare et reus esse; hic tam lumen naturae, quam lumen gratiae dictant, culpam esse non miseri hominis, sed iniqui Dei, nec enim aliud iudicare possunt de Deo, qui hominem impium gratis sine meritis coronat, et alium non coronat, sed damnat, forte minus vel saltem non magis impium. At lumen gloriae aliud dictat, et Deum, cuius modo est iudicium incomprehensibilis iustitiae, tunc ostendet esse iustissimae et manifestissimae iustitiae tantum, ut interim id credamus, moniti et confirmati exemplo luminis gratiae, quod simile miraculum in naturali lumine implet.

Finem hic faciam huius libelli, paratus, si opus sit, pluribus hanc causam agere, quanquam hic arbitror pio, et qui veritati sine pertinacia cedere velit, abunde satis esse factum. Si enim credimus verum esse, quod Deus praescit et praeordinat omnia, tum neque falli neque impediri potest sua praescientia et praedestinatione, deinde nihil fieri, nisi ipso volente, id quod ipsa ratio cogitur concedere, simul ipsa ratione teste nullum potest esse liberum arbitrium in homine vel angelo, aut ulla creatura. Ita, si credimus Satanam esse principem mundi, Christi regno totis viribus perpetuo insidiantem et pugnantem, ut captivos homines non dimittat, nisi divina spiritus virtute pulsus, iterum patet, nullum esse posse liberum arbitrium.

Ita, si peccatum originale credimus sic nos perdidisse, ut etiam iis, qui spiritu aguntur, negotium molestissimum faciat, adversus bonum luctando, clarum est, nihil in homine spiritus inani reliquum esse, quod ad bonum sese verti[1]) possit, sed tantum ad malum. Item, si Iudaei summis viribus iustitiam sectantes in iniustitiam potius proruerunt, et gentes impietatem sectantes gratis et insperate ad iustitiam pervenerunt, itidem manife-

1) In ed. Ien.: sese vertere.

stum est ipso opere et experientia hominem sine gratia nihil nisi malum posse velle. Sed summa, si credimus, Christum redemisse homines per sanguinem suum, totum hominem fateri cogimur fuisse perditum, alioqui Christum faciemus vel superfluum, vel partis vilissimae redemptorem, quod est blasphemum et sacrilegum.

Te nunc, mi Erasme, per Christum oro, ut, quod promisisti, tandem praestes, promisisti autem, velle te cedere meliora docenti. Pone respectum personarum, fateor, tu magnus es et multis iisque nobilissimis dotibus a Deo ornatus, ut alia taceam, ingenio, eruditione, facundia usque ad miraculum. Ego vero nihil habeo et sum, nisi quod Christianum esse me prope glorier. Deinde et hoc in te vehementer laudo et praedico, quod solus prae omnibus rem ipsam es aggressus, hoc est, summam causae, nec me fatigaris alienis illis causis de papatu, purgatorio, indulgentiis, ac similibus nugis potius quam causis, in quibus me hactenus omnes fere venati sunt frustra. Unus tu et solus cardinem rerum vidisti, et ipsum iugulum petisti, pro quo ex animo tibi gratias ago, in hac enim causa libentius versor, quantum favet tempus et otium. Si hoc fecissent, qui me hactenus invaserunt, si adhuc illi facerent, qui modo novos spiritus, novas revelationes iactant, minus seditionis et sectarum, et plus pacis et concordiae haberemus. Sed Deus ita per Satanam nostram ingratitudinem vindicavit. Quamquam nisi aliter caussam istam agere potes, quam hac diatribe egisti, optarim magnopere, ut tuo dono contentus literas et linguas, sicut hactenus cum magno fructu et laude fecisti, coleres, ornares, proveheres, quo studio non nihil et mihi servivisti, ut multum tibi me debere fatear, et certe in ea re te veneror et suspicio sincero animo. Huic nostrae caussae ut par esses, nondum voluit nec dedit Deus; id, quod rogo, nulla dictum arrogantia existimes, oro autem, ut propediem Dominus tantum te in hac re superiorem me faciat, quantum in aliis omnibus mihi superior es. Non est enim novum,

si Deus Mosen per Iethro erudiat et Paulum per Ananiam doceat. Nam quod tu dicis procul esse aberratum a scopo, si tu Christum ignores, arbitror te ipsum videre, quale sit, neque enim ideo omnes errabunt, si tu aut ego erramus. Deus est, qui mirabilis in sanctis suis praedicatur, ut sanctos putemus, qui longissime sint a sanctitate. Neque difficile est, ut, homo cum sis, Scripturas aut Patrum dicta, quibus ducibus te credis scopum tenere, neque recte intelligas, neque diligenter satis observes, quod satis monet illud, quod nihil asserere, sed contulisse te scribis; sic non scribit, qui rem penitus perspicit et recte intelligit. Ego vero hoc libro non contuli, sed asserui et assero, ac penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo, ut praestent obsequium. Dominus vero, cuius est haec caussa, illuminet te et faciat vasculum in honorem et gloriam. Amen.

Finis.

Convocatio Concilii liberi Christiani,

continens gravissimam Pontificum accusationem cum de doctrina, moribus et dominatu in ecclesia sceleratissimis, tum de publica veritatis cognitione denegata et immani piorum persecutione, **per D. Mart. Lutherum.**

Anno M.D.XXXIV.

Hic libellus, in quo Lutherus Spiritum S. ipsum ad pontificiam abominationem tollendam Concilium liberum et christianum indicentem et convocantem inducit atque Gabrielem archangelum testantem facit se hoc Spiritus sancti factum ac mandatum tam coram vidisse atque audivisse quam singulari instrumento promulgandum suscepisse, legitur in editione Ienensi opp. lat. Lutheri, T. III p. 495b, separata autem editio eius scripti latina hodie nusquam exstare videtur. Ea autem Convocatio Concilii liberi et christiani Spiritus S. nomine edita gravissimam proponit accusationem adversus Clementem VII. Crimini enim datur huic Clementi ingressus Simoniacus et iactata potestas Vicarii universalis, prava etiam doctrina et turpitudo morum, tum saevitia in pios et cunctatio ad indicendum Concilium quamvis a Caesare et aliis postulatum; et ob eam ipsam causam convocantur hic omnes Christi fideles, ut ad ecclesiam conveniant et sententiam Spiritus S. de reformatione ecclesiae audiant.

Utrum hic libellus primo latine an germanice an utraque simul lingua compositus sit, non satis liquet, nec magis, utrum anno 1534 an 1535 primum in lucem editus sit; in editione enim Ienensi operum latinorum Lutheri anno 1534 adscribitur, in editionibus germanicis operum Lutheri anno 1535 (cf. Seckend. Hist. Luth. Ind. III ad a. 1534, et Walchii introd. in T. XIX Opp. Luth. p. 117. — G. Schütze in libro: D. M. Luthers bisher ungedruckte Briefe T. III p. 335, in Lutheri libris anno 1535 editis recensendis indicat scriptum germanicum sub hoc titulo: Ausschreibung eines heiligen freyen Christlichen Concilii Anno 1535.)

Legitur hic libellus latine in ed. Ien. opp. Luth. T. III p. 495b, germanice in ed. Witt. XII, 273, Ien. VI, 356, Altenb. VI, 964, Lips. XXI, 139; nos textum reddidimus secundum edit. Ienensem a. 1557.

Convocatio Concilii liberi Christiani,

continens gravissimam Pontificum accusationem cum de doctrina, moribus et dominatu in ecclesia sceleratissimis, tum de publica veritatis cognitione denegata et immani piorum persecutione, **per D. M. Lutherum.** Anno M.D.XXXIV.

Spiritus sanctus Deus Deorum, Dominus et universalis ecclesiae sanctae Dei gubernator.

Ad aures nostras diuturnus et intolerabilis clamor pervenit per multos dilectos filios nostros in ecclesia nostra ubique dispersos, quod quidam dictus Papa Clemens, qui sine nostra scientia et autoritate, propria vero praesumptione ad ecclesiae nostrae gubernacula sese intrusit per Simoniacam pravitatem et magnam pecuniam emptis suffragiis et sese iactat in magnam filii Dei iniuriam et contumeliam Vicarium Dei in terris et caput ecclesiae nostrae universalis, qui et multa ac gravia scandala bonis et sanctis in Christo animabus in periculum salutis ipsarum una cum suis complicibus Cardinalibus et episcopis, praetensis in ecclesia nostra Prae-

latis, per impiam doctrinam et multas enormitates malae vitae praebet et, quod dolentes intelleximus, innocentes fideles nostros ad suas impietates et scandala defendendum et servandum et servari faciendum igne, ferro, aqua et omnis generis persecutione per suos complices principes et episcopos cogit, et ita ecclesiam nostram velut mancipium Satanae, antiqui illius ab initio homicidae, sanguine innocenti repleat, et, licet multi nostri dilecti filii tam spirituales et seculares, praesertim dilectus nobis Imp. Carolus V, saepius et magna instantia petierint et per nomen nostrum eum enixe rogarint, ut Concilium generale indiceret et celebraret ad colligenda de regno Christi scandala et tollendos errores et corrigendos mores tam in capitibus quam in membris, ipse nihilominus durae cervicis et ferreae frontis, odiens lucem et veritatis hostis, non solum nequiter tergiversatur, sed et malitiose et impudenter denegat tot et tantorum filiorum necessariis precibus aurem inclinare, metuens, ne suae et suorum complicium enormitates et malitiae corrigantur, et ipse ad reformationem compellatur, potius volens totam ecclesiam nostram perire, quam suas et suorum nequitias et malitias impediri.

Nos igitur, qui pro nostra solida clementia satis diu toleravimus suas et suorum enormitates et tempus satis longum poenitentiae ei dedimus, et pro ipsius et suorum salute dissimulavimus vel quasi et distulimus nostrorum assiduos clamores et preces, intelligentes, quod, ut Salamo noster dicit, servus delicate nutritus fit contumax, et ipse dictus praetensus Vicarius Dei de die in diem induratur, et impoenitentiae crimini sese obstringit, et, ut multi narrant, nisi pestiferis eius conatibus resisteretur, in coelum praesumeret ascendere et nos de throno maiestatis (si tantum haberet potentiae quantum cupiditatis) deturbare, ut in ecclesia nostra sine nobis pro libito suo tyrannisare posset: quare dilectorum nostrorum fidelium precibus tandem permoti et inclinati, maturo praehabito cum Patre et Filio coram omnibus sanctis nostris angelis consi-

lio, duximus tantis malis opportuno remedio esse occurrendum et saluti animarum providendum, et autoritate nostra immediata Concilium indicere et convocare et inibi propria persona praesidere, in quo de reformatione ecclesiae nostrae intendimus seriose et veraciter tractare. Unde et in his scriptis tale Concilium indicimus, proclamamus et convocamus et ordinamus in ecclesia nostra vera et sancta celebrandum, requirentes per haec scripta omnes et singulos nostros in Christo fideles, ut non attentis tergiversationibus, repugnationibus, recusationibus, decretis, interdictis, prohibitionibus, censuris, excommunicationibus, ordinationibus, insuper mandatis quibuscunque eiusdem praetensi Vicarii, sive in praeteritum emanatis, sive in futurum emanandis, ad dictam ecclesiam conveniant, ibidem audituri nostram sententiam diffinitivam et generalem de reformatione ecclesiae nostrae, sub poena excommunicationis latae sententiae et mandato obedientiae salutaris. Et ne alicui de hoc nostro decreto dubium existat, mandavimus fideli nostro Notario Gabrieli archangelo, ut hoc transsumptum transscriberet et in tot, quot necessaria fuerint, instrumenta redigeret, et nos autoritate et voluntate speciali mandamus, ut tanta eis adhibeatur fides, ac si vivae vocis oraculo a nobis ipsis audirentur. Datum in throno maiestatis nostrae, anno incarnati filii Dei

M.D.XXXIV.

Et ego Gabriel archangelus autoritate divina Notarius generalis et a sede Dei legatus creatus, cum haec ita fierent, dicerentur et mandarentur, interfui cunctaque sic fieri, dici et mandari audivi, unde et praesens Instrumentum confeci, alterius manu fideliter scriptum meo nomine et signo signavi, praesentibus sanctis dominis Michaele praeposito Paradisi et Raphaele Medico Dei cum multis aliis sanctis angelis Dei, testibus fide dignis, ad haec specialiter vocatis et rogatis.

Conciunculae quaedam D. Mart. Lutheri amico cuidam praescriptae.

1537.

Dum Lutherus anno 1537, mense Februario, Smalcaldiae gravissimo morbo cruciatur (cf. Seckendorfii Hist. Luth. III, §. 60. Luth. Epp. ed. deWette V, 49. 50. 57. 58), hae conciunculae, quas ille amici cuiusdam gratia sub prandiis et coenis effuderat, non ut in publicum ederentur, sed ut hic haberet, quo sese exerceret aliquo exemplo tractandi et docendi verbi, ipso inscio typis imprimendae sunt traditae. Quas quum Wittembergam reversus (mense Martio, cf. Luth. Epp. ed. deWette V, 59) aliquanta ex parte invenisset excusas, amicorum precibus commotus praefationem iis adiunxit, qua quidem sua esse et cogitata et verba non negavit, sed amicos rogavit, ne in posterum tam faciles essent ad libros suos edendos.

Vetustissima huius libri editio est:

Conci- | unculae quaedam | D. Mart. Luthe- | ri amico cuidam | praescriptae |·. Wittembergae. 1537. Tituli pagina figuris typographicis est ornata. In fine: Vuittembergae excudebat Nicolaus Schirlentz. M.D.XXXVII. 8.

Ex hac editione principe, quae nobis ex bibliotheca reip. Norimbergensis praesto erat, nos textum repetivimus.

Latine redduntur hae conciunculae etiam in ed.

opp. Luth. Ien. III, 542 et Wittemb. VII, 248, germanice in ed. Walch. XII p. 2373 (coll. Walchii introd. in T. XII Opp. Luth. p. 22).

Conciunculae quaedam D. Mart. Lutheri amico cuidam praescriptae.

1537.

D. Martinus Luther pio lectori.

Has cogitationes meas, cum resurrexissem a mortuis et domum reversus essem his diebus, inveni raptas sub incudem typographi et aliquanta parte excusas. Effuderam autem eas amici cuiusdam gratia sub prandiis et coenis, non ut in publicum ederentur, sed ut ille haberet, quo sese exerceret aliquo exemplo tractandi et docendi verbi. Nunc, etsi ego frustra indigner et irascar esse in publicum raptas, cogor etiam aliorum amicorum urgentibus precibus praefatione ornare, cum tamen nihil habeam, quod dicere possim, nisi quod negare non audeo, mea esse et cogitata et verba. Verum si iusto tempore et loco licuisset, saltem paulo uberiora et pleniora potuissem vulgare. Si quibus igitur ista ieiuna et egena fragmenta placent, placeant sane me vel invito et favere coacto.

Rogo tamen per Christum pios meos fures (scio enim id eos facere candido et sincero animo), ne faciles sint ad edendum neque me vivo neque mortuo, si quid vel per insidias me vivo furati fuerint mearum cogitationum, vel me mortuo habuerint iam antea sibi communicatum. Quando enim sustinere cogor personam talem ac tantam, praesertim tali tempore, necesse est me dies et noctes aestuare et abundare cogitationibus mirabilibus, quas memoriae imbecillitas (infinitae enim sunt) cogit in chartam duobus aut tribus verbis signare velut rude chaos aliquando, si opus esset, formandum. Has autem furto aliquo vel dono ablatas edere certe ingrati et

humani [1]) ingenii esset. Sunt in eis, ut sumus homines, quae humana, imo et carnem sapiunt. Dum enim soli sumus et disputamus, saepius etiam irascimur, Deus ridet nostras istas egregias sapientias, quibus coram eo gesticulamur, credo quod et delectetur istis suis morionibus, eum regere docentibus, id quod ego non raro feci et adhuc facio saepe. Sed si in publicum proderentur, nae ego fabula pulcherrima fierem omnium fabularum totius mundi, non quod impia et mala sint, quae sic ardens cogito, sed quod prae nimia sapientia stulta sunt, etiam me ipso iudice, post refrigeratum calorem inventionis, qualia sunt multa, quae in principio causae meae fervens scripsi. Quare iterum oro, ut sine me nihil meum edat ullus amicus, aut ipse subeat onus et periculum operis testimonio aperto. Hoc et caritas et iustitia requirit, Dei enim gratia ego per me ipsum etiam optimis scriptis potui et possum me onerare periculis, invidia, oneribus plus quam satis, ut nullo mihi in hac re sit opus adiutore. Christus Iesus toleret nos et liberet nos, tandem etiam a nobis ipsis quoque, Amen.

Index earum concionum,
quae in hoc libello continentur:

1) In ed. Ien.: inhumani.

Dominica prima Adventus. Matthaei XXI.

Et cum appropinquassent Bethphage ad montem oliveti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea, solvite et adducite mihi, et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos. Hoc autem factum est, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiae Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt, sicut praecepit illis Iesus, et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem caedebant ramos de arboribus et sternebant in via. Turbae autem, quae praecedebant et quae sequebantur, clamabant dicentes: Hosianna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosianna in excelsis.

Multa sunt in isto Evangelio, sed principalis locus est propheta allegatus, Zacha. 9. In quo primum hoc notandum, quod Iudaeis est in hoc praedictum signum venturi Messiae, scilicet ne scandalizarentur in eius humilitate, ut venientem possent agnoscere et suscipere. Nam inexcusabiles sunt, quod Christum reprobaverunt et non susceperunt, cum hic clarus sit textus, venturum eorum regem pauperem et super asinum equitantem.

Nec eos excusat, quod gloriosa de Christo dicuntur et de eius regno in prophetis, et ita gloriosum adventum exspectant, quia propter hoc non

debebant eius humilem adventum contemnere. Igitur iste locus concludit contra eos, sicut evidens signum, quod Christus iam venerit et frustra exspectent gloriosum eius adventum, cum hic pauper et super asinum venire prophetetur, et tamen rex eorum appellatur. Necesse enim fuit Christum venire in Ierusalem pauperem super asinum, ut impleretur haec prophetia. Ideo necessario sunt damnati, qui eum adventum contempserunt.

Sic et hodie nos non sumus excusati, si verbum eius (id est spiritualem adventum) non accipimus propter scandalum crucis, quo est opertum et deformatum, ita ut totus mundus et caro contemnent quasi rem nihili, quia vident paupertatem, impotentiam, ignominiam sequi et adhaerere omnibus, qui verbum accipiunt, ideo iustitias carnis amplectuntur ut iura et ceremonias, quia afferunt opes, gloriam, potentiam etc. Alii vero etiam persequuntur, et sic aspectus verbi est contemptibilis et odiosus valde.

Sed ne et nos offenderemur hac humilitate, praemoniti sumus omnium apostolorum et prophetarum et Sanctorum dictis et exemplis, esse hoc verbum verbum crucis, petram scandali, stultitiam gentibus, ideo sumus et ipsi inexcusati, si contempta verbi et ecclesiae humilitate hiamus ad gloriosa et opulenta dogmata, quia Christus in verbo suo contemnitur, et ita a suis non recipitur nec agnoscitur. Sed vae illis, ut Matth. 11, Sodomitis peius habebunt.

Quare cum timore, reverentia, gratitudine est suscipiendus Christus veniens, id est, praedicatus et verbo suo ad nos appropians, ut aedificemur, id est, non scandalisemur in humilitate et asellis eius, id est, praedicatoribus suis stultis secundum carnem. Imo cum gaudio suscipiendus est, ut in Ebraeo copiosius docet Propheta dicens. Nam quod Evangelista simpliciter habet: Dicite filiae Zion, Propheta dicit: Exsulta valde filia Zion, iubila nimis filia Ierusalem, quia ecce rex tuus venit tibi iustus et sal-

vator, sed pauper et sedens super asinam et pullum asinae.

His verbis primo rhetoricatur et hortatur ad laetitiam et iubilum maximum, quia vult affectum eorum movere, significata magnitudine bonorum, quae veniant ad eos, et est ignis in verbis eius. Postea aperit magnitudinem rerum et causam laetitiae et iubili dialectice dicens: Ecce, rex tuus venit tibi, iustus et salvator. Singula verba sunt infiniti ponderis, scilicet quod

1. Rex tuus, non hostis tuus.
2. Venit ad te, ultro ad indignos et miseros.
3. Iustus a peccato iustificans, non legem et peccatum afferens, ut Moses.
4. Salvator, non occisor, iudex, vindex, accusator, sed redemptor a morte. Haec sunt infinita et inenarrabilia, et in Postilla aliquantum indicata.

Deinde magna vi confutat et removet impedimenta et scandala dicens: Magnifica gaudia veniunt tibi, sed hoc monens iterumque monebo: Ne offendaris externa specie regis tui venientis. Verum est, si spectes humilitatem venientis, non rex, sed vilissimus servus videtur, non iustus, sed ipse peccator a Deo contemptus, non salvator, sed ipse egens salvatore, imo neque panem, neque locum habens, in quo vivat aut moriatur. Ideo praedico tibi: Venit quidem tantus rex tuus, sed pauper, id est, humilis, contemptus, miser, non laetus superba pompa, non auro et serico, sed flens, dolens et pannosus, nudipes etc., non equis et curribus, sed in uno asello, et eo ipso alieno et commodato accepto, adeo nihil habens. Cave, cave igitur summis curis, ne ista facies inusitata et nova, et omnibus modis indigna non modo rege, sed etiam servo, tete offendat, et obscuret gloriam istam regis, quam praedico esse in iustitia et salute tua, in redemptione et defensione contra tyrannum, diabolum, peccatum, mortem etc.

Eadem nobis loquitur de adventu verbi seu Evangelii, qui est adventus spiritualis, sicut Paulus

Ephe. 2: Et veniens annunciavit pacem his qui prope et iis qui longe. Ideo et nos rhetorice excitari debemus ad gaudium verbi et virtutes eius agnoscere, quae sunt, ut faciat nos regnum Dei, iustificet a peccato, redimat a morte, etiam si valde humile et stultum sit coram carne. Verum confutanda sunt ista scandala, et non moveri debemus contemptu et humilitate verbi, sed superbire et iubilare de virtute eius triumphali et regali aeterna.

Nam diabolus valde humiliat et contemptum et risibile reddit verbum, per cruces, passiones, detractiones, blasphemias, odia et omnia mala, quae infert. Sed hoc ipsum debet nobis esse signum laetissimum et certum, quod verbum nos iustos, salvos, reges facit. Quia nisi diabolus istas virtutes verbi sentiret et agnosceret, non sic fureret et saeviret tam verbis quam factis, id est tam mendaciis, blasphemiis, sectis, quam vi, caede, persecutione. Aliis enim doctrinis non facit talia, quia novit tales non inesse virtutes, quales in verbo Dei.

In die nativitatis Christi. Esaiae 9.

Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis, super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio et iustitia, a modo et usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.

Esaias plenus laetitia spirituali exsultat, imo insultat impiorum et daemonum furori in toto mundo, et dicit: Und sollt ihr toll und thöricht werden, omnis qui oditis nos, sive sitis daemones sive homines, et vultis nos eradicatos, tamen regnum nostrum stabit invictum in aeternum, vos autem peribitis, quia habemus regem regum, dominum dominantium, Ihr habts versehen, und Er ist schon geboren, Ihr künds nicht wehren. Loquitur enim de Christo

nascituro tam certe, ac si iam coram oculis eorum esset natus. Den König haben wir, das Reich wird sich wol finden, ut mox dicit: Super solium David etc.

Emphasis autem prima est in pronomine, Nobis. Qui sunt isti, Nobis? Oppressi scilicet in mundo, a diabolo, carne, peccato, ut quos non tantum premit peccatum et mors, sed etiam odium diabolorum et hominum, quia noluit[1]) nos redimi a servitute sua perditionis aeterna[2]).

Altera emphasis est in verbo, Natus, scilicet, quod sit nostrae naturae, non angelus, nec aliud creatum, sed homo similis nobis ex femina natus. Non enim apprehendit angelos, sed semen Abrahae etc. Haec est ineffabilis dignatio et laetitia habere regem nostrae carni similem, et omnino perfecte fratrem, socium, qui participet carne et sanguine nostro.

Tertia est in verbo, Datus, quod scilicet donum et pretium nostrum sit, in quo habemus omnia, Rom. 8: Quomodo non donavit nobis omnia in illo proprio filio? Haec sunt adhuc maiora, quod omnia cum illo nostro fratre et consorte habemus.

Quarta, quod Filius est, scilicet heres et dominus omnium, hic et in aeternum. Non est servus, sicut Moses, sed qui omnia habet in manu sua, ut haec Paulus copiose Rom. 8 urget dicens: Quem timeamus? Quid non feremus? Filium habemus datum nobis, an gladius, fames etc.? Quid gladius ad filium? Quid fames? Quid mors? Quid altitudo? Summa summarum, uno hoc verbo, Filius, haurit tam Esaias quam Paulus omnia et comparatione amplifica omnia facit nihil esse; ridicula res illi est mors, furor mundi, odium diaboli, vorago inferni, Es ist alles nicht ein Kliplin, quia Filius datus nobis est in infinitis modis[3]) super omnia ista mala melior, maior, altior, fortior. Hunc etiam habemus.

---

1) In ed. Ien.: nolunt. 2) Ibid.: aeternae. 3) Ibid.: infinitis modis.

Quo merito? Nullo, sed gratia et caritate sola Dei; quia Natus est, Datus est nobis. Post sequuntur nomina eius, quae in Postilla satis diligenter tractata nobis sunt[1]).

Dominica prima Epiphaniae, de puero Iesu in templo invento. Lucae 2.

Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos, et non invenientes regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum, et factum est post triduum, invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super intelligentia et responsis eius.

Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait illis: Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quod in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.

Principalis locus huius Evangelii est de maxima illa tentatione spiritus, quae vocatur Desertio gratiae. Et huius tentationis exemplum hic ipsa mater Dei cogitur fieri. Sed est res ista sublimior, quam ut vulgo dici aut concipi possit. Ideo ab experientia rudi sumatur cogitatio, scilicet quam triste sit parentibus malum, si prolem vel una hora amissam

---

1) In ed. Ien.: tractata a nobis sunt.

putent, quam nulla est ibi consolatio, pax, quies, somnus, cibus, potus, ac nihil plane nisi mors, aut amarior morte casus, iam quis fletus, luctus, dolor, angustia, si per noctem vel diem amissa sit proles?

Nunc ad hanc matrem confer haec omnia, ipsa filium amisit, non e pluribus unum, sed unicum, non solum unum (ut ceterae matres), sed suum solius filium sine patre, sed hoc quoque parum est, filium Dei unigenitum, et sic filium, ut a Deo sit commissus eius fidei tanquam matri, cui maxime Deus talem filium credere dignatus sit. Istae circumstantiae valde horribilem faciunt istum casum et ineffabilem.

Et hunc tantum, talem filium amisisse non una hora, non una nocte, sed toto triduo, hoc est perpetuo et in aeternum. Quis putas fuerat ille dolor? Quid potuit cogitare, nisi sua culpa esse amissum filium Dei, et Deo patri visam indignam, cui filium semel commissum denuo relinqueret? melius fuisset, non factam esse matrem, quam rapi ab eo improvise, signa sunt horribilis irae. Quod si accesserunt cogitationes istae, quod sua culpa et negligentia filius translatus sit, tunc ipsa fuit impedimento, quominus mundus redimeretur. Et quis inter homines fuit maior peccator (ut est conscientia tenerrima), quam hic est ipsa mater Dei. Et tamen sola est tentatio peccati sine peccato, ita permittente Deo et tentante fit ex nullo peccato omne peccatum, sicut hic vides.

Igitur exemplum hoc solari debet omnes, qui sentiunt sese amisisse Christum, fidem, gratiam Dei, et sese esse plane abiectos et repudiatos coram Deo, ut sciant, non esse Deum iratum, sed solum tentari sese. Christus enim etsi amissus videtur, est tamen in templo et in his, quae patris sui sunt, hoc est, pro nobis agit coram Deo. De qua re satis pro vulgo, cetera sunt in experientia.

Secundus locus est historicus, scilicet quaestionibus et cogitationibus exercendus. Primo, apud quos manserit in Ierusalem isto triduo. Nam ne-

cesse est, eum fuisse ab aliquo hospitatum et alitum. Hic cogitari potest, eum habuisse aliquot cognatos in Ierusalem, item quod manducaverit[1]) apud aliquem vilem civem hospitum[2]); item quod apud aliquem Levitam vel sacerdotem fuerit; item quod in templo apud custodes et praefectos templi fuerit. Nam in plateis eum mansisse, quis credat? Iam quam facile est in parva civitate filium in aliis domibus manere, ignaris parentibus, quanto magis in hac tam magna civitate.

Secundo, cum quibus? Nam absque dubio coaetaneos habuit, sicut alius puer, et forte cum socio suo in alicuius alterius pueri domum intravit, sicuti solent pueri. Nam communia puerorum non sunt neganda Christo. Non enim fuit lapis inter pueros, sed similis illis, similia faciens, patiens, citra peccatum, lusit cum eis, ivit cum eis, et alia puerilia fecit, sicut verus homo et verus puer.

Tertio, quomodo potuit sciens ista facere, cum sciret matri hoc dolere vehementer? Hoc enim est contra obedientiam parentum, sicut et mater ei obiicit dicens: Quid fecisti nobis sic? Sed Lucas ista scribit pro argumento, quod Christus non solum esset homo, sed etiam Deus, ut qui, cum vellet, potuit non obedire, sed imperare parentibus, ne videretur esse simpliciter homo. Ideo scribit hic, quod cum eis descendit et subditus fuit illis, quasi diceret: In hoc loco non fuit eis subditus, sed praelatus, post autem subdidit sese eis, et tale nihil amplius fecit usque in diem baptismatis, ubi vocatus fuit a Patre in Iordane.

Tertius locus moralis, plenus exemplis bonorum operum, scilicet: Primo, quod ad Ierusalem ascendit ad cultum et obedientiam Dei, scilicet ut libenter verbum Dei audiamus. Secundo, quod disputat, quaerit et audit, ut perseveremus in verbo discendo. Tertio, quod etiam parentes oblivisci et amitti opor-

---

1) In ed. Ien.: mendicaverit. 2) Ibid.: hospitium.

tet propter verbum Dei, nec de domo nec de re sollicitum esse propter verbum.

Quarto, ubi verbum Dei honoraverimus, tum etiam parentes non despiciamus, sed unusquisque vocationi suae (post verbum) vacet. Non enim tollitur per verbum ulla ordinatio Dei, sed tantum praefertur verbum. Quinto, parentibus dicitur, ut curent quidem liberos, sed sciant opus esse divina ope ad servandos et retinendos et dirigendos, et assuescant pati dolores pro liberis vel amissis, vel alias contra votum agentibns etc. Mußte doch Maria ihres Sohnes entbehren und verloren sein lassen.

Dominica Quinquagesima. Lucae XVIII.

Assumpsit autem Iesus duodecim et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis, tradetur enim gentibus et illudetur, et flagellabitur et conspuetur. Et postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget, et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur.

Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, caecus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat, quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret, et clamavit dicens: Iesu, fili David, miserere mei. Et qui praeibant, increpabant eum, ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se et, cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis ut faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et Iesus dixit ei: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum glorificans Deum, et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Fili David, miserere mei; ista sunt verba seu oratio fidei fortis et constantis contra omnia impedimenta rationis. Ideo placet Christo tam sincera

oratio ex fide procedens, et statim promptum et velut captivum se illi praebet ad voluntatem eius dicens: Quid vis ut faciam tibi, quasi diceret: Fides tua me vincit, pete quid vis. Hoc nobis dicitur, et fit, ut discamus esse importuni, improbi et assidui in credendo, petendo et instando, sicut et omnia alia exempla per totum Evangelium docent. Tunc iste caecus et mendicus insigniter prae aliis pingitur improbus, quia non desistit propter aliorum increpationem, sed pergit, donec impetret, ac si nullus sit homo in mundo, nisi ipse et Christus, ita obturat aures ad omnium voces, et in solius Christi gratia haeret et perseverat.

Fides tua salvum te fecit. Mira plane vox, quod non ipse, sed fides illius faciat miraculum tale. Exinanivit [1]) se ipsum et implet illius fidem omni gloria de miraculo. Ipse quidem facit, et tamen vult videri factum non a se, sed a fide. Adeo magna et pretiosa res est in oculis Dei vera fides. Nam caecus iste absque dubio nihil meruerat, nihil Christo boni fecerat, ut quem ne noverit quidem, sed hoc est eius meritum, quod apprehendit gratiam Christi, et in ea fidit nihil curans, quam dignus, indignus sit, sed unum est eius obiectum, scilicet Christum esse benignum, bonum et misericordem, aequaliter omnibus, qui ita credunt. Ideo Christus non dicit, opera tua, dignitas tua, nobilitas tua ex Abraham, nihil, nihil, sed fides tua te salvum fecit, hoc est, quia credis me posse et velle, ideo fit tibi, quod credis.

Dominica Reminiscere. Matthaei XV.

Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis, et ecce mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David, filia mea a daemonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.

---

1) In ed. orig.: Exinavit.

Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.

At illa venit et adoravit eum dicens: Domine, adiuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum et proiicere ante canes. At illa dixit: Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis, et sanata est filia eius ex illa hora.

Mulier, magna est fides tua etc. Locus principalis in hoc Evangelio est, etiam ad gentes pertinere gratiam Dei in Christo missam. Ideo Evangelistae insigniunt hanc mulierem, quod fuerit gentilis, Syrophoenissa et de finibus Tyri et Sidonis, non de semine Abraham, neque ex lege, neque ex meritis. Nihil enim ad eam pertinebat promissio de Christo, ut ipse clare dicit in textu, primo, quod non audit nec curat eam, secundo, quod asserit, se missum ad perditas oves Israel tantum, tertio, quod appellat eam canem et negat panem filiorum. Sperandum igitur et gentibus significat hoc exemplum, etiamsi non sint circumcisae, aut lege et promissis Dei ornatae, tamen veniunt in communionem Christi et societatem regni.

Est autem haec fides mulieris magna et mirabilis, quod, cum sit gentilis, non solum credit, sed tot impugnata tentationibus tamen vincit et triumphat. Nam satis erat magnum, quod clamantem non audivit, sed contempsit. Hic ruerent nostris temporibus infinita[1]) hominum corda dicentium: Quid clamem? video me non esse in gratia, nec dignatur me sua gratia. Ego sum perditus, desperandum est, Deus odit me, nec vult me salvum etc. Tales cogitationes etiam ista mulier potuisset pati, et forte passa est secundum sensum carnis, sed ipsa,

---

1) In ed. Ien.: innumera.

fortissimi animi virago, has omnes eiicit e corde, et contrarium firmiter statuit, scilicet se fore in gratia [1]) et exaudiendam, et contra spem in spem credit dicens: Etiamsi sim gentilis et omnibus modis indigna, non tamen volo gentilis esse, et scio me non gentilem haberi etc. Ista est prima lucta satis acerba.

Sequens est acerbior, cum petentibus discipulis perdurat, imo negare se ostendit gratiam, plane separans et discernens eam a perditis ovibus Israel. Quis hoc fulmen, hunc ictum ferret, etiamsi esset filius Israel? Horribile est audiri [2]) causam negatae gratiae et non exauditae precis, scilicet non esse de ovibus Israel, nec ad eam vel propter eam venisse Christum. Haec est horribilis excommunicatio et intolerabilis nisi fortissimis in fide.

Tertium est acerbissimum, ubi ipsamet procidens et orans non solum non auditur nec recipitur inter oves, sed aperta sententia damnatur et canis appellatur, ubi alii vocantur filii. O canem iudicari inter filios, hoc non est haberi inter servos saltem, sed simpliciter ab haereditate aeterna filiorum praecidi. Sed tamen perrumpit vis fidei haec omnia, sed in paucis et raris. Nam et ipse Christus miratur hanc fidem, ita ut exclamet etiam dicens: O mulier, magna est fides tua etc. Ideo et impetrat quae voluit; sic et nos faciamus.

Dominica Oculi. Lucae XI[3]).

Et erat eiiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus. Et admiratae sunt turbae. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub, principe daemoniorum, eiicit daemonia [4]). Et alii tentantes signum de coelo

1) In ed. orig.: in gratiam. 2) In ed. Ien.: audire. 3) Haec conciuncula in ed. orig. interserta est inter conciunculam Dominica XXIIII post Trinitatis et conciunculam Dominica Quasi modo geniti. 4) In ed. orig. reliqua Evangelii non redduntur, hic repetita sunt ex ed. Ien.

quaerebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis, in Beelzebub me eiicere daemonia? Si autem ego in Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuit. Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa quaerens requiem, et inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam atque ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima illius hominis peiora prioribus. Factum est autem, cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti. At ille dixit: Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

Miraculum per se patet, quod scilicet Christus sit hostis diaboli, quia destruit opera et damna diaboli, etiam corporalia, quanto magis spiritualia. Haec est consolatio bona scire, scilicet Christum esse hostem istius hostis nostri.

Sic faciente et docente Christo oriuntur triplices auditores:

1. Turba (id est, aliqui boni) mirantur.

2. Invidi et blasphemi, osores, persecutores, qui nollent haec doceri.

3. Tentantes, qui contemnunt et negligunt, sicut vulgus, qui dicunt, signa facit, vera dicit, sed non quae vellemus facit, dicit etc. Summa, qui non curant, et sperant alias sese posse salvari vel non salvari. Contra Christus contemptis his

contemptoribus respondet tantum secundo generi, id est, hostibus etc.

Primo similitudine pulchra, et quam ratio humana non potest negare, id est, de regno inter se diviso. Hoc argumentum est insolubile.

Secundo exemplo, Filii vestri in quo eiiciunt? id est, vos non potestis damnare vestros, scilicet exorcistas, cur me damnatis idem facientem? Odium est etc.

Tertio bellica allegoria de forti per fortiorem victo.

Ergo non in principe daemoniorum eiicio, cum simus hostes per omnia.

Nunc duabus rationibus idem confirmat:

1. Qui non est mecum,

2. Qui non colligit mecum, id est, hostes sumus, ego et diabolus.

Nam qui { contra est / dispergit } est hostis.

Diabolus { est contra / dispergit } ergo est hostis.

Summa, Christus et diabolus sunt hostes.

Alius Sermo:

{ Esse / Colligere } cum Christo.

{ Esse / Dispergere } cum Diabolo.

Hic res magnae dicuntur contra summas religiones et sapientias et pro miserrimis Christianis. Nam Christiani censentur esse contra Christum et omnia dispergere. Impii videntur esse cum Christo et omnia colligere. Sed nihil est, omnia fiunt aliter, quam apparent in speciem.

Definitio quid sit:

Esse } cum Christo, vel diabolo.
Colligere }

Dominica Laetare. Iohannis VI.

Post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum.

Cum sublevasset ergo oculos Iesus et vidisset, quod multitudo maxima venisset ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos et duos pisces, sed haec quid sunt inter tot?

Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere, erat autem foenum multum in loco eo. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes et, cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter et ex piscibus, quantum volebat.

Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quae superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quae superfuerunt his, qui manducaverant. Illi ergo homines, cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: Hic est vere ille propheta, qui venturus est in mundum. Iesus ergo cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Et hoc Evangelion institutum videtur ea ratione, quod miraculum meminit fuisse prope diem Pascha-

tis, maxime vero, quod fames et ieiunium in eo significatur, ut coactus sit Christus eos cibare etc. Sit ista sane pia maiorum cogitatio, et non vituperanda. Res vero ista est, primo, quod Christus significat, eos, qui eum sequuntur, non fore divites et saturatos (quia non docet regnum mundi), sed egenos et famelicos (quia docet regnum coelorum), ideo et per totum capitulum agit de cibo aeterno, qui vitam aeternam donet, dicens, eos omnes mori, qui non hunc cibum aeternum edant, etiam illi, qui Manna coeleste comederunt, quanto magis illi, qui cibum operantur periturum.

Secundo, tamen non sint fame morituri (sicut et tota Scriptura testatur), si modo vere credant in eum et sequantur; vel potius erunt duo panes mille panes et petra daret aquas. Er will uns allzeit ernähren und nicht verlassen.

Tertio (quod est summi solatii), quod ista facit Deus, etiamsi non omnes credant vel sint imperfecti, quia hic vides, quod multi sunt eum secuti (ut dicit) propter ventrem, quia manducastis et saturati estis (inquit); deinde apostoli ipsi sunt infirmi et dubitant, quomodo sint tot ventres pascendi, tamen quia ei adhaerent, simplici corde propter eos facit universae turbae hoc beneficium, forte in turba fuerunt etiam aliquot, etsi rari, homines simplices. Sic sub Mose propter paucos bonos fecit maxima miracula, et postea idem sub Judicibus et Regibus et Prophetis fecit, quia semper honorat suos, etiam infirmos fideles, ut etiam plures impios sinat participari, ita et hodie et semper mundum servat et benefacit ei propter electos. Ideo non est desperandum, donec nobiscum est, id est, donec loquitur et operatur inter nos, dum verbum et sacramenta eius habemus pura, quantumlibet simus infirmi et multi inter nos pessimi[1]).

De fide alendi ventris satis in postilla habetur.

---

1) In ed. Ien. hic additum est: die der Frommen genießen.

Quaestio est, quare discipulos interroget tentando, cum sciret, quid vellet facere.

Respondetur:

Ut ostenderet eis ipso facto, quam in rebus huiusmodi stulta et nihil sit ratio humana, Lieber (inquit), was wollet ihr doch wol thun in solchen Nöthen? Denn ihr sehet, welch' ein Haufen da ist, und wir sind selbs Betteler. Et ipsi respondent secundum rationem satis digne, scilicet desperandum esse, quia etiam (ut Philippus arithmetica sapientia dicit) ducenti denarii nihil essent, cum ipsi vix duos forte denarios haberent. Also soll sichs ansehen, was Gott thun will. Id est, invisibilia debent esse, quae mox erunt visibilia, ex nihilo debent fieri omnia, hoc scilicet voluit ista quaestione illis praeindicare, ut postea discerent fidere et credere ultra quam ratio capere possit.

In die annunciationis Christi. Lucae 1.

In mense autem sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria, et ingressus angelus ad eam dixit: ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Quae cum audisset, turbata est in sermone eius et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.

Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius

Dei. Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus.

Hic dies merito agitur festus, quia prima haec est revelatio advenientis et praesentis Christi, et revera potius deberet appellari Conceptio Christi, quam Annunciatio Mariae, sicut et Symbolum dicit: Conceptus de Spiritu sancto, et Iohannis 1: Et verbum caro factum est, summa, est dies incarnationis filii Dei, hodie factum est miraculorum omnium primum et caput, scilicet quod divina et humana natura copulantur in unam personam, et fit ille infinitus Deus finitus homo, quae res fide comprehendi potest, verbis et cogitationibus est ineffabile[1]), imo scandalum et offensio omnibus sapientibus.

Post tractanda est historia, scilicet, quomodo mittitur a Deo autoritate divina et consilio summo in coelis angelus, absque dubio multis comitatus aliis angelis, quae maiestas invisibiliter quidem geritur, sed quis eam cogitare potest? Deinde ista invisibilis pompa gloriae absconditur et mittitur ad pauperrimam virgunculam in loco vilissimo, in populo contemptissimo apud omnes reges terrae, et cetera, quae Lucas magnifice et diligenter pingit per omnes circumstantias rerum.

Sed principalis locus est, ubi angelus describit filium nasciturum, ubi potentibus verbis affirmat hunc filium esse simul verum hominem et verum Deum, nam, quod sit verus homo, arguit istis verbis, primo: Concipies, sed in utero, ne spiritualem conceptionem quis intelligat, sed eam, qua naturaliter mulier concipit seu gravida fit, nempe non animo aut spiritu, sed utero, hoc est, muliebri organo corporis, in quo solent concipi homines.

---

1) In ed. Ien.: ineffabilis.

Secundo, quod inquit: Paries filium, quia conceptio mentis non parit prolem ex utero, seu filiam seu filium. Ergo partus est veri filii veraeque ex utero prolis. Tertio: Vocabis nomen eius Iesum, quia nomen personae est proprium et humanum arguit partum ex utero more omnium hominum. Quarto, quod patrem David vocat, ergo filius iste est homo verus, alioqui Davidis filius esse non posset, neque enim angelus vel spiritus potest hominis filius dici etc.

Quod autem sit verus Deus, primo, quia filius Dei vocabitur, licet hoc possit calumniari a perversis, tamen in Scripturis nulla privata persona vocatur filius Dei, nisi iste unicus, collective seu pluraliter quidem vocantur Sancti etiam filii Dei, seu filius, ut Exod. 3: Dimitte filium meum, id est, populum meum, sed nulli privato dicitur: Tu es filius meus, nisi huic uni.

Secundo, quod regnum aeternum huic personae datur, hoc est impossibile dari homini puro, quia est regnum Dei solius esse regem sine fine, temporale certo non potest esse, ubi videmus nullum regem centum annis regem esse posse, nedum sine fine rerum ullius[1]) esse potest, cum sint omnes mortales. At hunc regem necesse est esse immortalem et aeternum, quare aliud regnum habet, quam istud mundanum, et tamen, quia homo et filius Davidis est, mortalis est, ita fit iste mirabilis rex simul mortalis et immortalis. Quis ista concordabit? Moritur igitur ut homo, et vivit ut Deus, et mors absorbetur in vita, et immortalitas Dei devorat mortalitatem hominis. Ex quibus sequitur aliam vitam restare post hanc vitam, et hunc regem hominem hoc agere, ut homines ex morte ad vitam per ipsum trahantur. Ah, quis ista credit? Quis attendit? Quis miratur? Transimus sicut surdi et caeci.

Quartus locus est confirmatio praecedentium, scilicet quod virgo quaerit, quomodo sit filius ei

1) In ed. Ien.: ullus.

nasciturus absque viro, quasi diceret, quomodo possum absque viro gravida fieri corporaliter (ut tu dicis), cum nondum cognorim virum. Ista dicuntur, ut sciamus matrem esse virginem et tamen verum esse filium uteri sui. Ideo ne putaretur esse phantasma seu supposititium partum[1]), angelus declarat, quo marito sit impraegnanda, scilicet non viro aliquo, sed ipso Creatore et Spiritu sancto, qui omnia ex nihilo creavit et vivificat assidue. Qui ex nihilo facit omnia, etiam ex utero virginis filium creare potest. Hoc est de Spiritu sancto concipere.

Passio domini nostri Iesu Christi, secundum Iohannem.

Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius. Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem et a Pontificibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis. Iesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem quaeritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit ei Iesus: Ego sum.

Stabat autem et Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit Iesus: Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. Iterum autem interrogavit eos: Quem quaeritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quod ego sum, si ergo me quaeritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.

Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, et percussit Pontificis servum et abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in va-

---

1) In ed. Jen.: supposititius partus.

ginam: calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Cohors autem et tribunus et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum, et adduxerunt eum ad Hannam primum, erat enim socer Caiphae, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudaeis, quod expedit unum hominem mori pro populo.

Sequebatur autem Iesum Simon Petrus et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici et introivit cum Iesu in atrium Pontificis, Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se, erat autem cum eis et Petrus, stans et calefaciens se.

Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis et doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil, quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis, ecce hi sciunt, quae dixerim ego. Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me caedis? Et misit eum Hannas ligatum ad Caipham Pontificem.

Erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid et tu ex discipulis eius es? Negavit ille, et dixit: Non sum. Dicit unus ex servis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus, et statim gallus cantavit.

Adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium, erat autem mane, et ipsi non introierunt in prae-

torium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei: Nobis non licet interficere quenquam; ut sermo Iesu impleretur, quem dixit significans, qua morte esset moriturus.

Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Iesum, et dixit ei: Tu es rex Iudaeorum? Respondit Iesus[1]: A temet ipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudaeus sum? Gens tua et Pontifices tradiderunt te mihi; quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis, nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dixit ei Pilatus: Quid est veritas? etc.

1) Historia legenda tota pro populo, ut memoria teneatur.

2) Distinguenda in sex partes { coenam, hortum, Caipham, Pilatum, crucem, sepulcrum.

3) Accedendo ad primam partem, scilicet coenam, antequam ordine tractentur, prius praefandum est, scilicet, quod passio Christi sit distinguenda ab aliorum Sanctorum passionibus, et hoc diligenter inculcandum in corda vulgi.

Primum, quod historia quidem est tenenda et

---

1) In ed. orig. non inveniuntur verba: Tu es rex Iudaeorum? Respondit Iesus.

cavendum a fastidio etc., sed quotidie memoranda per omnes circumstantias personae, temporis, loci, adversariorum, qualitatis, quantitatis, poenarum, quantum fieri potest. Sed haec breviter tangenda istis diebus, quia res infiniti laboris esset omnia dicere:

1. Quae, qualis, quanta persona, quae patitur.

2. Quam indigno loco et civitate, ubi minus oportuit talia fieri.

3. Quam indigno tempore, scilicet sanctissimo, et omnibus gentibus praesentibus.

4. Quam ab indigno adversario, scilicet populo Dei, cui promissus erat Christus.

5. Quam multiplex, varia, gravis, et non in re aut fama, sed corpore ipso et anima propria fuit poena.

Haec, inquam, non possunt isto aut altero die omnia explicari, amplificari sic etc., sed obiter tangenda et aspergenda, ubi locus fuerit.

Secundum, quod historia ista est de passione
Pro nobis.

ut Abraham, Hiob et alii etc.	Non	pro ipso. pro sua culpa. pro ostendenda tantum obedientia et patientia sua erga patrem.	sed pro nobis.

Istis duobus iam satis est uti pro istis diebus, reliqua tria, scilicet:

Usus, id est, fides	quae apprehendit passionem istam pro nobis factam,
Fructus, id est, caritas	quae exercet opera similia Christi,
Probatio, id est, crux	quae patitur similia Christi,

haec, inquam, tantum tangantur et in aliud tempus differantur, sed tantum signentur hic, ut istis tota causa in animo concipiatur.

Dominica Quasi modo geniti, Iohannis XX.[1])

Cum ergo sero esset die illo, una Sabbathorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum, venit Iesus[2]), et stetit in medio, et dicit eis: Pax vobis. Et cum haec dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dicit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus eius, non credam, et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus et Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt et crediderunt.

Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.

In istis verbis tria sunt observanda. Primum est institutio divina, scilicet, quod ipse Deus sese demittit et ordinat autoritate divina, quod absolutio

---

1) Haec conciuncula in ed. originali interiecta invenitur inter conciunculam Dominica Oculi et Dominica Iubilate. 2) Verba Evangelii hactenus tantum in. ed. orig. redduntur, reliqua repetita sunt a nobis ex ed. Ien.

hominis debeat esse absolutio ipsius Dei: ita ut, qui audit hominem absolventem, certus esse debeat sese ab ipso Deo in coelis esse absolutum.

Et haec institutio est vis et robur clavium, nam quid esset absolvere humanum aut retinere, si hoc fieret temere et arbitrio humano sine Dei mandato seu instituto. Nunc cum Deus ita statuat et mandet absolvi, seu remittere et ligare seu retinere, valet remissio et retentio, non virtute operis seu facti, sed virtute ordinantis et statuentis Dei, sive dignus sit qui recipit, sive non. Sicut baptismus valet, sive recipiat dignus sive indignus, quia est ordinatio Dei, non arbitrium seu factum hominis.

Secundum, res ipsa ordinata seu instituta, scilicet remissio et retentio peccatorum, et hoc quoque diligenter observandum est, quia clare dicit: Quorum peccata, quia de peccatis scilicet agitur vel remittendis vel retinendis. Non dicit, quibus vultis leges ponere, neque dicit, quorum res, corpora, corda velitis ligare legibus, sed sic dicit, quorum peccata, peccata, peccata, inquam, audisne peccata? Quid autem est peccatum? scilicet factum, dictum, cogitatum contra legem Dei, ut Augustinus dicit, non contra figmenta traditionum. Igitur peccatorum, peccatorum, inquam, contra legem Dei, non futurorum per traditiones fingendorum habetur hic ratio, scilicet, quibus in Deum peccatum fuerit.

Horribilis igitur est abominatio Papae, qui hunc locum et similes rapuit ad potestatem condendi leges proprias, cum Christus det potestatem solvendi peccatum, scilicet contra legem Dei factum.

Non potest dici nec cogitari magnitudo istius horribilis depravationis, ut, quod Christus instituit ad relevamen conscientiarum piarum, si peccaverint etc., isti vertant ad oppressionem conscientiarum piarum. O furor Dei et malitia diaboli. Christus absolvit impium a peccatis, contra Deum factis, per hanc institutionem. Et Papatus obruit peccatis pios suis perversis legibus. Ideo ista duo, sci-

licet institutio ipsa et res instituta, sunt diligenter cogitanda et opponenda contra tyrannidem antichristi. Quid enim magis potest esse contra Christum, quam quod ipse pro remissione peccatorum instituit, illi contra remissionem et pro augmentatione peccatorum interpretentur? Contra ubi Christus retineri peccata iubet, scilicet quae contra Deum fiunt ab impoenitentibus et induratis, isti remittunt, quia non puniunt, sed laetantur in eis, et vivunt licentiosissime in omni genere superbiae, avaritiae, libidinis, caedis, blasphemiae, negatae veritatis, sed quis ista satis exaggeret?

Tertium personae, quibus haec institutio fit, et quibus res ista praestanda est, qui tanguntur verbo Dei, Quorum, scilicet, quorum peccata, quasi diceret: Non trado vobis dominium, sed ministerium, quia committo vobis non reges, regna, opes, glorias, sed peccata et peccatores, Quorum peccata, hoc est, Si peccatores petant sua peccata remitti, hic habete potestatem remittendi eis. Qui non petunt nec volunt, hic habete potestatem retinendi, non opes, non regna, non glorias, sed peccata, quia ministros vos esse volo regni coelorum, non terrarum. Ideo cum peccatis et peccatoribus sit vestrum negotium, sive sint vir, sive mulier, dominus, servus, tantum peccata vobis committo his clavibus, praeterea nihil[1]).

Et hoc tertium magnifice praedicandum est propter peccatores miseros, ut sciant sese et sua peccata esse causam finalem huius institutionis et rei institutae. Quia Christus non instituit hanc rem propter ipsos ministros, qui non indigent, multo minus, ut dominentur, sed propter peccatores, ut ipsi consolationem habeant in hac institutione, licet ministri, in quantum homines, etiam indigeant ut peccatores. Sed quia minister huius institutionis se

1) In ed. originali haec sic traduntur: Tantum peccata vobis committo, praeterea nihil; nostra lectio repetita est ex ed. Ien.

ipsum neque absolvit. neque ligat, patet hanc institutionem Christi non ad ipsorum potentiam vel tyrannidem, qui ligant aut solvunt, sed ad ligandos et solvendos pertinere. Et mere passiva est ista gloria huius institutionis, quia ad patientes tantum pertinet, id est, peccatores. Sic dicit, Quorum peccata.

Quare ubi Papa vel minister hac institutione utitur extra peccata remittenda vel retinenda, plane est antichristus. Quia nihil hic ei committitur civile aut mundanum, temporale aut corporale gubernandum, ligandum, solvendum, sed tantum spiritnale, coeleste, aeternum, qualia sunt non res et gloriae, sed peccata in Deum aeternum commissa, pro quibus remissis coelum, non regna mundi dantur, pro quibus retentis ignis aeternus, non patibulum aut civilis poena redditur. Diligenter ista sunt et dialecticissime distinguenda et tractanda.

Dominica Misericordia Domini. Iohan. X.

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae: sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.

Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

Distinguit triplices pastores, { 1. pastor bonus. 2. mercenarius. 3. lupus. }

Definit igitur pastorem bonum, deinde mercenarium, ultimo lupum.

Primo, pastor bonus est ipse, cuius sunt oves

ropriae. Hic pascit, id est, oves curat et defendit sque ad mortem.

Haec sunt tria officia boni pastoris, pascere, ieri, curare, id est, sanare, mederi, quaerere, unere, fovere, portare etc.[1])

Hunc pastorem imitantur omnes veri praedicaores, nam et ipsorum sunt oves propriae, tanquam iembra sua in Christo etc.

Secundo, mercenarius quaerit quae sua sunt, pes, gloriam, favorem. Etiamsi pascat et recte adat doctrinam, tamen non defendit oves contra ipos, sed deserit eas et curam earum non habet. t hic proprie loquitur contra totam Synagogam ou Pharisaeos, qui pastores esse volunt. Et hoc git, ut nos relictis omnibus aliis pastoribus solum isum pro pastore agnoscamus, ut non sequamur iversos aut plures magistros, sed unus sit noster astor, unus Rabbi, unus dominus, et omnes in ipım unum rapiamur et solum, ita ut etiam legis octores cessare debeant et ipsi locum dare. Nam x et sacerdotium Levi Deo serviebant ceu mernarii, propter terram Chanaan, ideo pascebant ropter mercedem.

Et hic est ille locus, quod omnia debent ceere Christo, quidquid non fuit, est, erit Christus, uia omnia dedit Pater in manu eius, et in ipso ecapitulavit omnia Pater, ut ipse unus sit omnia ı omnibus usque in diem illum.

Tertio, lupi sunt vastatores ecclesiae, tyranni er vim, haeretici per dolum. Hic definiendus luus.

Post ista sunt verba Christi diligenter expenenda.

Ut, Ego, id est, nullus alius est pastor, ad me mnia pertinent. Item, Pastor, id est, non sum ıpus, non formidabilis bonis conscientiis et peccaoribus, sed pastor, tutor, curator etc. Item Bonus, l est, suavis, clemens, tolerans, ferens, non auste-

1) In ed. Ien. hic additum est: Ezech. 34.

rus, violentus, Ich bin freundlich, für mir darf sich niemand nicht fürchten, sondern kompt nur zu mir, lasset mich euch helfen, non sum exactor sicut lex, non iudex sicut lex, non tortor sicut lex. Summa, afflictorum sum salus et consolatio suavissima.

Item, Ego cognosco meas.

Hic novus esset sermo. Nam definienda est cognitio ista mutua, Christus cognoscit nos, sed in spiritu, ita ut potius ignorare et oblivisci videatur, adeo nos sinit vexari violentia tyrannorum et dolo diabolorum. Ideo scire, cognosci nos a Christo, magnum est.

Nos cognoscimus Christum, sed fide, quia non apparet esse Christus, sed diabolus noster, si speciem sequaris.

Sic enim et pater Christum cognovit, id est, ut ignotissimum tractari permisit, sed in spiritu cognitissimum habuit, ita ut dominum omnium constituerit.

Ipse rursus cognoscit, id est, nihil dubitat de Patre, quantumvis se ostendat ignotum etc.

Dominica Iubilate Iohan. XVI.[1])

Modicum, et iam non videbitis me, et iterum, modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem[2]). Dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum, et non videbitis me, et iterum, modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, modicum? Nescimus quid loquatur. Cognovit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quia dixi, modicum, et non videbitis me, et iterum, modicum, et videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gau-

---

1) Haec conciuncula in ed. orig. redditur ultima.
2) In ed. orig. verba Evangelii hactenus tantum redduntur, nos hic secuti sumus edit. Ien.

debit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, et in illo die me non rogabitis quicquam.

Locus principalis huius evangelii est, Christianis esse lugendum ad tempus, sed gaudendum in aeternum.

Econtra mundo concedi laetitiam temporaliter, sed lugendum esse ei aeternaliter.

Hic ergo elige utrum volueris, an hic aliquantum pati et illic in aeternum laetari, vel hic aliquantum laetari et illic in aeternum cruciari. Nullum hic medium dabitur, sicut et alibi dicit: Vae, qui habetis hic consolationem vestram etc., et Beati qui lugent.

Haec est dialectica.

Hanc amplificat Christus dicens, modicum illud esse, quod temporaliter flent apostoli, sicut et Paulus dicit, 2. Corinth. 4, momentaneum esse et levem tribulationem nostram etc.

Ergo a contrario magnum erit, scilicet aeternum, quod laetabuntur. Sicut et ex altera parte modicum est, quod laetantur[1]), ideo a contrario magnum et aeternum erit, quod dolebunt.

Hic amplificari potest illud modicum utriusque partis per omnes circumstantias, scilicet a tempore, a quantitate, qualitate, relatione, a loco etc.

Tempore.

Nam pii parvo tempore patiuntur, aliqui vix diem, annum, ut qui occiduntur, aliqui aliquot annos.

Item quantitate. Aliqui tantum corpore, aliqui rebus, aliqui honoribus, alii aliis bonis huius vitae privantur.

---

4) In ed. orig.: laetentur.

Item qualitate. Aliqui ab hostibus, alii ab amicis, filiis, fratribus, discipulis.

Item relatione.

Quia respectu mali, quod alii patiuntur, nihil est (nedum modicum est), quod pii patiuntur. Nam sunt, qui morbis, infamia et aliis malis etiam merito affliguntur, ut fures, latrones.

Item loco.

Quod felicius est pati tantum cum piis et in societate bonorum, quam inter malignos.

Econtra.

Impiorum laetitia est modica, tempore, quia brevi durat[1]), aliqui vix diem, annum triumphant contra pios, sed triumphent sane tota vita, quid est illa vita?

Quantitate tamen etiam ipsi non semper habent opes, honores, sanitatem, ut quaerunt, imo anguntur miseris curis, consiliis, inquietudine persequendi, et plus negotii habent male faciendo, quam pii male patiendo, sicut scriptum est: Non est pax impiis, et semper malefactor sese discruciat, quomodo noceat, et tamen sese magis perdit.

Qualitate. Nam et ipsi sese invisos reddunt omnibus bonis, et eorum triumphus non caret invidia, sicut fabula Aesopi indicat, quod etiam inter sese gallinacei mordeant, et mundus ipse etiam inter sese non habet pacem, sed tumultuantur, et furunt invicem omnibus furiis, superbiendo, ambiendo, invidendo et nocendo, dum interim pii bona conscientia gaudent in tribulatione sua.

Relatione. Quia respectu boni, quod alii habent, praesertim pii, nihil est illorum triumphus nisi somnium tristissimum et vanissima opinio. His amplificationibus addit exemplum de muliere parturiente.

Singulariter tamen notandum est, quod tristitiam et gaudium piorum definit hic, quod sit non videre et videre Christum.

---

1) In ed. orig.: durant.

Visio, id est, cognitio Christi laetificat, amissio Christi contristat, sicut dicit Evangelista: Gravisi sunt discipuli viso Domino. Stude ergo Christum recte cognoscere et laetus eris, si tristis fueris, scias te Christum amisisse. Sed noli desperare, modicum est, quod non vides, iterum apparebit, et tunc non memor eris pressurae tuae. Sicut mulier non videt hominem nasciturum seu vitam, sed nato homine iam nullam videt mortem etc.

Dominica Cantate. Iohan. XVI.

Et nunc vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia haec loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio. De peccato quidem, quod non credunt in me. De iustitia vero, quia ad patrem vado et iam non videbitis me. De iudicio autem, quod princeps huius mundi iam iudicatus est.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semet ipso, sed quaecunque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quod de meo accipiet et annunciabit vobis.

Ex affectu magno loquitur discipulis, cum videat eos ita tristari de discessu suo, quasi diceret: auditis me discessurum a vobis et relicturum vos esse. Hoc sic vos contristat quidem, ut prae tristitia non curetis, quo abeam, quia quicquid illud sit, quo vado, contemnendum potius ducitis, quam ut vos deseram, sed vos erratis et nescitis, quantum boni sit in meo abitu. Erit enim post meum abi-

tum vobis maxima salus, quia veniet consolator, qui me manente non venit nec potest venire.

Sed hic quaeritis forte: Quid ille faciet, ubi venerit te absente et nobis miseris a te relictis? Respondeo: Novum mihi regnum incipiet super totum mundum, quia totum mundum subiiciet mihi et vobis, non quidem iuribus aut armis, sed verbo, quia non pugnabit ferro, sed arguet, hoc est, verbo damnabit et reos faciet, et ita humiliatos subiiciet mihi, ut regnum meum elevetur super omnia regna etc.

Et hic est differentia clara regni Christi et mundi in verbo, Arguet, quod est observandum bene.

Arguet autem tria:

1. Peccatum, id est, omnes esse peccatores extra Christum.

2. Iustitiam, id est, in sola fide passi et suscitati Christi omnes iustificari.

3. Iudicium, id est, quod damnati sint omnes, qui hanc doctrinam damnant.

Quia haec tria mundus servat contra primam tabulam:

Primo.

Non vult omnia esse peccata, quae facit.

Secundo.

Non vult solam fidem iustitiam esse, sed etiam opera bona aliquid esse etc.

Tertio.

Non vult doctrinam istorum duorum articulorum ferre, sed damnat et persequitur. Sunt igitur ista tria hic tractanda:

1. Peccatum revelandum.
2. Iustitia ostendenda.
3. Crux cum patientia ferenda.

Die Ascensionis domini. Marc. XVI.

Novissime autem recumbentibus illis undecim apparuit et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis, quod his, qui viderant eum resur-

rexisse, non crediderant. Et dixit eis: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae, qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt.

Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.

Primo, historia ex Lucae ultimo, Act. 1 et Marci ultimo recitetur, et haec historia simplici sensu declaretur, quomodo scilicet corporaliter assumptus est, corpore levissimo, agillimo, et pro libito apparere potente. Quo exemplo nobis significat, qualia et nostra futura sint corpora, scilicet levissima, agillima, potentia abscondi, ferri, apparere, ubi et quomodo libet.

Post historiam, quae velut imago et figura est, inducatur ipsa res, seu vera ascensio, id est, spirituale regnum Christi. Nam quod a terra assumitur in coelum et nube vehitur, significat regnum eius supra nubes, id est, coeleste, spirituale, aeternum, invisibile esse, donec reveletur.

Et hic adducatur una vel plures Scripturae autoritates ad hanc rem, vel illa ex Psal. 110: Sede a dextris meis, quam Marcus tangit in hodierno Evangelio; vel illa ex Psal. 68: Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem etc., quam Paulus allegat in hodierna Epistola, vel illa ex Psal. 8: Dominum constituisti eum, gloria et honore etc., quam Petrus allegat Acto. 2.

Quaelibet harum trium dabit vim seu rem ascensionis, scilicet Christum esse factum dominum omnium et praecipue mortis [1]), peccati, legis, prop-

1) In ed. Ien.: dominum omnium, mortis etc.

ter suos. Nam qui est omnium dominus, est etiam mortis, peccati, vitae, iustitiae dominus.

Sed nunc reliquis dimissis illam accipimus, quam Paulus tractat ex Psal. 68: Ascendisti in altum etc.

Hic singula verba ponderanda sunt:

1. Ascendisti[1]), significat non solum esse assumptum, sicut Enoch, Elias, aut nos in futuro, sed velut dominum propria virtute ascendisse, quia Psalmus idem perpetuo loquitur ad Christum, et Deum ac Dominum non semel facit.

2. In altum, significat differentiam regni eius ab aliis regnis, quae sunt infra in terra. Ille unus ascendit et solus in altum, ut solus in eos regnet. Igitur regnum fidei est, ubi rex noster super nubes in alto sedet, sed non otiosus, nec sibi regnat ibi, immo

3. Captivam tenet captivitatem. Haec est pulcherrima et suavissima regni Christi descriptio, scilicet quod est captivator captivitatum. Hoc est eius officium, eius opus, scilicet quod credentibus in se victor et captivator tenet captivitatem, id est, peccatum, legem, mortem, ne nos capere amplius possint; sic est mors mortis, peccatum peccati, lex legis, venenum veneni, id est, destruit opera diaboli, vim legis, terrorem mortis, ius peccati, potentiam diaboli, donec istos captivos in iudicio tandem decollet et supplicio ultimo puniat.

Haec possunt amplificari singula per iucundas antitheses captivitatum et libertatum. Ut peccato nos fuimus captivi et servi, ut facere cogeremur, quae peccatum vellet. Nunc peccatum est nobis captivum et servum, cogitque facere, quae volumus secundum Deum, quia sua tentatione et vexatione urget nos ad orandum, credendum, verbum Dei tractandum. Et nisi peccatum nos ita vexaret, frigesceret fides, langueret oratio, torperet verbum.

---

1) In edit. orig.: Ascendisti in altum; lectio Ascendisti repetita est ex ed. Ien.

Ideo captivus ille cogit nos sua improbitate ad odium sui maius et tandem ad victoriam, sicut latro captivus sua pertinacia magis promovet iudicem ad zelum iustitiae, ideo in malum suum nos peccatum sollicitat et in commodum nostrum, quia cogit ad fidem et orationem et ad odium peccati et amorem iustitiae.

Sic mors captiva suo terrore et importuna tristitia cogit nos ad fidem et invocationem, donec efficiamur fortes et contemptores eius tristitiae, quod est eius summum malum etc. Sic de lege et diabolo etc.

Dominica exaudi. Iohan. XV. et XVI.

Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos, sed veniet hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed haec loquutus sum vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quod ego dixerim vobis. Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.

Duo sunt officia Spiritus sancti, primum consolari, erigere corda seu conscientiam erga Deum, ut certi simus Deum favere, et nos placere ei, remissis peccatis omnibus praecedentibus et toleratis imperfectionibus nostris aut quotidianis lapsibus et defectibus, et haec omnia propter Christum mediatorem, ita ut certi efficiamur, non irasci nobis Deum, sed propitium esse. Haec officia Spiritus sancti nulla ratio, lex, consilium, opus, praestare potest, sed solius ipsius est haec gloria, quod sit consolator.

Secundum officium est, audaces, fortes, animosos facere et impellere ad confitendum, praedicandum, docendum Christum foris, contra mundum et principem eius, hoc est, erigere corda erga homines et omnem iram diaboli. Sicut prior erectio est coram Deo contra eius iram et legem, ita haec est erectio coram mundo, contra eius iram et sapientiam. Et posterior fortitudo sequitur priorem naturaliter, quia, postquam Spiritus sanctus me certum fecit de favore Dei, iam mox infert: Quid ergo times hominem? Si Deus pro te, quis contra te? Audi[1]) et sis fortis; si Dei iram superasti, quanto magis hominum iram superabis, ut dixit angelus ad Iacob in Genesi 32.

De veritate.

Spiritum veritatis vocat propter antithesin, contra omnes spiritus mendaces. Quia ea, quae ipse docet et consolatur, videntur toti mundo, imo et carni ac imbecillitati nostrae, esse plus quam decies mendacia. Contra ista scandala vocat eum Spiritum veritatis, quasi diceret: Nihil vos offendat mundus cum tota sapientia, potentia, multitudine, nec vestra imbecillitas, quasi fallat vos Spiritus iste consolator; omnia videbuntur illis et vobis ipsis falsa, sed non fallet, state, perseverate, sentietis ipsum esse veracem sua consolatione.

Haec dixi vobis.

Duo sunt scandala contra ista duo dona Spiritus; contra consolationem est, quod mundus damnabit eos tanquam diaboli ministros et hostes Dei, qui non habeant propitium Deum, sed blasphement Deum, digni, qui excommunicentur a populo Dei et ab ecclesia. Hic sane, quia impii ecclesiae nomen iactant, necessaria fuit admonitio Christi, ne consolationem Spiritus abiiceremus et concederemus nos esse filios irae, sicut ipsi iudicant et clamant.

Contra testimonium seu fortitudinem praedicandi opponunt vim et gladium. Hic iterum neces-

---

1) In ed. Ien.: aude.

saria est admonitio, ne putemus nos deseri a Deo, aut odio haberi, quod nos occidimur, patimur etc., illi aut[1]) triumphant et vincunt. Utrumque enim scandalum est grave, scilicet et damnari in doctrina tanquam hostis Dei et occidi in corpore, tanquam hostis ecclesiae et generis humani. Ideo opus est credere consolationi Spiritus sancti et admonitionem Christi tenere, istam consolationem approbantis etc.

De substantia Spiritus sancti.

Haec obiter et breviter (si libet) tangenda, quia exacte non potest uno sermone tractari, scilicet:

Quomodo Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio, quia quod procedit a Patre, est eum ab aeterno esse idem cum Patre, tamen ut non Pater ab ipso, sed ipse a Patre habeat esse illud idem. Quod autem mittitur a Filio, significat simul ipsum a Filio quoque procedere, quia non filius a Spiritu, sed Spiritus a filio venit etc.

Dominica Trinitatis. Iohannis III.

Erat autem homo ex Pharisais, Nicodemus nomine, princeps Iudaeorum. Hic venit ad Iesum nocte et dixit ei: Rabbi, scimus, quia a Deo veneris magister. Nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus et dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei[2]). Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in reg-

---

1) Leg. fortasse: autem; aut scriptum legitur in ed. orig. et in ed. Ien. 2) In ed. orig. verba Evangelii tantummodo hactenus redduntur, reliqua repetita sunt ex ed. Ien.

num Dei. Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat et vocem eius audis, sed nescis, unde veniat aut quo vadat, sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri? Respondit Iesus et dixit ei: Tu es magister in Israel et haec ignoras? Amen amen dico tibi, quia hoc quod scimus loquimur et quod vidimus testamur et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo, si dixero vobis coelestia, credetis? Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelis. Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Primum est propter festum tractandus locus de Trinitate ad retinendam fidem in ecclesia, quae est ratio festi huius.

Et hic articulus est tractandus simpliciter secundum partes Symboli, ubi dicitur: Credo in Deum, et in Dominum Iesum etc. et in Spiritum sanctum etc. Credere autem est cultus soli Deo exhibitus et nulli creaturae exhibendus. Hic non est locus disputandi, sed simpliciter credendi, quia dicitur, Credo, non dicitur, Cogito vel disputo, sunt supra et extra creaturam.

Secundum de Evangelio (si opus fuerit eo die), ubi agitur de iustificatione. Et definitur, iustitiam veram non esse ex lege et operibus coram Deo, sed ex nova nativitate. Haec doctrina tam sublimis, tam extranea est rationi, ut etiam Nicodemus, scilicet legis doctor in Israel, non solum non fecerit, sed ne intelligat quidem, imo remurmurat, tanquam rei impossibili, quomodo (inquit) fieri possent [1]) ista etc.?

Igitur, iustum fieri non est operari, sed nasci.

1) In ed. Ien.: possunt.

Operator vero non nascitur, sed gignit ipse potius opera. Hic autem in iustificatione est merum pati, quia solus Deus in nobis operatur fidem, per quam nos gignit, ideo Petrus nos vocat Quasi modo genitos.

Nativitas vero haec est spiritualis, ubi excludenda est imaginatio maris et feminae, sed ex aqua et spiritu. Hoc est aliud coniugium, ubi ex aqua et spiritu generantur filii Dei, non filii hominum. Hic non est fingenda aqua spiritualis, seu allegorica, ut Munzerus, qui aquam hic vocavit tribulationes, ut negare posset baptismum, et corda seduceret a visibili signo Dei ad suas cogitationes, cum Deus nos velit docere signis visibilibus et voce corporali, quo essemus certi de sua voluntate, nec opus esset vagari nostris devotionibus et electitiis religionibus.

Igitur statuendum est, hic aquam esse intelligendam veram aquam, et ut distingueretur ab aliis aquis veris sine verbo, additur: Et Spiritu, ut sciamus, baptismum esse puerperam regni coelorum, ubi aqua, non ut aqua sola, sed Spiritu coniuncto et cooperante, eduntur filii regni coelorum.

Et magnifica est ista fidei doctrina et ingens conscientiarum solatium, quod verbum vocale cum aqua iunctum generat filios Dei, quia Spiritus cum aqua iungi non potest, nisi per verbum hominis, a Christo traditum. Nam nisi verbum vocale hominum assit aquae secundum praeceptum Christi, quis sciret, ubi Spiritus esset, aut quae aqua esset baptismus? Necesse est[1]) ergo, non solum aquam esse visibilem, sed etiam medium illud, quo Spiritus invisibilis cum aqua et in aqua cognoscatur operari. Hoc medium autem est praeceptum illud verbum a Christo: Ite, baptisate in nomine Patris et Filii etc.

Hic possunt omnia adduci, quae pertinent ad baptismi gloriam. Item contra opera omnia, quae, cum non doceant renascentiam, baptismo sunt con-

---

1) In ed. Ien.: notandum est.

traria, si renascentiam praesumant. Ideo sunt omnes operum doctores non aliud quam Nicodemi, imo ne Nicodemi quidem, sed vaniores.

Brevis [1]) Comprehensio Evangelii Iohan. 3 de Nicodemo.

Summa, docet de iustitia, quomodo fiamus filii Dei, consequamur remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Prima Conclusio.

Nisi quis natus fuerit e supernis, non potest videre regnum Dei.

Requirit novam nativitatem; igitur primam in totum damnat, quantum ad vitam aeternam attinet.

Cur hoc?

1 Nativitas	vitiosa, damnata, mortalis et calamitosa	propter peccatum	2	sancta, benedicta, aeterna.

1 Nativitas habet sua dona,	iustitiam operum, rationem, praemia et corporalia.

Haec omnia ad vitam aeternam nihil faciunt. Ad hanc praesentem vitam faciunt et sunt necessaria. Sed regnum Dei nemo videre potest, nisi denuo natus.

Quomodo igitur homo nascitur denuo?

Ex aqua et Spiritu. Nota, aquam praeponit. Est enim prius, quod ad sensus nostros attinet.

Sed quid aqua ad regenerationem, praesertim eam, in qua tollitur peccatum, donatur iustitia, vita aeterna offertur? Aqua tantum corpus lavat. Illa autem omnia sunt summa dona spiritualia, quibus non cutis, sed cor purificatur et totus animus immutatur.

---

1) Quae sequuntur usque ad finem huius conciunculae repetita sunt ex ed. Ien. Opp. Luth., in editione orig. a. *1537* non inveniuntur.

Primum Deus ipse aquam ordinat. Igitur non debet abiici. Est potens Deus, etiam ex saxis excitare filios. Sic etiam per aquam potest mundare non corpus vel cutem solum, sed ipsissimum nostrum spiritum seu cor.

Secundo non solum ordinat aquam, sed addit Spiritum, quem sine aqua non vult dare, sic fit ex aqua elementali seu corporea aqua spiritualis, ex frigido et humido elemento ignis Spiritus sancti, quo veterem naturam malam perpurgat, novam producit, accendit, fovet etc. Sicut Paulus vocat lavacrum regenerationis etc.

Sicut igitur prima nativitas corporali vitae servit, exercetur virtutibus civilibus, coercetur legibus, disciplina mollitur, ut coalescat civilis illa societas, quae est Dei creatura, quam Deus vult conservatam, ita ad futuram et aeternam vitam plane nihil facit, quam Deus iustis promittit in lege. Nam cum sit natura vitiata peccato originis et tamen ad virtutem possit assuefieri, non ideo est iusta. Manet igitur in suo vitio et morte, quam peccatum meretur. Ad aeternam igitur vitam nascimur post illam primam nativitatem novo modo, non parentibus mortalibus, sed per Spiritum sanctum Deum aeternum. Forma autem nativitatis est aqua vel baptismus gratiae signum, quod Deus instituit, ut essemus certi de sua bona voluntate, quod per Christi sanguinem sint ablutae sordes peccatorum.

Mirabilis haec doctrina est, sed fide eam oportet apprehendi. Sicut enim ventus non potest deprehendi, quo loco incipiat, aut quo eat, tantum sonus auditur, ita haec nativitas nihil aliud habet, quo apprehendi possit, nisi verbum.

Similia de vento et Spiritu sancto.

Ventus liber, non alligatus loco, personae, tempori, sic Spiritus sanctus. Ventus impellit ac movet, ventus refrigerat, vento omnia patent, sic Spiritus sanctus.

Dominica II post Trinitatis. Lucae XIV.

Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos et misit servum suum hora coenae, ut diceret invitatis: Venite, quia iam parata sunt omnia. Et coeperunt simul omnes excusare se. Primus dixit ei: Villam emi et necesse mihi est exire et videre illam, rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, et eo ad probandum illa, rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi et ideo venire non possum. Et reversus servus nunciavit haec domino suo.

Tunc iratus pater familias dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles et caecos et claudos iutroduc huc. Et ait servus: Domine, factum est, ut imperasti, et adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias et sepes et compelle intrare, ut impleatur domus mea, dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.

Simplex et exigua est ista similitudo in se ipsa, et ideo amplificanda rhetorice.

Primum coenam vocat istam doctrinam suam, scilicet Evangelium, ideo quod sit ultima in mundo futura, nec alia post exspectanda nova. Qui hanc neglexerit, non poterit salvus fieri. Deinde coena est eorum, qui diurno labore et aestu fessi, famelici, sitibundi, cupiunt bonam coenam et saturitatem, ut suaviter dormiant et quiescant. Hoc est eorum, qui sub peccato, lege, mortis metu laboraverunt et studuerunt iustitiam invenire, nec tamen possunt.

Secundo vocat eam magnam, certe vere magnam per omnem modum magnitudinis. Est enim magnitudo in longitudine, latitudine, profunditate, secundum mathematicos, lang, breit, dicke. Longitudo est, quod ista coena durat usque in finem mundi, sine intermissione, quia semper manet et docetur Evangelium. Latitudo est, quod per totum orbem dilatatur Evangelium: In omnem terram exivit sonus eorum; item, Ite in orbem etc. Profunditas est ipsa vis et robur huius coenae seu vir-

is Evangelii, quae est ipse Christus, scilicet cibus ifinitae virtutis.

Igitur omnia sunt magna, infinita longitudo, finita latitudo, infinita profunditas.

Ad haec autor, seu homo iste, qui facit coeam, est infinitus, scilicet Deus ipse seu Christus, quod maximum est, magna caritate et infinita onitate, favens omnia omnibus. Item ministri sunt agni, quia Evangelio serviunt angeli quoque et nnis creatura. Item et finis seu effectus sunt agni, quia ideo comeditur, ut in aeternum vivaus, liberati a morte aeterna, peccato aeterno, lege eterna etc. Ita per omnia est haec coena magna mis.

Nu pfu dich an, unser Erbsünde, die leibige starre lindheit, quod ista omnia ita contemnuntur. Si iquis mediocris civis faceret coenam gratuitam, el ad horam, vel trium ferculorum, vel ad solam mem et sitim corporis tantum die una explendam, onflueret certe (si posset adesse) totus orbis, etiam ulti divitum. Sed ad hanc coenam nemo venit iam vocatus, vix veniunt aliqui coacti. Quae aum est comparatio coenae istius miserae et moentaneae ad hanc coenam aeternam et infinitam beatissimam, o horribilis nostra caecitas et upor.

Sequitur.

Et vocavit multos, hoc proprie pertinet ad polum Israel, quibus promissus est Christus, et sunt er multos prophetas in ipsum Venturum vocati, nquam ad coenam futuram. Et sub ipsa iam hora isit servum suum Iohannem Baptistam, ut invitas diceret: Venite, iam parata sunt omnia. At i spreverunt eum, sed magna specie, scilicet quod cspectarent regnum Messiae prorsus carnale. Ideo ntant dignum esse, si potius villae, bobus, uxori rviant, id est, mundana quaerant in suo Messia. t id quidem fecerunt potior pars populi, scilicet rincipes, sacerdotes et divites.

Principes enim in bobus providendis erant, id it, gubernanda republica Mosi. Nam bos vocatur

magistratus, Psal. 22: Tauri pingues obsederunt me, sacerdotes in agricultura, quia messis significat ministerium verbi, ut Christus dicit: Mittet operarios in messem suam. Coniuges erant divites, qui oeconomiam in Messia quaerebant. Summa, in Christo futuro singuli sua quaerebant, sacerdotes suam iustitiam, principes suam dignitatem, divites suas opes et glorias; ideo Christum non audiunt neque servum eius.

Ideo mittitur Iohannes Baptista tantum ad faeces Israel. Nam coena ista tantum pertinebat ad afflictos et miseros in isto populo, ut alibi quoque dicit Christus: Pauperes evangelizantur, et hic: Exi cito in vicos et plateas civitatis, et pauperes ac debiles et caecos et claudos introduc huc. Denique rex ipse Christus venit pauper et iustus. Sic Paulus 1. Corinth. 1: Non multi nobiles, divites, potentes etc., sed stulta, infirma, ignobilia elegit Deus.

Istis igitur sic vocatis nondum est plenum convivium. Mittitur servus extra civitatem in publicas vias, hoc est, ad gentes sine lege, quae vocantur et ipsae, et damnantur populus Iudaeorum, ut non sint gustaturi hanc coenam. Satis horribilis comminatio, sed tamen impleta, ut videmus coram oculis.

Dominica IV post Trinitatis. Lucae 6.

Estote ergo misericordes, sicut et pater vester misericors est. Nolite iudicare et non iudicabimini. Nolite condemnare et non condemnabimini. Dimittite, et dimittetur vobis. Date, et dabitur vobis, mensuram bonam [1]) et confertam et coagitatam et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis et similitudinem. Nunquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in fo-

---

1) In ed. orig. verba Evangelii hactenus tantum redduntur, reliqua a nobis ex ed. Ien. repetita sunt.

veam cadunt? Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

Hoc Evangelium est collectitium ex variis dictis Christi, non uno tempore praedicatis, quemadmodum Proverbia Salomonis, item multa in Ieremia et in aliis prophetis videmus collecta.

Primum est: Estote misericordes etc. Pendet quidem hoc dictum ex praecedente utcunque. Et est haec summa, regnum Dei discernere a regno mundi, quia in regno Dei regnat gratia, remissio, indulgentia etc., sed in regno mundi lex, vindicta, exactio etc. Igitur vos ne speretis regnum meum fore regnum mundi, sed contra parate vos ad misericordiam, eamque perfectam etiam inimicis praestandam, sicut Pater praestat, qui benignus est super ingratos et malos, pluens, benefaciens, defendens, liberans etiam pessimos homines, gentes idolatras. Et hic amplificanda illa beneficia Dei generalia per totum annum, a sole, luna, stellis, terra, fructibus, pace, oeconomia, divitiis, sanitate, et infinitis aliis, quibus ab initio usque in finem benignus est, etiam ignaris, malis, blasphemis, idolatris et infinitis monstris eum assidue provocantibus, nam quicquid bonorum, vitae, sanitatis, rerum habet orbis, largiente et conservante Deo habet, ita eis miserente et benefaciente.

Hic nunc separant sese falsi Christiani, qui benigni sunt bonis, non autem malis, imo neque bonis benefaciunt, sed tantum suis amicis vel adulatoribus, a quibus vel honorem, vel laudem, vel sua commoda exspectant, et tamen putant se sanctos et magnos viros contra malos vel ingratos, incredibili impatientia, et fingunt zelum iustitiae etc. Non est leve hoc malum, quia subtile et speciosum est,

nec unquam credunt sese hoc verbo Christi tangi, sibi ipsis impedimento sunt etc., et manent hypocritae in hoc articulo, sicut et in sequentibus.

· Secundum: Nolite iudicare et non iudicabimini. Sicut primo dicto docuit nos debere misericordes, id est, beneficos esse, exemplo Patris, qui super omnes beneficus est, haud dubie severus futurus in eos, qui eius exemplo et praecepto contrarii non sunt benefici. Quia cum prior dilexerit nos, vult etiam, ut eum imitati diligamus, aut versurus est dilectionem in iram. Ita et hic dicit: Pater non iudicat nec vituperat vos, sed iustificat potius vos et approbat, sublato iudicio eius universo, ne ulla sit vobis suspicio aut metus de eius offensione aut ira. Si ergo ille indignos iustificat et remissis peccatis omnibus nullum vestrum iudicare aut accusatum aut reum vult habere, sed excusat potius et absolvit vos pessimos et ingratissimos, debetis et vos invicem iustificare remissis peccatis, non accusare, non reos tenere, sed iudicio postposito absolvere, praesertim eos, qui agnoscunt, vel errore et tentatione peccant. Quod si exemplum patris contemnentes invicem iudicaveritis, et ius mutuum defenderitis, ac reos invicem tenueritis, dico vobis, quod et vos iudicabimini. Ideo ne iudicemini, curate, ut Patris non iudicantis vos exemplum imitemini.

De tertio idem sentiendum: Nolite condemnare, id est, nolite exsequi iudicium vestrum, nolite vindicare vos ipsos invicem, hoc est, nolite condemnare. Condemnatio enim est exsequi iudicium, id est, re ipsa iudicare, scilicet verbo, facto, studio, consilio nocere invicem, detrahere, mordere, impedire, negligere, resistere etc. Quae hic possunt singula (quomodo fiant) amplificari. Sed sic facite, quia pater vester vos non condemnat, non vindicat, non nocet, non mordet, non impedit etc., sed sublata damnatione iuvat et benefacit, ita et vos facite. Quod si non feceritis, dico vobis, quod et ipse ex iuvante fiet condemnans super vos, tanquam eos, qui hoc ipso facto vestro contrario testes estis, vos nondum accepisse eius gratiam, remissionem, iudicii,

sublationem damnationis, neque credere hanc gratiam, remissionem, indulgentiam, qui autem non crediderit, merito condemnabitur. Et sic solvitur hic obiectio illorum ex isto textu, quod Christus operibus tribuat remissionem peccatorum. Non tribuit operibus, sed quia infideles sunt nec credunt remissionem Dei sibi factam, id quod testantur opera eorum infidelia, ideo dicit et remissionem Dei ob illorum incredulitatem (facto coniunctam) tolli.

Idem de quarto dicendum: Dimittite et dimittetur vobis, id est, videtis, quod vobis remiserit non solum praeterita, sed etiam adhuc quotidiana peccata dimittit, nec exigit summam perfectionem a vobis, igitur et vos ita facite, non solum praeterita remittite, sed etiam quotidie et septuagies septies, id est, in infinitum dimittite, sicut ille pater facit. Quod si non feceritis, ipse quoque vertet suam dimissionem quotidianam in retentionem quotidianam. Et numerabit ultra praeterita peccata etiam quae quotidie facitis infinita etc. Exponatur per omnem formam ut praecedentia.

Date etc. Eadem forma istud quintum tractetur: Date etc. Deus dat assidue, non solum antea dedit, sed perseverat dans indignis. Hoc exemplo Patris et vos assidue date, etiam indignis, non contenti, quod antea dedistis; quod si non feceritis, et ipse auferet tandem, quae dat et daturus erat. Hic potest induci ad propositum, quare Deus nunc incipiat punire nos, et fame et aliis malis, scilicet, quia nos cessamus dare, ipse vertet se et auferet etiam, quae consuevit dare.

Quia ipse sic concludit: Eadem mensura, quasi diceret, quia Patri non creditis, et praedicta non agnoscitis, sed contraria facitis, ideo et ipse incredulos (eo facto convictos palam) eadem mensura puniet, sicut scriptum est: Cum perverso perverteris, et Reddet unicuique secundum opera sua.

Ille locus, Mensuram plenam, est exhortatio ad libenter dandum, et suis modis amplificandus.

Dominica XIV. post Trinitatis. Lucae 17.

Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi[1]), qui steterunt a longe et levaverunt vocem, dicentes: Iesu praeceptor, miserere nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

In isto Evangelio quatuor nobis exempla proponuntur: primum fidei, secundum gratiae, tertium ingratitudinis et gratitudinis, quartum periculum traditionis seu legis falso tractatae.

Primum est fidei. Nam hic docemur et exhortamur exemplo istorum leprosorum, ut simus audaces ad fidendum et invocandum Christum, etiam si simus indigni et indispositi et omnibus meritis vacui. Isti enim leprosi erant certe indignissimi beneficio hoc Christi, ut qui nihil egerant aut meruerant apud Christum. Deinde adeo indispositi, ut etiam lege essent prohibiti in vulgus ire, sicut testantur eorum verba: Iesu, miserere nobis. Qui dicit Miserere, nullum iactat meritum, nullam intelligit dignitatem, sed confitetur indignitatem et miseriam. Ideo non cogitant, quam digni sint, sed quam miseri et egentes illius gratuito beneficio. Sic et nos agamus statuamusque, Es heiße würdig oder unwürdig, Ich muß es haben, Noth ist Noth.

Non hic quaerendum, quis aut qualis sit, qui

---

1) In ed. orig. verba Evangelii hactenus tantum redduntur, reliqua a nobis ex ed. Ien. repetita sunt.

petit, sed quid et quale sit habendum, necessitas hic spectanda est, non dignitas. Ideo hic labor est contra nos ipsos et legem. Quia naturaliter sumus pavidi ob nostram indignitatem, vitio originalis peccati, accessit lex, quae auget hanc timiditatem, accusatione peccati, et terrore iudicii Dei etc. Ideo tam contra peccatum quam contra legem audendum et fidendum est exemplo istorum leprosorum, alioqui nunquam discemus neque fidere neque petere. Quod enim indigni non accipimus, digni nunquam accipiemus.

Secundum est gratiae, nam hic allicimur et consolamur, quam facilis sit et promptus Christus ad iuvandum, omnibus fidentibus petentibusque expositus tam prodige et effuse, ut mox visis ipsis et auditis donet quid velint. Quem non moveat et alliciat tam prompte exhibita gratia? Igitur cogitandus et imaginandus Christus non tyrannus, ad quem per Sanctorum merita sit accedendum, sicut fecimus olim, sed per sese quisquam accedat, et inveniet quod petit. Nam ipse est thronus ille gratiae, ut ad Ebraeos dicitur, ad quem cum fiducia accedendum est et non differendum, donec videatur nobis dignum. Si enim est gratia, ergo non ex operibus, si ex operibus, ergo non ex gratia, ut Paulus ubique gratiam extollit.

Tertium exemplum gratitudinis, quo docemur, ne nos turbet multitudo ingratorum, tam erga nos quam erga Deum. Nam oportet sic fieri, Deus contemnitur in verbo et beneficio suo, quid mirum, si nos contemnamur et ingratos sentiamus? Parandus ergo est animus, si inter homines vivendum est, ut certo tibi ipse prophetes, tua beneficia esse perdita et perdenda apud plurimos et miraculum esse, si paucos invenias gratos. Nam Christus hic novem beneficia perdit et solum decimum gratum invenit. Hic non considera, quid meriti sint summi viri in gentilibus et sacris historiis. Quid Moses meruit tot signis, laboribus, periculis pro populo eum sine fine postea vexante? Quid David apud Saulem, et

totum populum? Quid Themistocles, Cicero et alii? Quid nostro seculo multi principes? etc.

Quartum est periculum legis. Nam isti leprosi sunt seducti, haud dubie a sacerdotibus. Nam certum est eos fidem habuisse, dum mundarentur, alioqui non fuissent mundati. Igitur lex et sacrificia et opera, illis falso praedicata, subvertunt[1]) eos, ut, amissa fide in verbum Christi, nunc credant suis sacrificiis et meritis impetratam mundificationem. Huc enim facile fuit detorquere istam vocem Christi: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Hoc sonat, quasi sine sacrificio, secundum legem Mosi pro leprosis offerendo, non potuerint mundari, ideo persuadentur facile, quod obedientia legis, non gratia Christi mundati sint, cum Christus hoc voluerit, ut suum beneficium donaret, sine iactura proximi, id est, sine damno sacerdotum, quibus ex lege debebatur sacrificium pro leprosis. Hoc ipsi torquent, quasi tribuisset sacrificiis virtutem mundandi leprosos.

Sic hodie et semper fit in abusu legis. Si legem exigas, putatur lex iustificare, cum lex exigatur tantum ad testimonium (ut Christus dicit) super ipsis, non ad iustificationem seu mundificationem. Ergo periculosissima est doctrina legis, si tractetur ab imperito et gratiae ignaro magistro. Quia necesse est eum tribuere iustitiam, virtutem, gloriam operibus legis, quasi propter eam factam Deus omnia det et faciat, cum contra Deus sine lege et operibus omnia det et faciat, et tum exigat etiam legem pro testimonio et gratiarum actione, non pro meritis aut iustificatione. Hunc locum (ut principalem) Paulus tractat, et est amplior, quam ut uno sermone possit doceri.

Dominica XIX post Trinitatis. Matth. 9.

Et ascendens Iesus in naviculam transfretavit

1) In ed. orig.: subverterunt.

et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua [1]). Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico): Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbae timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Hoc Evangelium docet locum istum iustificationis et remissionis peccatorum magnifico exemplo. Quia Christus uni isti homini praedicat Evangelium gratiae, ante omnia eius merita et plane apertis verbis, profitetur eum esse peccatorem, dicens: Peccata tua, non dicit: Laudantur opera tua seu merita, sed peccator es et peccatis plenus, tamen noli desperare, ne sis pusillanimis, sed audacter confide, peccata tua te non impedient nec ultra accusabunt, sed remissa et damnata esse debent. Ita est magna vis in isto verbo: Confide, quo rhetoricatur et movet eum ad erigendam fidem erga gratiam opulentissimam, quam ei offert tam facilis et pronus, ut non solum verbo, sed et gestu et affectu eum invitet ad fiduciam misericordiae. Audendum est, inquit, aude, confide, sis fortis et animosus. Quia fiducia in pectore vere magna est audacia, ut is praesumere audeat sese habere Deum propitium, quem sentiat toto corde peccatis suis (ut non potest aliter natura) esse iratum. Hoc est ipsum, quod non obscure Christus significat eo ipso verbo, quia dicit: Confide, quia nisi sciret, hominem esse pavidum et

1) In ed. orig. verba Evangelii hactenus tantum redduntur, reliqua a nobis repetita sunt ex ed. Ien.

peccatis suis terreri et fugere Deum, non diceret: Confide; dicere enim ad aliquem: Confide, est significare, illum fugere, trepidare, terreri. Ut quid enim diceret duris et insensatis, plus satis animosis vel potius furiosis: Confidite, cum eorum confidentia sit potius terrenda, sicut horum pusillanimitas erigenda. Opponendum ergo est hoc verbum Christi: Confide, fili, vel universo Mosi et legi, imo ipsi monti Sinai cum omnibus terroribus suis. Quia tunc non audiebatur ista vivifica vox: Confidite, sed ista mortifica, quae dixit: Ut timeatis Dominum, et illi quoque dixerunt: Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Ergo legis vox est: Time, morere, interi, damnatus esto, etiam iustus ex lege etc. Sed haec vox est Evangelii: Confide, vive, servatus esto. Pendet ergo tota rhetorica Evangelii in isto verbo: Confide, fili, quia significat, impellendum esse cor ad fiduciam omnibus argumentis et exemplis, quae misericordiam Dei praedicant, contra omnia argumenta et exempla, quae iram Dei ostendunt.

Dialectica autem Evangelii est ista sententia: Remittuntur tibi peccata. Hic nulla fit verbis exhortatio, sed res ipsa certa definitione docetur, scilicet, esse nobis remissionem peccatorum apud Deum per Christum certissime propositam. Haec definitio non est in dubium ponenda, quia filius Dei (quae est summa demonstratio) eam praedicat et asserit, nec pertinet ad istum paralyticum solum ista definitio, sed ad nos omnes, ut in fine Evangelii dicitur: Qui hominibus talem potestatem dedit, quasi diceret, potestas illa universaliter data est inter homines etc. Germanice, Kann ein Mensch das thun? scilicet remittere peccata etc.

Iam definitionis partes explicari seorsim possunt, scilicet Peccata, Remissio, Tibi. Ubi peccatum dicit, non de ficto aut vano peccato intelligitur, nec de eo, quod hominum traditionibus oritur, sed de vero peccato contra Deum et eius praecepta secundum decalogum. Hic de peccato infinitus es-

set sermo, secundum primam et secundam tabulam etc., sed abbreviandus est.

Remissio significat absolutam gratiam indignissimo exhibitam, quia remissio pugnat contra satisfactionem, et tollit meritum et satisfactionem. Hoc verbum infinitos etiam sermones pareret, quia vastat omnes cultus, opera, religiones, quibus gratia Dei putatur impetrari, contra missas, vota, peregrinationes, Sanctorum invocationes. Emphases enim istae sunt notandae et urgendae in talibus verbis Christi, quia valde consolantur, nec solum consolantur, sed etiam pugnant contra adversarios, licet et ipsa pugnatio sit consolatio quaedam, quia certam facit conscientiam, quod adversarii nihil contra possint.

Tibi et tua, hic opus, hic labor, ut unusquisque ista magnifica verba possit intelligere ad sese pertinere et dicere, Mihi, Mihi dicis, Domine. Remittuntur tibi peccata? Imo tibi et tua; ideo confide, aude, sis certus et fortis. Sic istis verbis totius Evangelii summa brevissime est comprehensa, scilicet per Christum et in Christo donari remissionem peccatorum nobis simpliciter gratis.

Sed hac voce audita sequitur Evangelii digna gloria, et pro tanta misericordia pulchra gratitudo, scilicet quod Christus cum suo Evangelio damnatur, blasphematur et abominationi idolorum comparatur, quia velit esse Deus etc. Nec mirum, quia rationi est valde contrarium, quod Deus per hominem operetur ista magnifica opera Dei.

Dominica XX post Trinitatis. Matth. 22.

Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis dicens: Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos, ut vocarent invitatos ad nuptias et nolebant venire. Iterum misit alios servos dicens: Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt et omnia parata, venite

ad nuptias [1]. Illi autem neglexerunt et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam, reliqui vero tenuerunt servos eius et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi eius in vias congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos, et impletae sunt nuptiae discumbentium. Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Pingit imaginem ecclesiae et verbi Dei in mundo. Primum in Iudaeo populo, ubi distinguit duplices discipulos verbi, scilicet, quia vocati ad nuptias quidam contempserunt verbum et suis intenti lucris manserunt domi, quidam etiam persecuti sunt et occiderunt ministros, sed vindicta est secuta, scilicet vastatio. Et haec quidem Iudaeis contigerunt vastata tandem Ierusalem, ubi tam contemptores, quam persecutores perditi sunt.

Hoc factum est exemplum omnibus gentibus, quia et ipsae primo contempserunt et persecutae sunt, deinde perierunt, ut Roma, Graecia etc. Et perseverat exemplum, et fiet etiam nostris hodie tyrannis et contemptoribus. Quare beatus, qui timet Dominum et reveretur verbum eius, licet sit avis rara in terris.

Secundo, quia etiam in gentibus futurus fuit

---

1) In ed. orig. verba Evangelii hactenus tantum redduntur, reliqua a nobis repetita sunt ex ed. Ien.

contemptus verbi Dei, quae sunt collectae de sepibus et viis, id est, de populis idolatris, qui sine lege fuerunt. Nam priores dicit habuisse civitatem, id est, fuisse populum ordinatum legibus. Hos autem dicit in viis et sepibus, id est, fuisse sine cultu, sine Deo, sine verbo. Ideo dicit bonos et malos, donec impletae sunt mensae etc., id est, usque in finem mundi. Tunc ingredietur rex, iudex Christus, et separabit istum hypocritam a fidelibus etc.

Ex isto loco primum istud docemur, in ecclesia esse semper malos, id est, hypocritas, tam in officio publico quam privato, nec posse discerni omnes, nisi ab ipso Christo in novissimo die: ideo ecclesiam non esse iudicandam secundum faciem externam, cum sint etiam occultissimi in ea hypocritae. Et hic locus est necessarius scitu, ne propter malos damnetur ecclesia, aut exigatur, ne ullus sit in ea malus aut peccator. Qui error fuit multorum malorum causa et vehementer perturbavit ecclesiam. Nam, ut non sint tolerandi palam flagitiosi, quis occulte malos iudicabit? Miscere autem et confundere istud discrimen manifeste et occulte malorum est confundere ecclesiam et nuptias istas filii.

Secundum, quod ulterius ad Christi adventum non est exspectanda segregatio piorum et impiorum externa et corporalis, sicut synagoga est ab ecclesia corporaliter segregata etc. Quia Christus voluit synagogam etiam corporaliter segregari omnibus modis ab ecclesia, scilicet sacramentis, verbo, ritibus et omnibus externis signis. Sed haeretici non sic separantur usque in illum diem, quia communicant iisdem sacramentis, verbo, ritibus etc. Hoc est contra hodiernos et multos fanaticos, qui lacerant ecclesiam et volunt etiam corporaliter separare ecclesiam ab haereticis. Sed stat textus, quod iste carens veste nuptiali manet in nuptiis, donec rex ingrediatur ipse.

Post istos locos est quaestio de veste nuptiali, quid sit? Nos dicimus esse indumentum Christi, de quo Paulus: Quotquot baptizati estis, Christum

induistis, id est, fides est haec vestis, qua induimus iustitiam Christi coram Deo. Alii dicunt esse caritatem, non fidem. Hos sinimus ambulare suo sensu et dicimus: Si possunt hanc vestem afferre, bene concordabimus nos. Sed ipsi nesciunt hoc esse impossibile, ideo nunquam afferent. In nuptiis enim oportet vestem sponsi afferre, non própriam et communem vestem. Wir müssen in seiner Farbe gehen, iustitia Christi nos ornat, non nostra opera.

Pöena igitur hypocritarum est non temporalis, sed aeterna, non segregatio corporalis, sed spiritualis, scilicet tenebrae exteriores, id est, aeterna damnatio. Nam tenebrae interiores sunt fides in hac vita, id est, ignorantia rationis et captivatio intellectus in obsequium fidei, sed tunc erit foris damnatio, id est, separatio a luce aeterna, per totum et sine spe, quia ligati manus et pedes erunt, ut nec mereri possint nec liberari.

Dominica XXIV post Trinitatis. Matth. 9.

Haec illo loquente ad eos ecce princeps unus accessit et adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam et vivet. Et surgens Iesus sequebatur eum et discipuli eius. Et ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius; dicebat enim intra se: Si tetigero [1]) tantum vestimentum eius, salva ero. At Iesus conversus et videns eam dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Iesus in domum principis et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicit illis: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba, intravit et tenuit manum eius, et dixit: Puella, surge; et surrexit puella. Et exiit fama haec in universam terram.

---

1) In ed. orig. verba Evangelii hactenus tantum redduntur, reliqua a nobis repetita sunt ex ed. Ien.

Ostendit hic Christus verum contemptum mortis, dum negat puellam esse mortuam, sed affirmat eam dormire. Hoc proprie pertinet ad officium Christi, scilicet mortem extenuare, sicut officium Mosi fuit et est mortem exaggerare. Igitur sicut Moses expergefacit mortem, ita Christus sopit mortem, ille vocat eam mortem, hic somnum. Ergo hac voce Christus mire consolatur et avocat omnes afflictos a Mose ad sese, a morte ad vitam etc. Et vult nos scire, omnibus credentibus in eum mortem esse sublatam et mutatam vere in somnum.

Finis.

Cur et quomodo Christianum Concilium debeat esse liberum. Item de coniuratione Papistarum.

1537.

In scriptis Lutheri, quae anno 1537 typis impressa sunt, etiam hoc est, quod inscribitur: Cur et quomodo Christianum Concilium debeat esse liberum, item de coniuratione Papistarum. Uberius de hoc scripto agit Seckendorfius in Hist. Luth. III §. 99. „Ab initio huius libri," inquit ille, „auctor spem omnem deponi iubet de reformatione ecclesiae et sinceritate doctrinae restituenda propter iuramenta horrendissima, quibus omnes fere Doctores, Praelati et Episcopi Pontifici obstricti sint, nec praestituros multum esse paucos quosdam, qui nuper veluti postliminio errores agnoverint, fore potius, ut ceterorum exprobrationibus animi illorum frangantur: ideoque iuramentorum relaxationem ante omnia necessariam esse, nihil enim sperari posse a colluvie illa hominum, quorum, licet plurimi ex iis sint indoctissimi et puri puti asini, una et quaestuosissima ars sit, unius horae spatio discenda: Papae servire, adulari, honores divinos ei tribuere, ius et fas in ipsius gratiam pervertere et secreta, cum commodum est, prodere etc." Ad haec dicta confirmanda ille porro non-

nullas formulas iuramentorum antea diligenter et insidiose celatas ex tenebris in lucem produxit. Hoc scriptum primum in vulgus editum est sub hac inscriptione:

Cur et | quomodo Chri- | stianum Concilium debeat | esse Liberum | Item de coniuratione | Papistarum. | Quae in tenebris dixistis, in lumine au- | dientur, et quod in aurem locu- | ti estis in conclavibus, praedi- | cabitur in tectis. Luc. 12. | (s. l.) 1537. 8. In fine: Exsurge, Domine, iudica causam tuam, Vindica sanguinem servorum tuorum, qui effusus est. Amen. Impressum Vitebergae per Iosephum Klug. 1537.

Ex hac editione originali, quae nobis ex bibliotheca regia Monacensi praesto erat, nos textum huius libri typis excudendum curavimus. Memoratu autem dignum videtur, in margine huius exemplaris Monacensis ab antiquo possessore scriptum hoc legi: Huius libelli auctor est Urbanus Regius, ex qua quidem nota coniicere licet, fuisse superioribus temporibus, qui hunc librum ab Urbano Regio compositum esse crederent.

Latine redditur hoc scriptum etiam in edit. Ien. Opp. Luth. IV, 591, germanice in Lips. XXI, 196. Walch. XVI, 2566.

Cur et quomodo Christianum Concilium debeat esse liberum.

Item de coniuratione Papistarum.

Cum Paulus huius nominis tertius, Pontifex Romanus, Concilium generale hoc anno, qui est a nativitate Domini millesimus quingentesimus tricesimus septimus, Mantuae celebrandum indixerit, animadverto nonnullos simplices homines magnam spem ecclesiae reformandae sinceriorisque doctrinae restituendae concepisse, quos tamen pro sua simplicitate rerumque imperitia miserabiliter errare ac periculose falli nequaquam dubito. Nam omnes ubi-

que fere Iuris et Theologiae Doctores, item Notarii, Abbates, generales Vicarii, ministri et Magistri ordinum, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchae et Cardinales omnes usque adeo Romano Pontifici addicti et in obedientiam atque servitutem illius iuramentis horrendissimis ac palam impiis adacti et constricti tenentur, ut sperandum non sit, quenquam ex iis pro Christi gloria, Evangelii veritate, ecclesiae puritate ac animarum salute strenue laboraturum, idque propter infinita pericula, quae illis imminerent, si vel suspicione aliqua contemti aut neglecti iuramenti aspergerentur.

Quae dum metu Pontificiae tyrannidis (quam reges etiam potentissimi exhorrent) anxie cavent, magis quid Pontifex rugiat, quam quid Deus approbet, considerant, exceptis paucissimis quibusdam, qui nuper ad Christum veluti postliminio redierunt et de erroribus ac impiis suis iuramentis vere et ex animo poenitentiam egerunt. Quorum animi tamen per se imbecilles magis franguntur opprobriis eorum, qui, cum eiusdem conditionis, ordinis atque dignitatis sint, violatum illis commune iuramentum exprobrant atque ita quantumvis in conscientia coram Deo securos coram mundo tamen pudefieri et pallescere et perfidiae infamiam horrere cogunt.

Reliqui vero docti, boni et pii viri, qui incorrupte et secundum verbum Dei recte iudicare possent, cum sententiae de rebus et dogmatibus in Christiana religione controversis dicendae sunt, in Concilium nequaquam admittuntur, quum soli digni essent et idonei, quibus tantae res committerentur.

Quapropter nisi liberum atque adeo vere et γνησίως liberum fuerit Concilium, hoc est, nisi talia, illicita, impia et horribilia iuramenta publice relaxentur, ex animo contemnantur ac prorsus aboleantur, pluresque boni, docti et pii viri, huiusmodi sceleratis ac nefariis iuramentis non contaminati et infecti, ad iudicandum admittantur, fieri non potest, ut veritas obtineat et ecclesiae Dei consulatur. Quis enim non intelligit, talium hominum colluviem non Christianum esse Concilium, sed nequis-

simorum Papae servorum contra Christum et ecclesiam eius coniuratorum evidens latrocinium? Id quod Iohannis Hussi et Hieronymi Pragensis indignissimae mortes et publica pax cum summo ad omnem posteritatem dedecore violata clarissime testantur.

Ut autem, quod hactenus a me dictum est, verum esse intelligas [1], Christiane lector, et rem ex aliquo specimine, veluti leonem ex unguiculis, aestimare possis, en tibi horrendissimorum aliquot iuramentorum formulas, unam eius, quod Scholastici omnium ferme publicarum, vel, ut rectius dicam, papisticarum scholarum, qui Doctoris titulum ambiunt, iurare coguntur, antequam eis Licentia (quam vocant) ad accipienda Doctoratus insignia confertur, alteram eius, quod omnes autoritate papali publici Notarii praestant, tertiam eius iuramenti, quod episcopi electi omnes non modo iurare, verum etiam in literas referre ac Romam mittere coguntur, antequam consecrentur, idque subinde pro Pontificia libidine ac tyrannide mutatum et aggravatum. Quibus perlectis ac diligenter excussis facile iudicabis, cur Doctores, quamvis indoctissimi, et Notarii, etiamsi nihil aliud sint, quam stipites et puri puti asini, item episcopi, licet ecclesiae neque vita neque doctrina utiles, in regno tamen Papae reliquis eruditis, bonis, honestis, gravibus et piis viris omnibus tanto intervallo hactenus praeponi et quasi numina quaedam coli soleant. Didicerunt enim unius horae momento artem ipsis quaestuosissimam, Curiae Romanae acceptissimam, sed miserae, afflictae, et oppressae ecclesiae perniciosissimam ac universae Reipublicae exitiosam, Papae scilicet servire, adulari, divinos honores tribuere, ius et fas in gratiam ipsius pervertere, ac omnia omnium secreta, cum illi commodum est, prodere. De bonis et integris viris, qui in hoc hominum genere reliqui sunt, non loquor.

---

1) In ed. orig.: intelliges.

Simul hoc quoque intelliges, cur soli quidam indocti et nugaces doctorculi Sophistae, quales multi exstant eruditissimi huius seculi dedecora, pro Papistici regni abusibus, erroribus, mendaciis, superstitionibus, haeresibus et idolatriis defendendis tanta impudentia, pertinacia atque vesania (frustra tamen) rixentur verius, quam pugnent aut belligerentur, cum tot alioqui docti et eloquentes viri vel quiescant omnino, vel certe sanius ac moderatius agant. Nam iurisconsultorum quorundam contra verbum Dei et ministros eius violentiam una cum episcoporum alioqui effoeminatissimorum barbarica saevitia ex eodem fonte fluere, quis dubitet? Sed iam tempus est, ut detestabilissimorum iuramentorum formulas huc usque satis diligenter et insidiose celatas e tenebris tanquam Cacum e spelunca sua in lucem producam; quas cum detestabiles et exsecrabiles (ut sunt) esse iudicaveris, tum Christum servatorem nostrum precator, ut ecclesiae suae ipse consulat. Nam ab hac exitiosa coniuratorum caterva nisi dissolvatur, nihil prorsus boni sperandum est.

Sequitur formula solennis iuramenti, quod ii, qui Doctoratum iuris aut theologiae in scholis Papisticis ambiunt, antequam eis licentia ad accipienda Doctoratus insignia confertur, iurare coguntur, cum annotationibus.

Ego N. Scholaris Ingolstatensis Eistetensis diocesis ab hac hora in antea fidelis [a]) et odediens ero beato Petro [b]), sanctaeque Apostolicae [c]) Romanae ecclesiae et Domino [d]) nostro Domino Paulo tertio, ac eius successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio, consensu, tractatu vel facto, ut vitam [e]) aut membrum perdant, seu quod contra alicuius eorum personam vel in ipsorum, aut ecclesiae eorundem [f]), seu sedis Apostolicae autoritatum, honorum, privilegiorum, vel Apostolicorum statutorum [g]), ordinationum, reservationum, dispositionum seu mandatorum derogationem, vel praeiudicium,

machinationes vel conspirationes fiant. Et si h) ac quoties aliquid horum tractari scivero [1]), id ne fiat pro posse impediam et quanto commode potero eidem i) Domino nostro, vel alteri, per quem ad illius notitiam pervenire possit, significabo. Consilium, quod mihi per se vel nuncios seu literas credituri sunt, ad eorum damnum nemini k) pandam; ad defendendum et retinendum Papatum l) Romanum et regalia sancti Petri contra omnem m) hominem adiutor n) ero. Autoritatem, privilegia et iura, quantum in me est, potius adaugere o) et promovere, statuta, ordinationes, reservationes, dispositiones et mandata huiusmodi observare p) et eis intendere curabo. Legatos q) sedis Apostolicae honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Haereticos r) et schismaticos, et qui alicui ex Dominis nostris et successoribus praedictis rebelles s) fuerint, pro viribus t) persequar et impugnabo. Sic u) me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Annotationes.

Hanc iuramenti formulam ideo primo loco ponere volui, quod sit reliquis omnibus apertior et explicatior, quippe in qua Papa sine ullo pudore omnes suas abominationes nominatim approbandas, promovendas, ac defendendas diligentissime recenseat et exigat. Et est velut imago quaedam totius regni Papistici artificiosissime depicta, in qua ingenium et vafritiem Romanensium deprehendere licet. Cum enim plures longe reperiantur Doctores, quam episcopi, regnentque in Scholis publicis, in templis et concionibus, sintque episcoporum Officiales ac Vicarii, principum et liberarum civitatum consiliarii, facile viderunt, si eos obnoxios haberent, eorum opera totum Romanum imperium se oppressuros

---

1) In ed. orig. hic addita est haec nota: Etiam ex secreta confessione, nam sigillum confessionis merus est fucus, quo laicis os oblinitur.

esse, quod et factum est. Unde merito superiore seculo nomen Doctorum tam fuit invisum, ut, si vir nobilis Doctoratum recepisset, plane degener existimaretur, hodieque in plerisque civitatibus in senatum non leguntur.

a) Suspicatur eum antea Christo fidelem et verbo eius obedientem fuisse, quod cum Papatui adversetur ex diametro, tectim et per ambages illud abiurare et cum bestia Romana coniurare compellitur.

b) Non sentit de Petro apostolo, qui propter Christum reliquit omnia, sed de fictitio illo Petro, sive, ut rectius dicam, Simone, qui amplissimum Romae patrimonium habere dicitur mendaciis, fraudibus, periuriis, homicidiis, veneficiis, ac latrociniis quaesitum, ex meris furtis, rapinis et sacrilegiis conflatum.

c) Ut nititur belua ex apostolica facere Romanam, cum apostolica sit per totum orbem diffusa nullique certo loco alligata.

d) O turpissimi domini turpiora mancipia. Si Christiani essetis, praeter Christum nullum in regno spirituali dominum agnosceretis, et omnia vestra essent, etiam Paulus et Cephas, vos autem Christi, nunc quae dementia est, quod vos ipsos vestra sponte in servitutem morte graviorem deditis Antichristo? cui dum servitis, omnium abominationum, quae Romae perpetrantur, reos vos ipsos constituitis.

e) Vides, ut bestia illa Romana non modo se ipsam, verum etiam vilissimam sui partem, carnem scilicet, plus quam Christum, Evangelium et ecclesiam diligat ac curae habeat, ideoque illis contemptis, conculcatis et oppressis sibi suaeque cuti primum cavet.

f) Nota bene, Papa fingit et rugit ecclesiam esse suam et non Christi, o pastorem, imo vero furem et latronem; ecclesia de Christo capite suo, non de Papa persecutore et oppressore suo dicit in Cantico canticorum: Dilectus meus mihi et ego illi.

g) Secundo cavet pecuniarum aucupiis, retibus

ac muscipulis. Nam in iis consistunt tyrannidis illius nervi, e quibus delicatae et effoeminatae Papistarum vitae suppeditatur materies luxuriae.

h) Tune miser homuncio impedies, quicquid contra Papam tractabitur? pro posse, inquis, impediam. Sed age dic, an impedies, etiamsi optimo atque adeo divino iure fieret? etiamne si in bonum ecclesiae universalis et Christianae reipublicae vergeret, etiamne si illi, qui tractant, superiores tui essent, tuque illis iuramentum fidelitatis praestitisses, et stipendium honestum eo nomine ab iisdem acciperes? Deum immortalem, nihil horum excipi audio. Nunc nunc reges intelligite, et principes erudimini, qui iudicatis terram, et considerate, quam fideles consiliarios huiusmodi papisticos Doctores existimare debeatis, quos Papa talibus tam impiis tamque horribilibus iuramentis in vestram perniciem obstrinxit et instruxit.

i) O pestilentes proditores et proditorum supproditores, vel ipso Iuda sceleratiores. Nam qualis ille cunque fuit, Christum tamen palam et aperte prodidit, vos occultissime proditis et altissime dissimulatis, ille poenitentia ductus pecuniam, proditionis mercedem, statim retulit et in templum abiecit, vos quasi re bene gesta vobis ipsi plauditis et proditionis vestrae mercedes, dignitates scilicet, praebendas et praelaturas mordicus retinetis, et in eis gloriamini et deliciamini, digni, qui etiam sicut Iudas suspendamini.

k) Tertio cavet suis occultis et insidiosis consiliis. Notandum autem, si Doctor papisticus iuramentum fidelitatis praestiterit principi cuidam vel reipublicae, qui aliquid habeant contra Papam, tunc aut prodet dominum suum, aut violabit hoc iuramentum. Quale igitur monstrum est Doctor Papisticus, qui nec fidelis esse potest sine scelere, nec vir bonus sine periurio?

l) Quarto tyrannidem suam munire et stabilire nititur, pro qua conservanda non aliter, quam pro aris atque focis dimicat, et divina pariter atque humana omnia commiscet, confundit ac pervertit.

Recte autem vocat Papatum Romanum, quia revera nihil aliud est, quam Papatus, non Apostolatus, ideoque tantum Romanus, non etiam Christianus. Eodem modo accipienda sunt regalia Petri, ut quae non a Christo data sunt, sed quae Pontifices a regibus vel per dolum vel per vim abstulerint.

m) Etiamne contra Christum ipsum? Nam et is, ut verus Deus, ita etiam verus homo est. Sed quid dubitamus, cum neminem omnino excipiat, et Christus Papatum nominatim prohibuerit, cum diceret: Reges gentium dominantur earum, vos autem non sic. Frustra igitur defenderetur Papatus, nisi etiam contra Christum hominem defenderetur. O portenta, o scelera, o tartareas furias.

n) Etiamne mendaciis, dolis et fraudibus? etiamne conspirationibus, proditionibus et seditionibus? etiamne veneficiis, caedibus, latrociniis, iniusto bello? Quid quaeris? Cum Papatus sit contra verbum Christi, non potest legitime defendi. Quare necesse est, adiutorum [1]) et defensorum auxilia omnia illegitima et nefaria intelligi. O coniurationem furiis infernalibus procuratricibus conflatam, in qua Christus non solum abnegatur, verum etiam apertum ei bellum indicitur.

o) Quinto incrementa suae tyrannidis molitur. Et nota, quod nullus Doctor autoritatem, privilegia et iura Papae adaugere potest realiter et cum effectu. Hoc enim nemo potest, nisi donando, aut nova iura condendo, quorum hoc soli reges et imperatores possunt, illud autem Doctores, quia tenues, non solent. Reliquum igitur est, ut id non assequantur, nisi iura et sacras literas pervertendo et iniquas sententias in iudiciis et Conciliis in gratiam Papae dicendo.

p) Sexto quieti et securitati suae tyrannidis consulit. Cum autem statuta, ordinationes, dispositiones et mandata Papae plerumque sint contra verbum Dei, certum est, quod, quisquis in illa meat,

1) In ed. orig.: adiutorium.

verbum Dei e contrario abiurat, nemo enim potest duobus dominis servire.

q) Septimo cavet suis satellitibus, tyrannidis administris. Et olim sic praescribebat: Legatum, quem certum esse cognovero etc., nunc licentia in immensum aucta sine exceptione Legatos omnes adiuvari cogit. Mavult enim falsos iuvari, quam certos destitui.

r) Ultimo cavet suis traditionibus, mendaciis et seductionibus. Nam haereticos, qui vere haeretici sunt, nihil curat, modo tyrannidem eius non laedant. Eos vero solos ut haereticos insectatur, qui vitiis et erroribus, idolatriis et blasphemiis ipsius obviam ire eaque verbo Dei oppugnare audent, sicut etiam schismaticos eos solos appellat, qui nihil numerant, nec tyrannidi eius subiiciuntur. Reliquos autem vere schismaticos, qui dicunt: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae, ego Benedicti, ego Dominici, ego Francisci, ego Bernardi etc., insuper ecclesiam dissensionibus et dissidiis misere lacerant, sicut fecerunt Dominicastri Bernenses, tanquam dilectos filios amplectitur ac fovet.

s) Rebelles vocat, qui in spiritualibus libertatem Christianam contra Papisticas traditiones defendunt, et in civilibus ius suum quamvis legitime contra tyrannidem eius obtinere et tueri nituntur. Nam qui vere Christo et ecclesiae rebelles sunt, hoc est, mandata eius scientes et prudentes pedibus conculcant, apud eum sunt in pretio.

t) Quantum audio, Doctores Papistici non disputando, non ius enucleando, non sacras literas docendo, non iustas sententias in iudiciis et conciliis dicendo, haereticos, schismaticos et rebelles vincere et ad meliorem mentem reducere debent. Nihil enim horum contra eos, quos Papa mendaciter haereticos pronunciat, fieri potest, cum ius divinum et verbum Dei habeant pro se, sed viribus, ut audis, viribus inquam, persequendos et impugnandos esse censet. Cum autem eiusmodi Doctoribus apertum et legitimum bellum gerere non liceat, non video, quomodo viribus persequi quenquam possint, nisi

vel veneno tollant, vel occulto et insidioso latrocinio interficiant. Quid mirum igitur, tantam in regno Papistico esse veneficorum, sicariorum et latronum segetem, cum Doctores Papistici quoque nihil aliud sint (quantum ex hoc quidem iuramento apparet) quam venefici, percussores, sicarii et latrones coniurati.

u) O te terque quaterque miserum, sceleratum et desperatum, qui ita iuras, o infelices parentes tuos, qui suis te facultatibus et sumptibus in hoc aluerunt, ut animae tuae salutem tam impie devoveres. Si enim hoc iuramentum conservare voles, contra Christum pro Antichristo militabis, sacramenti, quo in baptismo initiatus et obligatus es, proditor factus. Si vero non, nec Deum adiutorem nec Evangelium eius salutis medelam te habere velle consentis. Quare expergiscere tandem et quanto in periculo verseris vide, poenitentiam age, Deumque precare, ut edicto suo praetorio te in integrum restituat et iuramentum tam sceleratum aboleat atque aeterna oblivione obruat, ne in aeternum condemneris, Amen.

Finis Annotationum.

Hic primum admonitos esse volo non modo eos Doctores, qui Doctoratus insignia in iis scholis acceperunt, in quibus talia iuramenta non exiguntur (ut sunt hoc tempore in Germania Viteberga et Tubinga, in Anglia omnes, et in Italia, si modo vera est fama, una et altera, ob hoc vere felices), verum etiam eos, qui, etsi fraude ac dolis Papistarum circumventi et irretiti hoc iuramentum vel inviti vel imprudentes praestiterunt, nunc tamen ceu impium et exsecrandum ex animo contemnunt ac negligunt, idque dictis et factis palam prae se ferunt, hos, inquam, omnes admonitos esse volo, nihil eorum, quae hic dicuntur, ad eos pertinere.

Deinde reliquos bonos ac pios viros omnes rogatos volo, ne talium quenqum ob Doctoris titulum aut tale iuramentum praestitum contemnere, sed potius amare, aut certe errato veniam dare velint. Sunt enim laude et amore digni, qui erudi-

tionem utilem et necessariam cum publica autoritate coniunxerunt, si modo eam ad gloriam Dei et reipublicae commoda referunt et non ad tyrannidem Papae stabiliendam conferunt, quin potius totam invidiam et exsecrationem huius horrendae et abominandae coniurationis in eos tantum Doctores derivent, qui ut scientes et prudentes iurarunt, ita etiam in proposito conservandi tam detestabile iuramentum persistunt, et omnem suam virulentiam contra oriens Evangelium pro idolo suo Romano effundunt.

Ceterum si quis posthac, cum iam de ista abominatione admonitus et certior factus est, sciens prudensque iurarit, is nihil causae fingere poterit, quominus vir pestilens, abominabilis et exsecrabilis habendus sit a bonis et piis omnibus. Proinde cave, nescis enim, quid vesper serus vehat.

Sequitur formula iuramenti, quod Notarii publici a Papa creati praestare coguntur, magna ex parte cum superiore consentiens.

Ego N. ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro et sanctae Romanae ecclesiae, ac domino nostro, domino Iulio Papae secundo, suisque successoribus canonice intrantibus. Et non ero in consilio, auxilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod mihi per se, vel literas aut nuncium manifestabunt, ad eorum damnum scienter nemini pandam. Si vero ad mei notitiam aliquid devenire contigerit, quod in periculum Romani Pontificis aut ecclesiae Romanae vergeret, seu grave damnum, illud pro posse impediam. Et si hoc impedire non possum, procurabo bona fide id ad notitiam praefati domini nostri Papae deferri. Papatum Romanum et regalia sancti Petri ac iura ipsius ecclesiae, specialiter [a]), si qua eadem ecclesia in civitate, vel terra,

---

a) Nota editionis orig.: Hoc iuramentum praeter alias

de qua oriundus sum, habeat, adiutor eis ero, ad defendendum, retinendum et recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo, contractus, in quibus exigitur consensus partium, fideliter faciam, nihil addendo vel minuendo, nisi de consensu partium, quod substantiam immutet. Si vero ad conficiendum aliquod instrumentum unius solius partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam, aliquem contractum, in quo ego sciam vitium vel fraudem intervenire, non conficiam. Contractus in Protocollum redigam, et postquam redegero, malitiose non differam, contra voluntatem illorum, quorum intererit super eo publicum conficere instrumentum, salvo meo iusto solario. Sic Deus me adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Sequitur vetus formula iuramenti episcoporum, et ponitur in Decretalibus de iureiurando: C. Ego.

Ego *) N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro sanctaeque Apostolicae Romanae ecclesiae, dominoque meo N. Papae, eiusque successoribus canonice intrantibus, non ero neque in consilio, neque in facto, ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium, quod mihi, aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad eius damnum nulli pandam. Papatum Romanae ecclesiae et regulas sanctorum

---

abominationes, quas habet cum superiore communes, duas complectitur proprias ac novas, unam, quod specialiter contra patriam iurare cogitur, quod est magna impietas, alteram, quod Papatu vel aliis nugis Papisticis amissis de recuperatione mentionem facit, quod est incredibilis pertinacia contra Christum et verbum eius. Ille enim solus Papatum per verbum et Spiritum suum destruet.

*) Nota editionis orig.: Consentit et hoc iuramentum magna ex parte cum primo, et habet peculiarem clausulam de liminibus apostolorum quotannis visitandis; eius intelligentiam quaere post proximum iuramentum.

Patrum adiutor ero ad defendendum et retinendum (salvo ordine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Legatum Apostolicae sedis, quem certum esse cognovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Limina apostolorum singulis annis aut per me aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolvar licentia. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Cum cernerem Doctores ad tam horribile iuramentum adigi, coepi dubitare, num Papa contentus esset hoc tempore suprascripto iuramento episcoporum, hanc dubitationem meam deinde auxit glossa super verbo, Singulis annis indicto, C. Ego, ubi additur, vel rarius, iuxta chirographum suum. Inspexi igitur Pontificiale et librum ceremoniarum, ubi certo deprehendi, eos iurare iuxta rescriptum Papae, cuius tamen tenor in neutro exprimebatur. Rogavi igitur amicos pios et doctos, etiam apud exteras nationes, ut mihi fide dignum exemplar eius iuramenti communicarent. Quod et factum est. Id autem bona fide de verbo ad verbum subiiciendum putavi.

Sequitur formula recentior iuramenti episcoporum.

In Dei nomine, Amen. Ego N. electus N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero et obediens beato Petro sanctaeque Apostolicae Romanae ecclesiae et domino nostro, domino Hadriano Papae sexto, suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum et

defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et autoritatem Romanae ecclesiae, domini nostri Papae et successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Nec ero in consilio, in facto, seu in tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eandem Romanam ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personarum, iuris, honoris, status, et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibusdam tractari novero, vel procurari, impediam hoc pro posse, et, quantocius potero, commode significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam possit pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, disposationes [1]), reservationes, provisiones, et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos, et rebelles Domino nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina, Romana curia existente citra, singulis annis, ultra vero montes singulis trienniis visitabo, aut per me aut per meum nuncium, nisi Apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo abalienabo, etiam cum consensu Capituli ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Vides, Christiane lector, hoc iuramentum episcoporum gravius etiam et atrocius esse, quam iuramentum illud Doctorum. Quare nihil mirum, si docti et prudentes Canonici episcopatum ultro etiam oblatum repudient, aut, si suscipiant, praestito hoc iuramento plane in bestias degenerent. Quantum

---

1) In ed. Ien.: dispensationes.

enim abest a peccato in Spiritum sanctum, si quis Papisticarum abominationum non ignarus tale tamen iuramentum sciens et prudens praestare non dubitat?

Habet autem admirabilem articulum de visitandis liminibus apostolorum. Qui primum in hoc valet, ut, si episcopi nimium vivaces diutius obstent, quominus pallia saepe redimantur, negata licentia omittendae huius visitationis vel in itinere moriantur, vel Romae veneno tollantur, vel, si non venerint, ut periuri deponantur.

Deinde, ut omittendi licentiam, quamdiu Romanensibus commodum videtur, quotannis pecunia numerata obtineant, pro qua ne semel in universum transigant, sed quotannis nova pecunia multentur, etiam per nuncios visitare permittuntur, ex quibus deinde Romanenses nebulones omnia quae lubet expiscantur, maxime optimas praebendas, quas, cum vacaverint, Papa suis stabulariis donet.

Postremo, quod est omnium indignissimum, hoc iuramento omnes episcopi circumventi, capti et intricati, sub Antichristo, tyranno omnium detestabilissimo, in gravissimam et prorsus inexplicabilem servitutem pertrahuntur. Nam nullus episcoporum hunc articulum implere potest, retinentibus eum vel gravibus negotiis, vel corporis infirmitatibus, vel itineris et bellorum periculis. Cogitur ergo relaxationem iuramenti a Papa petere, quod dum facit, non modo verbis, verum etiam re ipsa confitetur, Papam habere potestatem relaxandi omnia iuramenta, hoc autem Romanus Pontifex cupide amplectitur, quippe qui hunc articulum in hoc excogitavit. Et si deinde episcopus aliquis Romanae tyrannidi, qua opprimitur, contradicat, et ei modum aliquem statuere nitatur, excommunicatur, deponitur, et subditis eius iuramentum obedientiae relaxatur.

Porro si episcopus contendere velit, subditos non posse per Papam rite solvi ab obedientiae iuramento, tum sibi ipse contradicit, seque ipsum periurum constituit, quippe qui se ipsum quoque a

iuramenti vinculo per Papam liberari posse credidit et petiit, eaque liberatione fretus iuramentum sciens et prudens neglexit, etsi ignorantiam praetexere voluerit, sequetur, ut limina apostolorum quotannis visitare adhuc teneatur, quod si facit, ad certissimam mortem pergit.

Ergo, ut compendio repetam, quisquis hanc clausulam iuravit, cogitur Pontificiae tyrannidi et libidini per omnia, etiam iniustissima et indignissima, obedire, aut liberatis per Papam subditis a necessitate obediendi ab episcopatu cadere, aut incurrendo periurii infamiam se ipsum inhabilem reddere, aut servando iuramentum sese tyranno crudelissimo ad indignum supplicium sistere. O fraudes plus quam satanicas, o episcopos effoeminatos, qui tam crudelem tyrannidem tot annis tam serviliter pertulerunt, sexcenties potius mori oportuit, quam ecclesiam tam turpiter deserere, et Antichristo dilacerandam et opprimendam permittere.

Consideret igitur Christianus lector, quid boni ex concilio Papistico sperandum sit, in quo tales Doctores disputabunt, tales Notarii acta publica conficient, tales episcopi et Cardinales sententias decisivas dicent. Nam praeter tales nemo alius admitti solet, ut clarissime scribitur in libro ceremoniarum Papisticarum his verbis: In Conciliis non legimus intervenisse statuendi causa, nisi episcopos et abbates, et hi tantum decretis subscribebant. Episcopos autem appellamus etiam episcoporum principes, quoniam haec est suprema in ecclesia Dei potestas, inferioris autem gradus ecclesiasticos viros et principes seculares, consulendi ac instruendi gratia, non autem decernendi intererant, qui, ut periti aiunt, consultivam vocem habent in Conciliis, non definitivam, sed deliberativam.

Aderunt igitur in Conciliis ad statuendum Romanus Pontifex tanquam rector et moderator totius ecclesiae, pastor gregis dominici, et omnium episcoporum episcopus, sacer Cardinalium senatus, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Ab-

bates, quibus non immerito et ordinum religiosorum generales Magistri additi sunt, denique omnes Praelati, qui secundum formam iuramenti, quod praestant, cum ad dignitates promoventur, ad synodum venire tenentur. Alii autem, ut diximus, disserendi, instruendi, consulendive causa poterunt interesse, non tamen in sessionibus publicis induti sacris vestibus sedebunt, neque sententiam dicent.

Finis.

Capita Fidei Christianae contra Papam et Portas inferorum constanter asserenda. D. Mart. Lutherus.

1542.

Anno 1542 Wittembergae Luthero quasi inspectante vel certe conscio typis impressus est hic liber:

Capita | Fidei Chritia- | nae (sic), Contra Pa- | pam et Portas infero- | rum constanter | asserenda. | D. Mar. Luthe- | rus. | Vitebergae. | Anno M.D.XLII. Tituli pagina figuris typographicis est ornata. In fine: Impressum Vitebergae, per Iosephum Clug. Anno D.M.XLI (sic).

Hoc scriptum si in universum spectaveris non aliud est, quam quod anno 1541 sub hac inscriptione in lucem prodiit:

ARTICV | LI A REVERENDO | D. DOCTORE MAR- | tino Luthero scripti, Anno | 1538. ut Synodo Man- | tuanae, quae tunc indicta | erat, proponeren- | tur, qui recens in | Latinum ser- | monem | translati sunt a | Petro Generano. | 1541 (sic). Tituli pagina figuris typographicis est ornata, quae tamen ab iis, quae in fronte editionis 1542 inveniuntur, differunt. In fine: Impressum Vitebergae, per Iosephum Clug. Anno D.M.XLI (sic).

Haec editio anni 1541, quae nobis ex bibliotheca regia Monacensi praesto erat, continet primum epistolam, Vitebergae XI. Cal. Febr. Anno D. 1541 scriptam, qua Vitus Amerbachius Pio Lectori hanc tanslationem latinam commendat, tum praefationem Petri Generani, qua, Vitebergae XII Cal. Februarii Anno Dom. 1541 scripta, Ioanni Hildebrando, Abbati Regii ruris (Königsfeld) in Ducatu Slesvicensi, qui sibi a teneris propemodum unguiculis summa beneficia praestiterit, Vitebergae sibi, ubi iam per octo annos Luthero contubernalis esset, largiter sustentaverit victum, et qui primus omnium Ducatus Slesvicensis Abbatum verbum Dei acceperit, hunc librum dedicavit, deinde prooemium D. Martini Lutheri, denique articulos fidei Smalcaldiae propositos.

Altera vero editio anni 1542, omissis praefatione Viti Amerbachii et dedicationis epistola Petri Generani, primum reddit Praefationem Doctoris Martini Lutheri, deinde Articulos fidei ipsos Smalcaldiae propositos. Primus chartae quaternio huius editionis, qui ex decem foliis constat, totus denuo typis excusus est, quo fit, ut, quum Viti Amerbachii et Petri Generani epistolas praemissas non contineat, praeter Lutheri praefationem multa reddat, quae in secundo demum quaternione prioris editionis excusa sunt, et omnia quidem, quae a pagina quinta secundae editionis usque ad paginam vicesimam traduntur; et ob eam ipsam rem in hac editione non pauca bis exscripta leguntur. Toto autem quaternione primo editionis 1542 in verbis nihil, quod a quaternione primo anno 1541 typis impresso differat, indagari potest, nisi quod in editione anni 1542 sub finem primi articuli verba inveniuntur: „Ab hoc articulo ne tantillum quidem discedere possimus, etiamsi coelum et terra ruant vel omnia de loco moveantur, non enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri Act. 4, item Esaiae 59: Eius livore sanati sumus," quae quidem verba in editione anni 1541 desunt. Secundus et reliqui quaterniones sunt omnino eidem

tam in editione a. 1542 quam in editione a. 1541, quo fit, ut, quod unicuique primo obtutu in oculos incidit, in fine utriusque editionis scriptum legatur: Impressum Vitebergae, per Iosephum Clug. Anno D.M.XLI (sic).

Petri Generani versio latina comppsita est secundum germanicum Lutheri scriptum, quod anno 1538 typis invulgatum est sub hac inscriptione:

Artickel, so da hatten sollen auffs Concilion zu Mantua, oder wo es würde sein, vberantwortet werden, von vnsers teils wegen. Vnd was wir annemen oder geben kündten oder nicht. D. Mart. Luth. Wittemberg M.D.XXXVIII. In fine: Gedruckt zu Wittemberg durch Hans Lufft M.D.XXXVIII, 4. (Schütze Ungedr. Briefe Luth. III p. 340. Rotermund Verzeichniss von den verschiednen Ausg. der sämmtl. Schriften D. M. Luthers. Bremen 1813 p. 59. Walch. introd. in Opp. Luth. T. XVI, 66),

et postquam haec versio latina anno 1542 sub inscriptione: Capita fidei Christianae contra Papam etc., prodierat, hoc scriptum Lutheri etiam germanice sub eadem inscriptione bis invulgatum est, anno 1544 et 1545:

Die Heubt artikel des Christlichen Glaubens, Wider den Bapst, vnd der Hellen Pforten zu erhalten. Sampt andern dreien seer nützlichen Büchlin, welcher Namen oder Titel am folgenden Blat angezeigt sind. Mar. Luth. Wit. 1544. In fine: Gedruckt zu Wittemberg durch Petrum Seitz. An. 1544. 8.
(cf. Schütze III, 369.)

Die Heubt artikel des Christlichen Glaubens, Wider den Bapst, vnd der Hellen Pforten zu erhalten. Sampt andern dreien seer nüzlichen Büchlin, Welcher Namen oder Titel am folgenden Blat angezeigt sind. D. Mart. Luth. Wittemberg 1545. In fine: Gedruckt zu Wittemberg durch Veit Creutzer Anno 1545. 8.
(Schütze III, 370.)

Quum haec igitur Capita Fidei christianae in urbe ipsa Vitemberga Lutheri nomine inscripto et Luthero quasi inspectante non solum latine, sed etiam sub eodem titulo bis germanice

typis sint impressa, insuper haec translatio latina Articulorum Smalcaldicorum a Petro Generano composita a plerisque viris doctis aptior et probabilior iudicetur, quam illa, quae in libros symbolicos eccles. Lutheranae recepta est (cf. Müller, Die symbolischen Bücher der evang. - lutherischen Kirche, deutsch und lat. p. LXXXI. Gieseler, Lehrbuch der Kirchengeschichte. III, 1. p. 301 sq.), neque desint, qui hunc librum omnium rarissimam dicant esse editionem Articulorum Smalcaldicorum (Rotermund l. l. p. 62), nos quoque non dubitavimus haec Capita Fidei christianae in Lutheri scriptis latinis typis repetere.

Nos textum reddidimus secundum editionem anni 1542, de qua supra scripsimus.

Capita fidei Christianae contra Papam et portas inferorum constanter asserenda. D. Mart. Lutherus.

Praefatio D. Martini Lutheri.

Cum pontifex Paulus eius nominis tertius anno 1537 Concilium ad festum Pentecostes Mantuam indiceret, idque postea alio ab urbe Mantua transferret, ut etiamnum incertum sit, quo potissimum velit aut possit illud convocare, nobis vero ea esset proposita spes, ut aut una ad Concilium vocaremur, aut invocati condemnaremur, mihi id negotii dabatur, ut nostram doctrinam conferrem in praecipua capita, quo constaret, si coeptum esset agi, qua in re et quatenus vellemus aut possemus papistis cedere, quaque in sententia decrevissemus consistere et permanere.

Collegi itaque haec capita et tradidi nostris, a quibus recepta sunt et uno consensu approbata, simulque constitutum est, ut palam offerrentur et nostrae fidei confessio exhiberetur, si pontifex cum suis auderet aliquando sine fraude et imposturis

serio vereque iustum et liberum Concilium (ut deberet) habere. Sed Romana curia ita abhorret a libero Concilio lucemque adeo turpiter fugit, ut vel iis, qui ipsius partes sequuntur, omnem de Synodo spem ademerit, ut non modo ipsa nunquam convocatura liberum Concilium, sed ne quidem aequo animo latura esse videatur, qua re illi non iniuria offenduntur, et ex ea molestiam capiunt non mediocrem, ut qui intelligant pontificem malle omnes Christianos esse perditos et omnium animas damnatas, quam permissurum, se aut suos ad officium sanitatemque reduci et tyrannidi suae modum aliquem statui. Ego nihilominus tamen volui haec doctrinae nostrae capita in lucem edere, ut, si me ante mors occuparet, quam congregaretur Synodus (ut confido et spero), quandoquidem isti nebulones lucifugi tam sollicite contendunt, ut Concilium differatur et impediatur, haberet posteritas testimonium et confessionem meam in promptu, qua uteretur cum illa, quam edidi antea, in qua ad hunc usque diem perseveravi et deinceps Dei gratia perseverabo. Nam quid dicam aut quomodo querar? Equidem adhuc in vivis sum, scribo, doceo, praelego quotidie, et tamen non inter adversarios tantum, sed etiam inter simulatos fratres, qui videri volunt a nobis stare, produnt se virulenti quidam obstinate operam dantes, ut mea scripta et doctrinam meam adversum me calumniose detorqueant me inspectante et audiente, cum ipsi non ignorent me diversum docere. Ita meis sudoribus ad suam virulentiam abutuntur et miseros homines sub meo nomine seducunt. Quid vero fiet me mortuo? Atqui deberem omnia propugnare superstes. Sed quo pacto possum unus omnia diaboli ora obstruere? eorum praesertim (sicut omnes sunt infecti), qui neque audire, neque attendere volunt ea, quae scribimus, sed id unum habent studio, ut nostra verba in singulis literis quam foedissime depravent atque corrumpant. Tales refutet diabolus, aut ad extremum ira Dei, ut digni sunt. Saepe reminiscor boni Gersonis, qui dubitat, an quicquam boni sit in publi-

cum scribendum; si non fit, negliguntur multorum animae, quibus poterat ea opera subveniri, sin minus, praesto est diabolus cum innumeris malevolentissimis linguis, quae inficiunt et pervertunt omnia, ne qua percipiatur inde utilitas. Veruntamen quid lucri faciant, non est obscurum. Posteaquam enim de nobis mentiri coeperunt et voluntates hominum mentiendo retinere conati sunt, Deus suum opus strenue peregit ac fecit, ut ab illis multi deficerent, nobis vero subinde fieret accessio, et ut illi summam ex mendaciis suis acciperent ignominiam, quod facit adhuc in dies.

Non possum non historiam quandam referre. Fuit Vitebergae Doctor quidam missus huc ex Galliis, qui coram nobis aperte dixit, regem suum habere persuasissimum, nullam esse apud nos ecclesiam, non magistratum, non coniugium, sed exerceri vagos concubitus more pecudum, et sumere sibi quemque omnium rerum licentiam. Cedo, qua fronte nos illo die ante tribunal Christi intuebuntur, qui per sua scripta regi et aliis gentibus prodigiosa mendacia pro veris inculcant? Christus, omnium nostrum dominus et iudex optimus, testis est illos mentiri et esse semper mentitos. Eius sententiam cogentur audire, id certo scio. Deus convertat ad poenitentiam, qui converti possunt, ceteros manent perpetua et dira supplicia.

Atque, ut ad rem redeam, cuperem sane verum Concilium videre, quo multis controversiis et multis hominibus consuleretur, non quod nos eo indigeamus. Nostrae enim ecclesiae puro verbo Dei et vero usu sacramentorum ac omnium ordinum et bonorum operum cognitione ita sunt Dei gratia illuminatae et constitutae, ut nostra causa nullam Synodum desideremus, et in eo genere perfectius aliquid de Synodo nobis non polliceamur. Sed videmus non sine gravissimo animi dolore passim in diocoesibus episcoporum plurimas parochias vacuas atque desertas, neque vel episcopis vel Canonicis curae esse, quemadmodum illi miseri homines vivant aut moriantur, pro quorum salute Christus ipse

mortuus est, quem prohibentur tanquam pastorem cum omnibus suis colloquentem audire. Quo magis exhorrescens vehementer metuo, ne Deus aliquando Concilio angelico Europam subiiciat, quod nos omnes funditus perdat, sicut olim Sodomam et Gomorram, quandoquidem adeo temere ipsum per Concilia ludibrio habemus. Praeter haec tam necessaria negotia ecclesiastica infinita et ea non levia etiam in politico statu corrigenda essent. Ibi inter principes et ordines discordia est, ibi usura et avaritia velut diluvium quoddam irruperunt, et plane in locum iuris successerunt petulantia, immodestia, fastus in vestitu, heluationibus, alea, pompis cum omni genere vitiorum et scelerum, inobedientia subditorum, familiae, mercenariorum, omnium opificum, et rusticorum iniquissima in venditionibus aestimatio, et alia innumerabilia ita invaluernnt, ut ne decem quidem Conciliis et viginti contractibus politicis possint emendari. Haec praecipua ecclesiastici politicique status capita, si in Synodo tractarentur, tantum facerent nobis negotii, ut facile interea oblivisceremur ineptiarum de tunicis talaribus, de magnis rasuris capitum, latis cingulis, episcopalibus et Cardinalitiis galeris, baculis et similibus nugis. Rebus ecclesiasticis et civilibus nunc iuxta verbum Dei constitutis satis mature de cibis, vestitu, rasuris et casulis agi posset. Sed si deglutimus camelos et pro his excolamus culices, negligimus trabes, non ferimus festucas, non est, quod Concilium magnopere exspectemus. Quapropter pauca feci capita. Nam alioqui tot a Deo mandata habemus in ecclesia, in magistratu, in rebus domesticis, ut ea nunquam possimus perficere. Quorsum igitur opus est multa praeterea decreta et traditiones condere, praesertim si illa principalia a Deo mandata negligantur, quasi vero illum nostris ineptiis oporteat cedere, propterea quod summa eius mandata pedibus conculcamus. Sed nos premunt nostra peccata neque sinunt Deum nostri misereri, quia non agimus poenitentiam, imo vero omnem impietatem conamur stabilire. O Domine Iesu Christe, celebra

ipse Concilium, et redime tuos per tuum magnificum adventum. De pontifice et eius sectatoribus nulla spes est. Illi te nolunt recipere. Quare adiuva nos pauperes et miseros, qui ad te suspiramus et serio te quaerimus, pro gratia, quam dedisti nobis per sanctum tuum Spiritum, qui tecum et cum Patre vivit ac regnat laudatus in perpetuum. Amen.

Prima pars
continet sublimia capita
de divina Maiestate:

I.

Patrem, Filium et Spiritum sanctum in una divina essentia et natura esse tres distinctas personas, attamen unum Deum, qui coelum ac terram creavit.

II.

Patrem a nullo, sed Filium a Patre esse genitum, Spiritum sanctum vero ab utroque procedere.

III.

Neque Patrem, neque Spiritum sanctum, sed Filium assumpsisse humanam naturam.

IV.

Filium sic esse incarnatum, ut de Spiritu sancto citra virilem operam sit conceptus et ex pura et sancta virgine Maria natus. Deinde esse passum, mortuum, et sepultum, descendisse ad inferos, resurrexisse a mortuis, ascendisse ad coelos, sedere ad dexteram Dei, venturum esse ad iudicandum vivos et mortuos etc., sicut Apostolorum, Nicenum, item sancti Athanasii Symbolum et nostri Catechismi docent.

De his articulis nulla controversia aut contentio est, cum utrosque utrinque confiteamur. Quare supervacaneum fuerit prolixius de his agere.

Secunda pars
complectitur articulos de officio et opere
Iesu Christi, aut de nostra redemptione.

Hic illud est primum et praecipuum caput, Iesum Christum Deum ac dominum nostrum propter peccata nostra esse traditum, et propter iusti-

ficationem nostram resurrexisse, Rom. 4; item illum solum esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi, Ioh. 1; et Deum illi iniquitatem omnium nostrum imposuisse, Esa. 63; ad haec: Omnes peccaverunt, iustificantur autem gratis per illius gratiam per redemptionem, quae est in Christo Iesu in sanguine ipsius, Rom. 3.

Haec itaque gratia cum apprehendenda sit fide, et eam alioqui nemo vel opere, vel lege, vel merito consequi possit, manifestum et certum est, fide nos iustificari, sicut testatur divus Paulus, Rom. 3: Arbitramur fide iustificari hominem absque operibus legis; item: Ut ipse sit iustus et iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.

Ab hoc articulo ne tantillum quidem discedere possimus, etiamsi coelum et terra ruant vel omnia de loco moveantur, non enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, Act. 4, item Esaiae 59: Eius livore sanati sumus [1]).

In hoc autem articulo fundatum est, quicquid adversus Papam, diabolum et mundum docemus. Quare de hoc minime nobis dubitandum est. Alioqui enim actum fuerit in universum, et pontifex cum satana et suis victoriam de nobis reportabit ac triumphabit.

Secundus articulus.

Missa [2]) papistica summa et horribilis abominatio est, quae acerrime cum principali articulo pugnat, tametsi inter ceteras omnes idolatrias papisticas habita est pretiosissima et quaestuosissima. Habebant enim omnes persuasum, eiusmodi sacrificium et opus Missae vel a perditissimo nebulone factum liberare homines a peccatis, tum in hac vita,

---

1) In folio anno 1541 typis expresso desunt verbo: Ab hoc articulo, usque ad: Eius livore sanati sumus. 2) Ibidem ante vocabulum Missa additum est: Proinde.

tum post hanc vitam in purgatorio. Hoc vero nisi a solo agno Dei fieri non potest, ut supra dictum est. Quare neque de hoc articulo cedere aut aliquid largiri licet. Prior enim articulus id fieri prohibet.

Quod si quis in papistas commodiores inciderit, percontetur sane eos benigne, qua de causa tam mordicus retinere Missam conentur, praesertim cum nihil aliud sit, quam inventum humanum, non institutum divinum. Licet autem traditiones humanas omittere, ut Christus inquit Matth. 15: Sine causa colunt me docentes doctrinas et mandata hominum. Praeterea non habet aliquam necessitatem et absque peccato ac periculo omitti potest.

Tertio, sacramentum potest alio modo, longe praestantiori magisque salutari (imo salutari tantum) iuxta institutionem Christi sumi. Quid attinet igitur propter rem commentitiam et nullius momenti mundum in tantam miseriam et discrimen adducere? Erudiantur homines in publicis concionibus, Missam tanquam humanum figmentum sine peccato posse omitti, neque damnari eum, qui illam non curet, cum possit absque Missa et quidem meliori ratione aeternam salutem consequi. Quod si fiat, nihil dubium est, quin per se ipsa in contemptum ventura sit non modo apud stultam plebeculam, verum etiam apud omnes bonos, prudentes et pios. Atque id multo magis eveniret, si audirent esse rem periculosam, sine mandato et voluntate Dei confictam.

Quarto, cum infiniti et detestabiles abusus per totum orbem ex negotiatione Missarum exstiterint, merito aboleri deberent tantum, ut prohiberentur istiusmodi abusus, etiamsi in iis aliquid boni aut commodi inesset. Eo autem magis propter abusus prohibendos abolendae essent, cum non necessariae, inutiles et cum periculo coniunctae sint, omnia autem tum magis necessaria, tum utiliora et certiora sine Missa obtineri possint.

Quinto, Missa itaque nihil aliud est aut esse potest, ut testatur Canon et omnes libri, quam opus hominum vel improbissimorum, quo quis et se et

alios Deo reconciliat ac remissionem peccatorum et gratiam impetrat mereturque. Etenim cum sanctissime celebratur, ad istum modum celebratur. Quis enim alius eius usus est? Quare necesse est eam damnari ac abiici. Pugnat enim directe cum principali articulo, qui ait: neque probum, neque improbum sacrificulum, sed agnum Dei, Dei filium, nostra peccata tollere. Porro si quis hoc praetextu usurus esset, ut diceret, se idcirco sibi ipsi sacramentum tribuere, ut in eam rem magis sit intentus, sciat id non fieri ex animo. Serio enim usurus hac coena magis se confirmabit et rectius id faciet in vero sacramento iuxta institutionem Christi porrecto. Ceterum sibi ipsi sacramentum tradere, humana persuasio est, cum incerta ac inutilis, tum etiam prohibita. Ac nescit quidnam agat, dum neglecto verbo Dei sequitur falsam opinionem et figmentum humanum. Est etiam iniustum, ut maxime cetera essent probata, communi sacramento ecclesiae pro sua cogitatione uti, idque pro suo arbitrio sine verbo Dei extra ecclesiae communionem tanquam rem ludicram tractare.

Hic articulus de Missa praecipue in controversiam veniet in Synodo. Facilius enim, si fieri posset, reliquos omnes articulos quam hunc nobis concederent. Ita Augustae Campegius dixit, toleraturum se potius, ut membratim discerperetur, quam interire Missam. Quare et ego Deo dante prius me in cinerem redigi patiar, quam permittam, sacrificulum sive probum, sive improbum cum operibus suis parem aut superiorem Christo domino et salvatore meo esse. Itaque sumus et manemus perpetuo seiuncti et contrarii. Facile intelligunt, si Missa tolleretur, actum esse de papatu, quod antequam permittant, omnibus nobis vitam eripient, si poterunt. Praeter haec omnia cauda illa draconis, Missa, multam blasphemiam et multiplicem idolatriam peperit.

Primo purgatorium. Ibi Missis pro defunctis, ibi vigiliis, item septimis, tricesimis et solennibus exsequiis, postremo vulgari hebdomada, atque om-

nium animarum die, et viscerationibus actum est in purgatorium vel cum purgatorio, ut Missa propemodum pro mortuis duntaxat usurpata sit, cum tamen Christus sacramentum suum pro vivis tantum iustituerit. Purgatorium itaque cum omni sua pompa, divino cultu et mercatu pro ludibrio diaboli habendum est. Adversatur enim hoc quoque principali articulo, qui docet: non per opera humana, sed per solum Christum animas liberari. Deinde nihil nobis de mortuis divinitus mandatum est. Idcirco omitti potest purgatorium, etiamsi non esset error aut idolatria. Papistae allegant hoc loco Augustinum et testimonia nonnullorum Patrum, quos de purgatorio aiunt scripsisse. Existimant autem nos non intelligere, quare tales sententias citent. S. Augustinus non scribit esse purgatorium, neque habet locum sacrae Scripturae, qui ipsi hoc persuadeat, sed in dubio reliquit, utrum sit purgatorium an non, et ait, matrem suam petiise, ut sui fieret mentio ad altare vel sacramentum. Hoc autem quicquid est, tantum religiosa cogitatio est perpaucorum hominum, qui articulos fidei non possunt condere, id quod solius Dei est. Verum papistae talia hominum dicta eo detorquent, ut fides habeatur turpibus, sceleratis et detestandis nundinationibus suis de Missis offerendis in purgatorium pro defunctis etc. Hoc nunquam ex Augustino probabant. Ubi autem purgatorias nundinationes Missarum abrogaverint, de quibus S. Augustinus ne somniavit quidem, tunc cum illis disseremus, an S. Augustini sententia absque sacrarum literarum testimoniis approbanda sit, et an liceat mentionem mortuorum fieri apud sacramentum. Nequaquam enim sanctorum Patrum facta aut dicta inter articulos fidei referri debent. Nam eo pacto pro articulo fidei habendus esset illorum victus, vestitus, domicilia, quemadmodum reliquiae Sanctorum cultae sunt. Sed verbum Dei debet articulos fidei constituere, et praeter illud nemo, ne angelus quidem.

Secundo hinc exstiterunt permultae cacodaemonum praestigiae, qui specie animarum humana-

rum apparuerunt, postulantes Missas, vigilias, peregrinationes et id genus alias eleemosynas cum mendaciis et ludibriis non dicendis, quae pro articulis fidei colere et ad praescriptum illorum vivere omnes sumus coacti. Et pontifex talia confirmavit sicut Missam et reliquam impietatem. Hic etiam non est cedendum aut permittendum quicquam.

Tertio peregrinationes; hic etiam quaesitae sunt Missae, remissio peccatorum et misericordia divina. Omnia enim gubernavit Missa. Tam vero certum est in verbo Dei non exstare mandatum de peregrinationibus easque inutiles esse, cum habeamus meliora atque illas sine omni peccato et periculo omittere possimus. Quare deserimus nostrarum civitatum parochias, verbum Dei, uxores cum liberis, quae res omnes necessariae et nobis mandatae sunt, et sectamur res inutiles, vanas, perniciosas et diabolicos errores, nisi quod papam satanas incitavit ad ista commendanda et stabilienda, ut quam plurimi a Christo abducti fiduciam in propriis operibus collocarent, et idolatriam exercerent, quod in ea re est pessimum. Insuper non est necessarium neque praeceptum habet aut consilium, incerta et noxia. Ideo hic quoque nihil cedendum, aut permittendum est. Doceatur autem vulgus, non necessarias, imo perniciosas esse peregrinationes, ac deinde videatur, ubi maneant peregrinationes.

Quarto et societates, in quibus monasteria, diocoeses, et Vicarii literis se obligarunt et communicaverunt, quae est turpis venditio, omnes Missas, bona opera etc. tam pro vivis quam pro mortuis. Quod non modo humanum figmentum est, mandato Dei non expressum, et necessarium, sed dissentit etiam a primo articulo de redemptione. Quare nullo modo ferendum est.

Quinto reliquiae Sanctorum, quo in genere ita varia et manifesta mendacia et ineptiae deprehensae sunt de caninis et equinis ossibus, ut etiam propter eiusmodi imposturas, quas risit satanas, iam olim fuerint damnandae, etiamsi habuissent aliquid boni. Quid? quod res est non necessaria et inuti-

lis plane, quam verbum Dei neque praecepit, neque consuluit. Sed illud pessimum est, quod propter reliquias Sanctorum tanquam propter bonum opus et cultum, ut Missam, dari finxerunt indulgentias et remissionem peccatorum.

Sexto. Huc pertinent indulgentiae, quae vivis et mortuis sunt donatae (sed propter pecuniam), in quibus sacrilegus iste Iudas aut papa merita Christi una cum superfluis meritis omnium sanctorum et totius ecclesiae vendit. Quare omnia minime sunt toleranda. Non enim solum carent verbo Dei, et nullam habent necessitatem aut mandatum, sed etiam pugnant cum primo articulo. Christi enim meritum non nostris operibus aut nummis, sed fide per gratiam absque omni pecunia et nostris meritis consequimur, non per papae potentiam, sed in Evangelio aut verbo Dei propositum.

De invocatione Sanctorum.

Invocatio Sanctorum etiam est antichristianus abusus pugnans cum superiori articulo principali et obscurat cognitionem Christi. Nullum exstat de hac praeceptum, aut consilium, aut exemplum in sacris literis. Et multo meliora offeruntur per Christum, etiamsi invocatio Sanctorum admodum bona esset, ut non est. Quamquam autem angeli in coelo pro nobis orant (quemadmodum et ipse Christus facit), item Sancti hic in terris, aut fortasse etiam in coelo, tamen hinc non sequitur, quod angelos et Sanctos invocare, adorare, illis ieiunare, feriari, Missas celebrare, sacrificare, denique templa, aras, et divinos cultus instituere, ac multis aliis modis servire, eosque habere pro patronis, et distribuere inter illos auxiliorum genera, et singulis peculiare attribuere debeamus, ut docent et faciunt papistae. Est enim mera idolatria, cum talis honor debeatur soli Deo. Potes quidem ut Christianus et sanctus in terris pro me orare, non in uno tantum, sed in cunctis periculis, veruntamen non es ideo mihi ado-

randus, invocandus, neque ego tibi ferias, ieiunia, sacrificia, Missas instituere debeo, et in te spem salutis ponere. Possum te alia ratione colere, amare, et tibi gratias agere in Christo. Nunc ubi idolatrici cultus angelorum et mortuorum Sanctorum aboliti fuerint, nihil afferet detrimenti reliquus honor, imo etiam ex memoria delebitur. Sublata enim spe commodi et subsidii tum corporalis, tum spiritualis, nemo facile adorabit sanctos, sive sint in sepulcris, sive in coelis. Gratis enim aut amore adductus nemo illorum valde recordabitur, nemo illos colet aut honore afficiet. Caput illud est: Quicquid Missa habet, quicquid ex ea natum est, quicquid illi adhaeret, id haudquaquam tolerare possumus, et necesse est, ut illud damnemus, quo sacrosanctum sacramentum purum et certum iuxta institutionem Christi in fide usurpatum et acceptum retinere possimus.

Tertius articulus.

Collegia Canonicorum et monasteria olim bono consilio instituta sunt, ut educarentur ibi homines docti et modestae feminae. Debent itaque in antiquum statum restitui, ne desiderentur parochi, concionatores et alii ecclesiae ministri, quique ad rempublicam vocari possint in civitatibus et provinciis, item honeste educatae virgines, quae postea evadant in bonas matresfamilias. Quodsi monasteria his rebus inservire nolint, melius est, ut deserta iaceant aut diruantur, quam ut propter suos impios cultus ab hominibus inventos habeantur sanctiora communi Christianorum statu et divinitus institutis muneribus et ordinibus. Nam et haec omnia pugnant cum primo principali articulo de redemptione nostra per Iesum Christum. Ad haec (sicut alia hominum inventa) nullum habent mandatum, non sunt necessaria neque utilia, denique periculosas et perniciosas molestias pariunt. Nam et prophetae tales cultus appellant Aven, hoc est, molestias.

Quartus articulus.

Pontifex non est iure divino aut mandato Dei totius ecclesiae caput (nam hoc est solus Iesus Christus), sed tantum episcopus aut parochus ecclesiae Romanae, et illorum, qui sua sponte aut per creaturam humanam, hoc est, magistratum civilem se illi aggregarunt, non ut illi tanquam domino suo subiecti, sed ut in eodem gradu cum illo tanquam fratres et sodales essent Christiani, quemadmodum vetera Concilia et tempus Cypriani declarant. Nunc autem nemo episcoporum audet pontificem fratris nomine compellare, ut illis temporibus. Sed coguntur etiam Imperatores et reges pontificem dominum suum appellare. Id neque volumus, neque debemus, neque possumus salva conscientia concedere. Cui vero libebit hoc facere, faciat absque nobis. Hinc sequitur, omnia illa, quae pontifex per falsam istam, temerariam, impiam, et arreptam potentiam egit et constituit, fuisse et adhuc esse acta et gesta ipsius diaboli (exceptis iis, quae ad politicum statum pertinent, in quo Deus etiam per tyrannum et nebulonem aliqua bona gentibus largitur), destinata ad perniciem universae sacrosanctae Christianae ecclesiae (quantum in ipso fuit) et ad opprimendum primum articulum principalem de redemptione Iesu Christi. Exstant enim eius Bullae et libri, in quibus rugit velut leo (sicut eum depingit angelus Apocalypsis cap. 12), neminem Christianorum posse salvum fieri, nisi ipsi obediat et subditus sit omnibus, quae jubet, dicit et facit. Quae omnia nihil aliud sunt, quam si diceret: Etiamsi credas in Christum et ab illo omnia sis consecutus, quae ad salutem pertinent, tamen nihil agis, nisi me pro Deo tuo colas, mihi subiectus sis mihique obedias, cum tamen sit manifestum, sacrosanctam ecclesiam non habuisse pontificem talem ante annos octingentos, item, hodie quoque Graecorum et aliarum gentium ecclesias pontifici non esse subiectas, neque unquam antea fuisse.

Quare, ut saepe diximus, humanum figmentum

est, de quo nullum exstat mandatum, nec est necessarium, sed superfluum, potest enim sancta Christiana ecclesia absque tali capite consistere, et melius cum illa ageretur, si tale caput a diabolo nunquam fuisset exaltatum. Praeterea totus papatus inutilis est in ecclesia. Nullum enim facit Christianum officium. Ita necesse est ecclesiam permanere et consistere remoto pontifice. Finge pontificem concedere se non quidem iure divino aut mandato Dei supremum esse, sed, ut concordia inter Christianos adversus sectas et haereses tanto melius conservetur, debere caput esse, quo alii nitantur. Tale caput ab hominibus eligeretur, et pro arbitrio hominum et potestate nunc mutari, nunc removeri posset, quemadmodum egit cum pontificibus Constantiensis Synodus, quae remotis tribus pontificibus eligebat quartum. Sed finge, inquam, pontificem et sedem Romanam vel se id concedere, quod nunquam faciet, nam totum suum regnum et ordinem pati cogeretur everti et destrui cum omni suo iure et iuris voluminibus, denique non potest hoc facere, tamen illud nihil prodesset ecclesiae, et existerent multo plures sectae, quam antea. Etenim cum nemo illi capiti obedientiam deberet mandato divino, sed tantum se illi quisque subiiceret spontanea voluntate, facile et cito veniret in contemptum et omnibus suis membris spoliaretur. Deinde illud caput non Romae, aut quovis alio in loco haberi debebit, sed ubicunque et in quacunque ecclesia Deus talem virum donavisset, qui ad illud munus obeundum esset idoneus. Sed o magnam haec res paritura esset confusionem. Nunquam igitur ecclesia melius regi et conservari potest, quam si omnes sub uno capite Christo vivamus, et episcopi omnes, quod ad officii rationem attinet, pares (quanquam donis impares) summa cum diligentia consentiant in conformi doctrina, fide, sacramentis, precatione et operibus caritatis. Ita S. Hieronymus scribit, presbyteros ecclesiae Alexandrinae communiter ecclesiam gubernare, quemadmodum et apostoli fecerunt et deinceps episcopi

omnes in universa ecclesia, donec papa suum caput supra omnes attolleret. Haec pars firmissime probat, pontificem esse ipsum antichristum, qui se Christo praeposuit et opposuit. Christianos non vult sine sua potestate salvari, quae ipsa tamen nihil est neque divinitus ordinata aut mandata. Quid est, si non hoc est praeponere se et adversari Deo, ut ait S. Paulus. Nihil tale fit a Turca aut Tartaris, utut magni hostes sint Christianorum. Permittunt enim credere in Christum omnibus, qui volunt, tantum accipiunt a Christianis tributa et postulant externam obedientiam. Papa vero prohibet nos credere, et ait, sibi obtemperandum esse, ita salutem contingere. Nos autem non obtemperabimus, aut potius mortem oppetemus in nomine Dei. Haec nascuntur omnia ex eo, quod se pontifex jure divino Christianae ecclesiae caput appellari voluit. Quare necesse fuit, ut se compararet atque anteferret Christo, seque initio caput, deinde dominum ecclesiae, postea etiam universi orbis, denique terrestrem Deum nuncuparet, donec coelestibus tandem angelis imperare conaretur. Atque si discernatur doctrina papae a sacra Scriptura aut cum ea conferatur, comperiemus doctrinam papae ea in parte, ubi optima est, ex civili et ethnico iure desumptam esse, et de civilibus rebus atque iudiciis praecepta tradere, sicut illius Decretales testantur. Deinde de templis, vestitu, ciborum delectu, personis et eiusmodi rebus ludicris, praestigiis et ineptiis infinitis ceremonias tradit, nihil autem in his omnibus de Christo, de fide et mandatis divinis. Postremo nihil est nisi diabolicum, ubi sua mendacia de Missis, purgatorio, monasteriis, propriis operibus et cultibus (quae omnia sunt ipse papatus) urget supra Deum et contra Deum, damnans interim, occidens, affligens omnes Christianos, qui hanc eius impietatem non supra omnia extollunt et colunt. Quapropter sicut ipsum diabolum pro domino aut Deo adorare non possumus, ita quoque eius apostolum papam aut antichristum in suo imperio caput et dominum ferre non possumus. Nam perdere

animam cum corpore, item mendacia et homicidia sunt pontificium eius regnum proprie.

In his quatuor articulis satis erit, quod damnent in Synodo. Non enim vel minimam eorum partem nobis possunt aut volunt largiri. De hac re nullum debet nobis esse dubium, imo confirmandus est animus ea nimirum fiducia, quod Iesus Christus sit aggressus suos hostes, et persecuturus sit eos tum spiritu, tum adventu suo, Amen. Nobis enim in Synodo non coram Imperatore aut civili magistratu standum erit (sicut Augustae), ubi Imperator Carolus causam benigne audivit. Sed nos coram pontifice et diabolo ipso stare oportebit, qui nihil velit audire, sed indicta causa condemnare, morti addicere et ad idolatriam cogere. Quare hic non dabimus osculum pedibus eius, neque dicemus: Vos estis dominus meus clemens, sed sicut apud Zachariam angelus ad diabolum ait: Puniat te Deus, satan.

Tertia pars articulorum.

De articulis, qui sequuntur, cum doctis et prudentibus viris aut denique ipsi inter nos rectius egerimus, quam cum pontifice, qui una cum sua factione non magni facit illos. Non enim valet aliquid apud eum consientia, sed divitiae, honores et potentia tantum valent.

De peccato.

Hoc loco cogimur fateri, ut S. Paulus Rom. 5 ait: Per unum hominem Adam introiisse peccatum in mundum, per cuius inobedientiam omnes homines peccatores facti sunt, morti et diabolo subiecti. Hoc vocatur peccatum originale aut principale. Huius peccati effectus sunt mala opera, quae sunt in decalogo prohibita, ut diffidentia, falsa fides, idolatria, vacare metu Dei, temeritas, desperatio, caecitas, et, ut summatim dicam, ignorantia et contemptus Dei, deinde mentiri, per nomen Dei iurare,

non orare, non invocare Deum, verbum Dei contemnere, inobedientem esse parentibus, caedes, libidines, furta, imposturae. Hoc peccatum originale tam immensa corruptio est naturae, ut illam nulla ratio perspiciat, ideoque ex sacrae Scripturae revelatione credenda est, Psalm. 51 et Rom. 5, Exod. 33, Gen. 3. Quapropter manifestus error et caecitas est pugnans cum hoc articulo, quod Scholastici theologi docuerunt:

1. Post lapsum Adae naturales hominis vires integras et incorruptas mansisse, et hominem naturaliter habere rectam rationem et liberum arbitrium, ut possit legi Dei satisfacere.

2. Hominem habere liberum arbitrium, ut possit facere, quae bona sunt, et omittere, quae sunt mala, contraque omittere, quae sunt bona, et mala facere.

3. Hominem propriis naturae viribus posse toti legi Dei satisfacere.

4. Hominem posse naturalibus viribus Deum diligere super omnia, et proximum sicut se ipsum.

5. Si homo tantum praestet, quantum possit, tunc eum certo consequi gratiam apud Deum.

6. Sumpturo sacramentum non esse opus, ut habeat propositum bene operandi, verum satis esse, si non habeat impium propositum peccandi, usque adeo bonam esse naturam et tantam esse vim sacramenti.

7. In sacris literis non doceri, ad bene operandum opus esse Spiritu sancto cum sua gratia.

Hi et similes errores manarunt ex ignorantia et inscitia tum peccati, tum Christi salvatoris nostri, suntque dogmata prorsus ethnica, quae non possumus tolerare. Nam si illa essent vera, Christus frustra mortuus esset, quandoquidem nulla corruptio aut peccatum in homine est, propter quod ipsum mori fuisset necesse. Aut pro corpore tantum, non etiam pro anima mortuus esset, quoniam anima incorrupta est, solum autem corpus morti obnoxium.

De lege.

Hic sentimus, legem esse divinitus latam, primo ut peccata coerceat minis et terrore poenarum, item promissione et annunciatione gratiae et beneficiorum. Sed haec omnia male cesserunt propter malitiam, quae in homine efficit peccatum. Hinc enim alii, qui sunt inimici legis, deteriores facti sunt propterea, quod illa, quae prohibentur in lege, libenter faciunt, quae autem praecipiuntur, faciunt inviti. Ideo quatenus non absterrentur poenis, magis nunc etiam delinquunt contra legem quam antea. Hi sunt homines effrenes et perditi, qui male agunt, quotiescunque datur opportunitas. Alii occaecantur et insolescunt, existimantes se propriis viribus servare et posse servare legem, ut supra dictum est de Scholasticis theologis. Hinc existunt hypocritae et in speciem sancti.

Praecipuum vero officium et vis legis est, ut peccatum originale cum omnibus suis fructibus ostendat et hominem doceat, quantum natura eius degenerarit, quodque funditus corrupta sit, quippe cui lex dicat, Deum ab ipso non coli, sed contemni, et adorari deos alienos, id quod antea sine doctrina legis non crediderat. Ita homo territus humiliatur, abiicit animum, desperat, anxie cupiens sibi afferri auxilium, nescit quo se vertat, incipit Deo irasci et obmurmurare. Hoc nimirum est, quod dicitur Rom. 3: Lex iram operatur, et Rom. 15: Lex subintravit, ut abundaret delictum.

De poenitentia.

Hoc officium legis retinetur in novo Testamento et exercetur quoque, sicut S. Paulus Rom. 1. ait: Manifestatur ira Dei de coelo adversus omnem impietatem et iniustitiam hominum; item Rom. 3: Reus est totus mundus Deo; item: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius; item Ioann. 16: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Hoc est fulmen Dei, quo non solum ma-

nifestos peccatores, sed etiam hypocritas prosternit, damnat, et terrorem desperationemque affert, est ille malleus, de quo Ieremias ait: Verbum meum malleus est conterens petras. Haec non est activa contritio, aut accersita, sed passiva contritio, verissimus cruciatus cordis, passio et sensus mortis. Atque hoc est veram poenitentiam inchoare, et cogitur homo audire talem sententiam: Actum est cum omnibus vobis, sive aperte peccatores, sive hypocritae estis, oportet vos omnes alios fieri, quam nunc estis, et operari longe aliter, atque nunc operamini. Utut estis magni, sapientes, potentes et sancti, nemo est iustus. Sed ad tale officium novum Testamentum addit consolatoriam promissionem gratiae per Evangelium, quam fide apprehendere debemus, quemadmodum Christus ait, Marci 1: Agite poenitentiam, et credite Evangelio, hoc est, convertimini, operamini aliter et credite promissioni meae. Et ante Christum Ioannes vocatur praedicator poenitentiae, tamen ad remissionem peccatorum, hoc est, Ioannes debuit omnes arguere et docere, omnes peccatores esse, ut scirent, quales essent coram Deo, et agnoscerent se esse homines perditos, atque ita pararentur domino ad amplectendam gratiam et exspectandam accipiendamque a Christo remissionem peccatorum. Ita ipse Christus Luc. ult.: Oportet in nomine meo praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum inter omnes gentes. Si vero lex sola officium suum exerceat remoto Evangelio, praesto est mors, infernus, et cogitur homo desperare, ut Saul et Iudas, sicut inquit S. Paulus: Lex per peccatum occidit; e diverso Evangelium non uno tantum modo affert consolationem et remissionem peccatorum, sed per verbum, sacramenta, et similia (sicut audiemus), ut copiosa apud eum redemptio sit, ut ait Psal. 130, adversus magnam captivitatem peccati. Ceterum conferenda est falsa poenitentia Sophistarum cum vera poenitentia, quo utraque tanto melius intelligatur.

De falsa poenitentia Papistarum.

Impossibile fuit Sophistis recte de poenitentia docere, cum verum peccatum non cognovissent. Nam, ut supra dictum est, non recte sentiunt de peccato originali, sed affirmant, naturales vires hominis integras et incorruptas mansisse, rationem recte posse docere, et voluntatem rationi recte posse obtemperare, Deum certo donare suam gratiam, cum homo tantum facit, quantum potest suo libero arbitrio. Quare necesse fuit illos poenitentiam agere tantum pro actualibus peccatis, (nam vitiosi affectus, libido, concupiscentia non erat peccatum), sed peccata vocabant tantum actiones ortas a libero arbitrio. Huiusmodi poenitentiae constituunt tres partes, contritionem, confessionem, satisfactionem, addita hac consolatione et promissione: Si homo recte ageret poenitentiam, confiteretur, et satisfaceret, tunc eum meruisse remissionem peccatorum et pro peccatis suis coram Deo satis fecisse. Ita in poenitentia iubebant propriis operibus confidere. Hinc natum est illud, quod in suggestis iactabant, quoties vulgarem confessionem populo recitabant: Conserva, domine Deus, vitam meam, donec egero poenitentiam pro peccatis meis et vitam meam correxero. Hic nulla Christi et fidei mentio fiebat, sed sperabat quisque se propriis operibus coram Deo peccata abiecturum et aboliturum esse. Eo consilio etiam sacerdotes et monachi fiebamus, ut ipsi resisteremus peccato. Contritio hoc modo se habuit. Quandoquidem nemo omnia sua delicta poterat recordari, praesertim per totum annum commissa, ita nugabatur: Si occulta peccata deinceps in memoriam redacta essent, oportere etiam de illis poenitentiam agi eaque confessione patefieri, interim gratiae Dei commissi erant. Ad haec, cum nemo sciret, quanta deberet esse contritio, ut satisfacere posset coram Deo, hanc consolationem addebant, ut is, qui non posset habere contritionem, haberet saltem attritionem, quam ego dimidiam contritionem, aut indicationem contritionis appellare

possum, nam ipsimet neutram earum intellexerunt, et tam ignorant, quid haec significent, quam ego. Haec attritio habebatur pro contritione, quando confitebantur. Si quando accidebat, ut aliquis diceret, se non posse contritionem habere, seu dolere pro peccatis, id quod potuit accidere amore meretricio captis aut cupiditate vindictae incensis etc., tum interrogabant, optaretne contritionem habere, an non. Si respondebat, Etiam, (quis enim negaret excepto diabolo?), accipiebant illud pro contritione et remittebant illi sua peccata, propter eiusmodi bonum opus allegantes exemplum S. Bernardi etc. Hic videmus, ut humana ratio titubet in rebus divinis, utque pro suo arbitrio a propriis operibus consolationem petat, de Christo et fide cogitare non possit. Quando res in lucem prolata cernitur, contritio ista ficta et simulata cogitatio est, ex propriis viribus profecta, sine fide, sine cognitione Christi, in qua contritione miser peccator risisset interdum libentius, quam flevisset, cum libido et vindictae cupiditas animum subiit exceptis iis, quos vel lex vere perterrefecit, vel tristi spiritu frustra afflixit diabolus. Alioqui talis contritio fuit vera hypocrisis neque mortificavit peccati libidinem. Cogebantur enim homines ad contritionem, cum tamen plus maluissent peccare, si licuisset.

Confitendi ratio haec fuit:

Quisque cogebatur omnia sua peccata enumerare (quod impossibile erat), haec fuit ingens carnificina. Quae vero oblitus erat, hactenus ei remittebantur, ut, cum venirent in mentem, confiteretur postea. Eo pacto nunquam potuit statuere, quando satis pure esset confessus, aut quando tandem confessio finem esset habitura. Nihilominus tamen iubebatur fiduciam collocare in sua opera. Dicebant enim: Quanto purius confiteretur, et quanto magis ipsum puderet, et se coram sacerdote vituperaret, tanto illum citius et melius satisfacere pro peccatis suis, quod talis humiliatio mereretur gra-

tiam apud Deum. Neque hic de Christo, aut de fide quicquam. Etiam vis absolutionis confitenti non aperiebatur, omnis eius consolatio in enumeratione delictorum ac pudore sita erat. Nemo autem verbis consequi potest, quanta crux, turpitudo, idolatria ex tali confessione promanaverint. Satisfactio latissime patet. Nemo enim hominum potuit scire, quantum deberet facere pro unico delicto, nedum pro omnibus. Itaque hoc consilium invenerunt, ut paucas satisfactiones imponerent, quae facile poterant servari, ut sunt quinque orationes dominicae, unum diem ieiunare etc. Reliquam poenitentiam reiiciebant ad purgatorium. Hic etiam mera miseria et calamitas fuit. Alii arbitrabantur se nunquam egressuros e purgatorio, propterea quod secundum veteres Canones unum peccatum mortale requirit poenitentiam septem annorum. Adhuc tamen posita erat fiducia in nostris operibus satisfactionis. Et, si satisfactio perfecta esse potuisset, tota fiducia prorsus in satisfactione collata esset, adeo ut neque fide, neque Christo opus fuisset. Sed erat impossibilis. Iam si aliquis per centum annos ad hunc modum egisset poenitentiam, nunquam tamen scivisset, quando perfectam poenitentiam egisset. Hoc erat semper agere poenitentiam et nunquam ad poenitentiam venire. Ibi subveniebat Romana curia miserae ecclesiae, et excogitabat indulgentias, quibus remittebat et afferebat satisfactiones, primum particulatim, per annos septem, centum etc. et partiebatur eas inter Cardinales et episcopos, ut alius centum annorum, alius centum dierum indulgentias donare posset. Totius autem satisfactionis tollendae potestatem sibi reservabat. Haec res cum iam quaestum facere coepisset, et bullarum nundinatio feliciter procederet, excogitabat annum aureum, quem Romae esse voluit, et qui remissio fuit omnium poenarum et culparum, eo accurrebant homines. Quis enim gravissimo et intolerabili onere non cupiisset liberari. Hoc erat thesauros terrae invenire et exaltare. Pergebat autem statim papa, et multos annos aureos alium

super alium accumulabat. Sed quanto ille plus pecuniae devorabat, tanto gula fiebat amplior. Itaque aureum annum in alias regiones per legatos mittebat, donec omnes ecclesiae ac domus complerentur aureis annis. Postremo irrumpebat in purgatorium in mortuos, primo per Missas, vigilias, fundationes, postea vero per indulgentias et annum aureum. Quid multis? Adeo vilescebant animae, ut nostrate grosso unam liberaret. Neque vero haec sufficiebant, papa enim, tametsi iubet homines in indulgentiis fiduciam salutis ponere, rursus tamen hoc ipsum reddebat incertum. Ponebat enim in suis Bullis: Qui se participem fieri vellet indulgentiarum et aurei anni, illi prius agendam esse poenitentiam suorum peccatorum, et ea confitenda, atque pecuniam dandam esse. Est autem antea dictum, contritionem et confessionem papisticam incertam et hypocrisim fuisse. Ad haec nemo sciebat, quae anima esset in purgatorio, et si quae essent in eo, tamen erat incognitum, quae habuisset veram contritionem et recte fuisset confessa. Hic papa accepit pecuniam, et interim iussit eos confidere in ipsius poenitentiam et indulgentias, et tamen illos remisit ad sua incerta opera; iam, sicubi erant, qui videbantur sibi non esse obnoxii peccatis actualibus, ut malis affectibus, dictis aut factis, sicut ego meique similes in monasteriis et sacerdotum sodalitiis monachi et sacerdotes esse volebamus, qui ieiuniis, vigiliis, precationibus, celebrandis Missis, duriore vestitu et stratis repugnantes pravis adfectibus conabamur serio et vi quadam salvi fieri, cum interea originale peccatum etiam in somno fortasse vires suas exerceret, ut sanctus Augustinus et Hieronymus una cum aliis fatentur. Hi tamen sentiebant inter se, quosdam esse tam sanctos, sicut nos docebamus, ut sine peccato essent, pleni bonis operibus, adeo ut hac fiducia aliis etiam nostra bona opera nobis ad iustitiam superflua impartiremur et venderemus. Haec vera sunt, et sunt in promptu Sigilla, Literae et Exempla. His non erat opus poenitentia. Cuius enim peccati illos poeniteret, qui non

assentiebantur impiis cogitationibus? quid confiterentur, quandoquidem verba vitabant, pro qua re satisfacerent, cum nulli facinori essent obnoxii, adeo ut aliis miseris peccatoribus superfluam iustitiam venderent? Tales sancti erant Pharisaei et scribae temporibus Christi. Hic venit igneus angelus S. Ioannes, praedicator verae poenitentiae, atque uno fulmine ferit utrosque dicens: Agite poenitentiam. Illi cogitant: Egimus poenitentiam, hi cogitant: Nobis non est opus poenitentia, Ioannes dicit: Agite utrique poenitentiam, nam vos non egistis veram poenitentiam, sed estis hypocritae, utrique indigetis remissione peccatorum, quia utrique ignoratis adhuc, quid sit verum peccatum, tantum abest, ut poenitentiam de peccato agere aut illud evitare possitis. Nemo vestrum bonus est, pleni estis incredulitatis, inscitiae et ignorantiae Dei et divinae voluntatis. Adest enim is, de cuius plenitudine oportet nos omnes accipere gratiam pro gratia, et sine quo nemo hominum coram Deo iustificari potest. Si vultis igitur poenitentiam agere, recte id facite. Vestra poenitentia nihil est. Quis vobis, hypocritae, quibus nulla poenitentia opus est, progenies viperarum, indicavit, quod effugere possitis venturam iram etc.? Sic concionatur etiam S. Paulus Rom. 3 dicens: Non est, qui intelligat, non est, qui exquirat Deum, non est, qui faciat bonum, non est, ne quidem unus, omnes inutiles facti sunt et deflexerunt, et Act. 17: Nunc Deus annunciat hominibus, ut omnes resipiscant, omnes homines, ait, nemine, qui quidem homo sit, excepto. Haec poenitentia docet nos agnoscere peccatum, actum esse cum omnibus nobis, nihil esse in nobis boni et oportere nos renovari et alios fieri. Haec poenitentia non est imperfecta, qualis est illa, qua tantum de actualibus peccatis agitur poenitentia. Non est etiam incerta, sicut illa. Non enim disputat, quodnam sit aut non sit peccatum, sed omnia deprimit ac dicit: Nihil est in vobis, nisi peccatum. Quorsum opus est inquisitione, partitione aut divisione? Quocirca etiam contritio hic non est incerta. Nihil

enim relinquitur, quo aliquid boni cogitare possimus ad satisfaciendum pro peccatis, sed tantum nuda et certa desperatio de omnibus, quae possumus, cogitamus, loquimur et facimus. Simili ratione confessio quoque non potest esse falsa, incerta et imperfecta. Qui enim confitetur nihil in se esse, nisi peccatum, is complectitur omnia peccata, nullum excludit nec obliviscitur. Denique nec satisfactio potest esse incerta. Non enim est opus nostrum incertum, immundum, sed est passio et sanguis innocentis agni Dei, qui tollit peccata mundi. De hac poenitentia concionatur S. Ioannes et postea Christus in Evangelio et nos itidem. Hac poenitentia reiicimus papam et quicquid super nostra opera constructum est. Consistit enim super immundo et inani fundamento, bono opere aut lege, cum maneat infirmitas in bonis operibus, et nemo impleat legem (ut Christus ait Ioannis 7.), sed omnes transgrediantur. Quare hoc aedificium nihil est nisi mendacium et hypocrisis, etiam cum sanctissimum et pulcherrimum est. Atque haec poenitentia durat apud Christianos usque ad mortem, pugnat enim cum reliquiis peccati in carne per omnem vitam, sicut S. Paulus Rom. 7. testatur, belligerari se cum lege membrorum suorum, idque non propriis viribus, sed dono Spiritus sancti, quod comitatur remissionem peccatorum.

Hoc donum purgat et expellit quotidie reliquias peccati et nititur hominem iustum, purum et sanctum reddere. Hanc doctrinam ignorant papa, theologi, iuris periti et omnes homines. Est enim coelitus per Evangelium revelata et vocatur haeresis ab impiis sanctis. E diverso existunt interdum fanatici spiritus, quales fortasse iam inveniuntur, et tempore seditionis ante conspectum meum prodibant, qui sentiunt eos, qui semel Spiritum sanctum et remissionem peccatorum acceperunt aut fideles facti sunt, si postea delinquant, tamen manere in fide et peccatum ipsis non obesse, clamitant: Fa-

cito, quicquid lubet[1]), si credis, totum nihil est, fides delet omnia peccata. Addunt hoc etiam, eum, qui post iustificationem labitur, nunquam vere habuisse spiritum et fidem. Eiusmodi male sanos homines multos audivi, et vereor, ne in quibusdam adhuc tale daemonium lateat.

Quare sciendum est ac docendum, quod fides et Spiritus sanctus absit, quando in manifesta flagitia, sicut David, in adulterium, homicidium et blasphemiam labuntur, praeterquam quod originale peccatum adhuc habent et sentiunt et adversus illud quotidie agendo poenitentiam pugnant. Nam Spiritus sanctus non sinit peccatum exercere suas vires et invalescere, ut committatur, sed coercet ac prohibet, ut ne agat quod vult, si vero agit, tum destituitur Spiritu sancto et fide. Nam S. Ioannes ait: Qui ex Deo natus est, non peccat nec potest peccare. Et tamen hoc quoque verum est, sicut idem Ioannes testatur: Si dicimus nos non habere peccatum, mentimur, et veritas Dei non est in nobis.

De Evangelio.

Iam redibimus ad Evangelium, quod non uno modo consilium et opem adfert contra peccata. Supra modum enim liberalis est Deus in sua gratia, primo per externum verbum, quo annunciatur remissio peccatorum in universo orbe, id quod Evangelii proprium officium est, secundo per baptismum, tertio per coenam Domini, quarto per potestatem clavium et per mutuum etiam colloquium et consolationem fratrum, Matth. 18: Ubi duo fuerint congregati etc.

De baptismo.

Baptismus nihil aliud est, quam verbum Dei cum mersione in aquam iuxta mandatum, vel, ut

---

1) In ed. orig.: iubet.

Paulus ait, lavacrum cum verbo, sicut et Augustinus ait: Accedat verbum ad elementum et fit sacramentum. Quare non assentimur Thomae et monachis praedicatoribus, qui (verbi divinae institutionis obliti) docent Deum infudisse in aquam spiritualem potentiam, quae abluat peccata per aquam. Neque assentimur Scoto et Minoritis, qui nihil dicunt de ministerio et fide, nec docent per verbum et sacramenta dari Spiritum sanctum.

De baptismo infantium.

Sentimus infantes esse baptizandos, quia pertinent etiam ad promissam redemptionem per Christum; et ecclesia debet illos Christo offerre.

De sacramento altaris.

Sentimus panem et vinum in coena Domini esse verum corpus et sanguinem Christi, nec tantum porrigi et sumi a piis, verum etiam ab impiis. Item non esse porrigendum sacramentum sub una specie. Neque vero indigemus illa summa scientia, quae nos doceat, tantum esse sub una specie, quantum sit sub utraque, ut docent Sophistae et Concilium Constantiense. Etiamsi enim verum esset, tantum esse sub una specie, quantum est sub utraqne, tamen una tantum species non est tota ordinatio atque institutio a Christo tradita et mandata. Praecipue autem damnamus et in nomine Dei exsecramur illos, qui non solum utramque speciem omittunt, sed etiam imperiose prohibent, damnant, criminantur tanquam haeresin, atque in eo se opponunt et praeponunt Christo Domino et Deo nostro. De transsubstantiatione nihil moramur argutias Sophisticas, panem et vinum amittere suam naturalem substantiam, et relinqui tantum formam et colorem panis, non verum panem. Optime enim concordat cum sacra Scriptura panem ibi esse et manere, sicut ipse S. Paulus appellat: Panem quem frangimus, item, Sic comedat de pane.

De clavibus.

Claves sunt munus et potestas ecclesiae a Chri-

sto donata ad ligandum et solvendum peccata, non solum manifesta et nota peccata, sed etiam occulta, quae solus Deus perspicit, sicut scriptum est: Quis novit, quantum delinquat? Et ipse Paulus Rom. 7 conqueritur, quod carne serviat legi peccati. Non enim est nostrum, sed solius Dei iudicare, quae sint peccata, quanta sint, et quot sint, sicut scriptum est: Ne intres in iudicium cum servo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Paulus 1. Cor. 4 ait: Nihil mihi conscius sum, sed non ideo sum iustificatus.

De confessione.

Cum absolutio seu vis clavium in Evangelio per Christum instituta etiam adferat consolationem adversus peccata et malas conscientias, nequaquam debet aboleri in ecclesia, praesertim propter pavidas conscientias, et ut effrenis iuventus examinetur et instituatur in doctrina Christiana. Enumeratio autem delictorum debet unicuique esse libera, ut enumeret ea, quae velit. Quamdiu enim haeremus in carne, non mentiemur, si dixerimus: Sum miser homo plenus peccatorum; Rom. 7: Sentio aliam legem in membris meis etc. Etenim cum privata absolutio proficiscatur a potestate clavium, non debet contemni, sed plurimi fieri, ut alia omnia Christianae ecclesiae officia. Et in his rebus, quae ad externum verbum pertinent, firmiter statuendum est, Deum nemini suum spiritum aut gratiam largiri, nisi intercedente aut praecedente externo verbo, ut nobis caveamus ab enthusiastis, hoc est, a spiritibus, qui gloriantur se absque verbo et ante verbum habere spiritum, et postea Scripturam et externum verbum iudicant, interpretantur et torquent pro suo arbitrio, sicut fecit Monetarius, et adhuc hodie faciunt plurimi, qui inter spiritum et literam acerrimi iudices esse volunt neque sciunt, quid dicant aut tradant. Nam et papatus est merus enthusiasmus, in quo papa gloriatur omnia iura esse in scrinio pectoris sui, et quicquid cum ecclesia sua iudicat et iubet, id esse spiritum et iustum, etiamsi pugnet

cum Scriptura aut externo verbo. Hic est vetus ille satanas ac serpens, qui etiam Adamum et Evam in enthusiasmum perduxit et ab externo Dei verbo ad spiritualitatem et proprias opiniones abduxit, et tamen id agebat etiam per alia externa verba, quemadmodum et nostri enthusiastae damnant externum verbum et ipsi tamen non tacent, sed mundum implent sua garrulitate et scriptis, quasi spiritus non possit per apostolorum scripta aut externum verbum venire, sed tantum per horum scripta et verba. Cur non omittunt etiam suas conciones, donec ille spiritus absque illorum scriptis et ante scripta in homines veniat, quemadmodum gloriantur eum in ipsos venisse absque praedicatione Scripturae, sed de his non est locus iam disputandi. Quin illi etiam, qui ante baptismum credunt aut in baptismo fidem accipiunt, habent hoc per externum verbum praecedens, sicut necesse est, adultos, qui iam intelligunt, prius audivisse hoc verbum: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, etiamsi initio infideles decem annis post accipiant Spiritum et baptismum. Et Cornelius, Act. 10, multo ante audiverat apud Iudaeos de venturo Christo et Messia, per quem ipse coram Deo iustus, precationes et eleemosynae eius acceptae erant in tali fide, sicut Lucas appellat eum iustum et pium. Neque poterat sine tali verbo et auditu credere aut iustificari. Ideo necesse fuit, ut S. Petrus illi revelaret Messiam, in quem nondum exhibitum ad illud usque tempus crediderat, iam venisse, ut ne cum infidelibus et obcaecatis Iudaeis Christum adhuc venturum esse crederet, sed ut sciret, sibi aeternam salutem consequendam esse per praesentem Messiam, nec eum cum Iudaeis negandum aut persequendum. Sed ut rem conferam in pauca, enthusiasmus iste in Adamo et eius filiis ab initio usque ad finem mundi per antiquum draconem iis inditus, estque origo, vis et potentia omnis haeresis et papatus et Mahometis. Quare nobis statuendum est, Deum non acturum esse cum hominibus, nisi per suum externum verbum et sacramentum. Quicquid autem sine verbo et sacra-

mento de spiritu iactatur, diabolus est. Deus enim etiam Mosi voluit primo per igneum rubum et vocale verbum apparere. Neque quisquam prophetarum, sive Elias, sive Eliseus, absque decem praeceptis spiritum accepit. Neque Ioannes Baptista sine praecedenti verbo Gabrielis conceptus est, neque sine Mariae voce in utero materno saltabat. Et S. Petrus ait: Prophetae non ex voluntate humana, sed ex Spiritu sancto prophetaverunt, cum essent sancti homines. Sed absque externo verbo non erant sancti, multo minus illos velut profanos adhuc ad prophetandum Spiritus sanctus movisset. Nam erant sancti, ait, cum Spiritus sanctus per illos loqueretur.

De excommunicatione.

Maiorem excommunicationem, ut vocat papa, nos tantum pro civili poena habemus, ac ideo ad nos ecclesiasticos ministros nihil pertinet. Minor autem, hoc est, vere Christiana excommunicatio, quae manifestos et obstinatos peccatores arcet a sacramentis aut alia ecclesiae communione, donec agant poenitentiam et vitent peccata, pertinet, et concionatores non debent huic spirituali poenae admiscere civilem poenam.

De ordine et vocatione.

Si episcopi vellent esse vere episcopi et ecclesiae et Evangelii curam gerere, tum caritatis et concordiae gratia, non tamen necessario illis concederemus, ut nos et nostros concionatores ordinarent et confirmarent, sed remotis omnibus deliramentis, praestigiis et impiis ceremoniis. Iam vero cum non sint veri episcopi, vel etiam esse nolint, sed civiles magistratus et principes, qui non concionantur, non docent, non baptizant, non porrigunt sacramenta, nec ullum opus aut munus ecclesiasticum facere volunt, imo persequuntur et damnant eos, qui vocati funguntur munere ecclesiastico, non ideo tamen ecclesia carere debet ministris. Quapropter, ut vetera exempla ecclesiae et Patrum nos

docent, ipsi volumus et debemus ordinare idoneos ad tales functiones, id non possunt vetare aut prohibere, etiam secundum ius suum. Nam ipsorum iura dicunt etiam eos, qui ab haereticis ordinati sunt, esse ordinatos, neque illam ordinationem debere mutari, quemadmodum S. Hieronymus de ecclesia Alexandrina scribit, eam primo absque episcopis per presbyteros et concionatores communiter gubernatam esse.

De coniugio sacerdotum.

Quod coniugia prohibuerunt et divinum sacerdotum ordinem perpetua castitate onerarunt, fecerunt iniuste et inique et ut impii, tyrannici ac perditi nebulones, eaque re occasionem praebuerunt omnis generis peccatis horrendis ac tetris innumerabilibusque libidinibus, quibus adhuc immersi haerent. Quam igitur aut nobis aut illis non est potestas data ex masculo feminam, vel ex femina masculum faciendi, aut utrumque sexum delere, tam ipsi quoque non habent potestatem creaturas Dei separandi, aut prohibendi, ne honeste et in matrimonio cohabitent. Itaque nequaquam approbabimus aut feremus impium illorum coelibatum, sed coniugium habebimus liberum, sicut a Deo ordinatum et institutum est, neque illius opus rescindere aut impedire volumus. Nam S. Paulus ait esse doctrinam diabolicam.

De ecclesia.

Non concedimus eis, quod sint ecclesia, et re vera non sunt, et non obtemperabimus iis, quae sub nomine ecclesiae mandant aut vetant. Etenim puer, Dei gratia, septem annorum non ignorat, quid sit ecclesia, quod sit sancti fideles et oviculae, quae vocem pastoris sui audiunt. Sic enim orant pueri: Credo sanctam ecclesiam catholicam. Haec ranctimonia non est sita in superliciis, ut vocant, sasuris, talaribus, tunicis et aliis illorum ceremoniis, per ipsos extra sacram Scripturam confictis, sed sita est in verbo Dei et recta fide.

Quo pacto coram Deo iustificemur, et de bonis operibus.

Quicquid de hac re usque ad hoc tempus assidue docui, nequaqum mutare possum, quod per fidem (ut S. Petrus ait) consequamur cor novum et mundum, et quod Deus propter Christum nostrum mediatorem nos pro iustis et sanctis habere velit et habeat. Quanquam autem peccatum in carne nondum prorsus mortificatum est, tamen id non vult imputare credenti. Atque talem fidem, renovationem ac remissionem peccatorum comitantur bona opera, et quod in his adhuc vitiosum est, non reputabitur pro peccato propter illum ipsum Christum, sed totus homo (tum secundum personam, tum secundum opera sua) vocabitur ac erit iustus et sanctus per solam gratiam et misericordiam in Christo in nos effusam et amplificatam. Quare non possumus gloriari de meritis nostrorum operum, si sine gratia et misericordia inspiciantur, sed ut scriptum est: Qui gloriatur, glorietur in Domino, hoc est, glorietur se habere popitium Deum, sic se res bene habet. Addimus praeterea hoc etiam, quod, si non comitentur bona opera, fides sit falsa, non vera.

De votis monasticis.

Quandoquidem vota monastica directe cum principali articulo pugnant, debent esse prorsus irrita. Sunt enim, de quibus ita dicit Christus, Matth. 24: Ego sum Christus etc. Nam qui vovet vitam monasticam, is statuit, se tenere meliorem vitae statum, quam vulgus Christianorum, ac suis operibus non solum se, sed alios quoque conatur ad coelum adducere, hoc est, negare Christum. Iactant etiam hoc sui, ut Thomas, vota monastica paria esse baptismo, haec est blasphemia in Deum.

De traditionibus humanis.

Quod papistae affirmant traditiones humanas conducere ad remissionem peccatorum aut mereri aeternam salutem, plane impium est et damnatum, sicut Christus ait: Frustra colunt me mandatis hominum: item ad Titum 1: Aversantium veritatem.

Item falsum est et hoc, quod asserunt peccatum mortale esse violare istiusmodi traditiones.

Haec sunt capita, in quibus me consistere oportet, ac consistam (Deo dante) usque ad mortem meam. Neque video, quid in iis mutare aut concedere debeam. Si quis autem volet aliquid concedere, faciat id cum suae conscientiae periculo. Postremo restant adhuc ipsae praestigiae papae de stultis et puerilibus articulis, de consecratione templorum, de campanarum et saxeorum altarium baptizatione, de susceptoribus eorum, qui aliquid ad illa dabant. Quae baptizatio contumelia est et derisio sacrosancti baptismi, ideoque minime ferenda est. His adde articulos de consecratione candelarum, palmarum, placentarum, herbarum, avenae etc. Haec non potest vocari aut esse consecratio, sed est ludibrium et impostura. Infinitae sunt aliae huius generis praestigiae, quas relinquimus illorum Deo et ipsis adorandas, donec capiat eos satietas, nos volumus ab iis esse liberi. —

Lutheri praefationes latinae ab anno 1518 usque ad annum 1544 compositae.

In Luthero quanta fuerit fidei sinceritas atque ingenii sollertia, non minime apparet ex praefationibus, quas plurimas per totam fere vitam in varia composuit scripta. Quotquot nos quidem invenimus, huc servato temporis ordine contulimus librosque, quibus singulae praemissae sunt praefationes, in margine inferiore adnotavimus.

A. 1518.

1) Praefatio R. P. D. Martini Lutheri in libellum S. Augustini de Spiritu et Litera ex autographo descripta *).

Non sine causa statutum est, ut hic libellus S.

*) His verbis inscripta invenitur haec praefatio Lutheri in tomo primo Epistolarum D. Mart. Lutheri ab Ioh. Aurifabro editarum, Ienae a. MD.LVI p. 55. Augustini liber ipse in lucem prodiit Vitebergae a. 1518 et 1545, forma octonaria, sub hoc titulo: Augustini liber de spiritu et litera cum praefatione et praemonitione lectoris, (cf. Walchii introd. in T. XIV p. 21). — Nos secundum Aurifabrum textum reddidimus, Germanice legitur haec praefatio apud Walchium, T. XIV p. 207.

Augustini de spiritu et litera in hac schola publice legeretur, praesertim hoc seculo nostro, in quo Papistae plus quam Pelagiani rabiose etiam insectantur gratiam Dei, qua gratis iustificamur in Christo, ut defendant et stabiliant suas satisfactiones, missas et merita. Quare debent studiosi theologiae hunc libellum sibi facere familiarem, ut resistere possint et confutare voces illas rabiosas Papistarum vociferantium, nos novum doctrinae genus in ecclesiam invehere. Nam hic liber S. Augustini non est novus, sed convincit Papistas esse novorum dogmatum inventores, qui huic doctrinae veteri et ab apostolis traditae superinduxerunt suas impias et sacrilegas opiniones, quibus eam flagellaverunt, crucifixerunt et sepelierunt.

Exstat apud eos vox satis satanica, sed pro canone theologico illis habita, scilicet Augustinum in his rebus esse locutum excessive. Sic enim eluserunt sancti viri doctrinam et operam, ne vincerentur autoritate S. Augustini et cogerentur sua commenta nefaria deserere: quo simul testimonium sibi ipsis sunt, non ignoranter sese docuisse et defendisse sua portenta, ut qui pulchre scirent et legissent Augustinum longe lateque ipsis dissentire. Unus ex illis Gregorius Ariminensis ausus est Lutetiae Augustinum producere et Sophistis opponere in hac materia, sed non praevaluit, scilicet obruentibus eum Sorbonae theologis et pro Pharisaico suo supercilio decernentibus, Augustinum esse locutum excessive.

Cum igitur non sit cuiusvis omnia opera Augustini sibi comparare, necessarium visum est pro tenuioribus unum et alterum libellum S. Augustini edere, ut videat unusquisque, nos neque primos, neque solos esse, qui Sophistarum impiam theologiam impugnare ausi simus, neque nos esse, sed ipsos potius fuisse novarum rerum autores in ecclesia Dei, qui relictis terminis, quos Patres constituerunt, corda simplicium in suos tortuosos et devios colles (ut Scriptura dicit) praecipitaverunt: ut iuxta verbum Prophetae populus Christi sit ipsius oblitus

diebus innumeris et coactus fornicari cum infinitis amatoribus, seu diis alienis, qui nec die nec nocte eis requiem dederunt.

De laudibus vero Augustini nihil hoc loco dicam, nisi hoc unum, quod experientia doctus possum affirmare tuto, post sacras literas nullum esse doctorem in ecclesia, qui sit illi conferendus eruditione Christiana. Aliis suas laudes concedo, sint loquentes ut Chrysostomus, literis secularibus instructi ut Hieronymus, sed in omnibus simul collectis non invenies dimidium, quantum in solo Augustino. Quare si potes et tibi vacat, post sacras literas elige tibi magistrum hunc S. Augustinum, maxime ubi contra Pelagianos, Donatistas et Manicheos pugnat. Hic est enim vir solidae eruditionis in Christo. Habet sane et ipse libros quosdam in principio suae functionis scriptos, sed hos legendos esse censeo, ubi horas habebis superfluas et otiosas, quales ego non paucas aliquando perdidi in Hieronymo, Chrysostomo et similibus. Quod si mihi experto non credis, poteris mea quidem causa ipse periculum facere et postea mecum poenitere. Dominus noster dirigat et servet nos Spiritu suo sancto in gloriam suam et salutem nostram. Amen.

A. 1522.

2) Praefatio D. M. Lutheri [1]) in Phil. Melanchthonis Annotationes in Epistolam Pauli ad Romanos, qui liber anno 1522 inscio Melanchthone a Luthero editus est sub hac inscriptione:

Annotationes Philippi Melanchthonis in episto-

---

1) Nos textum reddidimus secundum Epistol. Luth. edit. ab Aurifabro T. II p. 87, coll. cum Epist. Luth. ed. a deWettio T. II p. 238. Germanice redditur haec praefatio in ed. Walch. XIV, 195. Isleb. I, 108. Altenb. II p. 205. Lips. XXII p. 85.

las Pauli ad Romanos et Corinthios. 1522. 4. (cf. Walchii Introd. in Opp. Luth. T. XIV, p. 19. v. d. Hardt Autogr. Luth. I. p. 137).

Iesus.

Gratiam et pacem in Christo. Irascere et noli peccare, loquere super cubile tuum et sile; ego sum, qui has tuas annotationes edo et te ipsum ad te mitto. Si tibi ipsi non places, recte facis, satis est, dum nobis placeas. Ex tua parte peccatum est, si quid hic peccatum est, cur non tu ipse edidisti? Cur toties me frustra rogare, mandare et urgere passus es, ut ederes? Haec pro apologia mea adversus te: volo enim tuus fur esse et dici, nihil veritus tuas vel querelas vel accusationes futuras. Ceterum illis, quos tu forte suspicaris nasum rugaturos, vel quibus tu metuis non esse satisfactum, sic dixero: Edite meliora. Ego quod impii Thomistae suo Thomae mendaciter arrogant, scilicet neminem scripsisse melius in sanctum Paulum, tibi vere tribuo: nam illis satan ille persuasit, sic de Thoma suo gloriari, quo impia eius dogmata et venena latius propagarent. Ego scio, quo spiritu et iudicio sic de te pronuntio. Quid ad te, si meum hoc iudicium suspenderint naso viri illi famosi et gigantes? meum est periculum. Quin amplius irritare volo nasutos istos, et dico, Hieronymi et Origenis commentarios esse meras nugas et ineptias, si tuis annotationibus comparentur. Quid, inquies, attinet adeo provocare etiam summa ingenia in mei invidiam?

Esto, sis humilis, sines tamen me in te superbire. Quis prohibuit summa ingenia, ne edant meliora et mei iudicii coarguant temeritatem? utinam essent, qui meliora possent et efficerent. Denique et tibi minor adhuc furaturum me et invulgaturum ea etiam, quae in Genesin et Evangelion Matthaei et Ioannis meditatus es, nisi tu ipse anteverteris. Sola Scriptura, inquis, legenda est citra commentaria. Recte de Hieronymo et Origene et Thoma

hisque similibus dicis. Commentaria enim scripserunt, in quibus sua potius, quam Paulina aut Christiana tradiderunt: tuas annotationes nemo commentarium appellet, sed indicem duntaxat legendae Scripturae et cognoscendi Christi, id quod nullus hactenus praestitit commentariorum, qui saltem exstet. Nam quod tu causeris, nec tibi ipsi per omnia satisfactum tuis annotationibus, labor est ante me, ut tibi credam, sed ecce credo, non satisfeceris tibi ipsi. Neque hoc quaeritur nec petitur abs te, quin volumus Paulo suam quoque gloriam salvam, ne quando iactet aliquis, Philippum esse Paulo superiorem vel aequalem, sufficit tibi proximum Paulo esse. Nulli invidemus, si propior fieri poterit, scimus te nihil esse, rursus scimus Christum omnia in omnibus esse, qui si per asinam suam loquatur, placebit, cur displiceat, si per hominem loquatur? Nonne homo es? Nonne Christi es? Nonne sensus eius in te est? Quod si tu ipse politiori oratione et copiosiore eruditione libellum hunc ornare et augere voles, gratum erit: interim etiam invito te gratum erit, nos potiri rebus et sensibus Pauli tuo ministerio productis. Veniam non peto, si te hoc facto offendo: sed tu desine offendi, quo nos potius offendis, et venia opus habebis. Dominus autem augeat et servet te in aeternum. Wittembergae, 29. Iulii anno MDXXII.

Tuus Martinus Lutherus *).

---

*) Walchius falsa opinione ductus in ed. Opp. Lutheri T. XIV, p. 19 et 199 Lutherum refert in Phil. Melanchthonis librum: „Pauli ad Colossenses epistola cum commentariis Philippi Melanchthonis. 1529. 8." praefationem latinam conscripsisse et Iustum Ionam hanc cum Melanchthonis commentariis in linguam germanicam transtulisse. Melanchthonis enim libro non illa, sed haec est inscriptio: „Philippi Melanchthonis Scholia in Epistolam ad Colossenses recognita. Wittenbergae 1528. 8. (Panzer IX, 87)," et Lutheri praefatio non est latine composita in hunc Phil. Melanchthonis librum latinum, ut in quo nusquam reperiatur, sed germanice in huius libri versio-

A. 1522.

3) Praefatio D. M. Lutheri in Jo. Wesseli et

---

nem germanicam a Iusto Iona adornatam, id quod ex ipso huius versionis titulo primo obtutu patet, quippe qui haec afferat: „Die Epi- | stel S. Pauli zun | Colossern durch Philip | pum Melanchton ym la- | tein zum andern mal | ausgelegt. | verdeudscht durch Justum | Jonam mit einer schö- nen vor | rhede Martini Luther an die deudschen | leser. | Gedruckt. | 1529, 4. (Tituli pagina figuris typographicis est ornata. In fine: Hat gedruckt Michael Lotter. 1529).

D. Irmischer V.V. istam Walchii opinionem secutus in editione Opp. germ. Lutheri Erlangensi (Tom. 63) hanc Lutheri praefationem omisit. Qua tamen cum Lutherus uberius disserat, quid discriminis intercedat inter suum dicendi ac scribendi genus et Melanchthonianum, gravissimi ea est facienda momenti neque omitti potest in edendis Lutheri operibus. Nos igitur editionem originalem versionis germanicae, quam modo nominavimus, sequentes hic praefationem illam omissam typis excudendam curavimus:

Vorrede Martin Luther.

Da habt ihr abermal ein feines nützliches Buch, mein lieben Freunde, nemlich St. Pauli Epistel zu den Colossern, mit Magistri Philippi Melanchtons Anweisung und Unterricht, darin gar fein, kurz und doch deutlich und reichlich gefasset ist, was ein christliche Lehre und Leben sey, dass wohl dies Büchlein ein gross Buch, und wiederum dies Buch ein klein Büchlein heissen mag, und ein jeder bei sich im Busem als seinen christlichen Schatz täglich zu üben tragen kann. Ich hab zwar selbst solche Magistri Philipps Bücher lieber, denn die meinen, sehe auch lieber dieselben beyde im Lateinischen und Deutschen auf dem Platz, denn die meinen.

Ich bin dazu geboren, dass ich mit den Rotten und Teufeln muss kriegen und zu Felde liegen, darum meine Bücher viel stürmisch und kriegerisch sind. Ich muss die Klötze und Stämme ausrotten, Dornen und Hecken weghauen, die Pfützen ausfüllen, und bin der grobe Waldrechter, der die Bahn brechen und zurichten muss. Aber M. Philipps fähret säuberlich und stille daher, bauet und pflanzet, säet und begeusst mit Lust, nach dem Gott ihm hat gegeben seine Gaben reichlich. O der seligen Zeit, so unser verdammte Undankbarkeit solchs uns erkennen

aliorum ad ipsum epistolas[1]). (cf. Walchii introd. in Opp. Luth. T. XIV p. 21.)

---

lässt. Welch ein Schatz sollt es aller Welt gewesen sein vor zwanzig Jahren, wo man ein solch Buch hätte mögen haben. Aber itzt ist es leider dahin kommen, dass die Jüden des Himmelbrods sind überdrüssig worden, wollen Zippeln und Knoblauch in Aegypten essen, ja, das noch ärger ist, Perlen müssen wir vor die Hunde, und Heiligthum vor die Säu werfen, die uns dafür zerreissen und beissen. Wohlan, kommts einmal wieder, dass uns das Wort genommen wird, so werden wir auch umsonst rufen im Jammer, wie unser Vorfahren gethan, und uns niemand erhören.

Doch wird dies Büchlein (ob Gott will) wohl kommen, da es Ehre und Lob, Liebe und Dank finden wird. Denn ein gut Wort findt eine gute Stätt, und Gottes Wort fähret nicht umsonst aus, kommt auch nicht leer wieder, wie wir dess in der Schrift Verheissung und Trost haben. Denselbigen stillen frommen Herzen soll dies Büchlein befohlen sein, die sollen ihr Paradies drinn haben, und ihren lieben Herrn Christum drinnen angezeigt und vorgestellt finden als den rechten Baum des Lebens, an welchem sie ohne allen Verdruss sich nicht satt essen können, sondern je länger je lieber soll es heissen, je mehr je lüstiger zu essen, dass sie der Aegyptischen Zippeln und Knoblauch nicht gedenken, auch mit den Amoritern und Cananitern nicht kriegen, noch sich schlagen müssen, sondern ihr Land und Gut mit Frieden und Ruhe besitzen und gebrauchen Gott zu Lob und Ehren in Christo Jesu, unserm Herrn und Heilande, welchem sei Dank gesagt in Ewigkeit für alle seine reiche grundlose Güte an uns erzeigt, Amen.

(Germanice redditur haec praefatio Lutheri etiam in ed. Opp. Luth. Isleb. I, 481, Altenburg. IV, 702, Lips. XII, 86, Walch. XIV, 199).

---

1) In lucem prodierunt hae epistolae a. 1522, forma 4, sub hac inscriptione: Wesseli Epistola Adversus M. Engelbertum Leydensem. Epistola M. Iacobi Hoeck Decani Naldicen. ad M. Wesselum. Epistola apologetica M. Wesseli adversus Epistolam M. Iacobi Hoeck. (cf. Schütze Ungedr. Briefe Luthers T. III p. 297.) Io. Aurifaber in Epist. Luth. T. II p. 89 hanc Praefationem reddit sub hac inscriptione: Praefatio D. M. Lutheri in Farraginem rerum Theologicarum Vuesseli Groningensis viri doctissimi Anno M.D.XXII. (cf. Walchii introd. in Opp.

Christiano Lectori Salutem.

Helias Thesbites propheta olim (cum sermo Domini esset pretiosus nec abundaret visio, otiosis universis pene prophetis ab impiissima Iesabele) arbitrabatur sese relictum esse solum. Ob id vitae pertaesus optabat animam suam tolli, quod unus impar sibi videretur ferendo oneri intolerabili impiissimi populi et principum eius, nescius adhuc septem millia Domino relicta et Abdiam cum centum prophetis latitantibus servatum. Quae parabola, si parvis liceat componere magna, huius mei seculi esse videtur. Ego enim nescio qua Dei providentia in publicum raptus cum monstris istis indulgentiarum et pontificiarum legum et falso nominatae theologiae sic pugnavi, ut me solum esse putarem. Etsi satis mihi semper fuerit animi, ita ut passim mordacior et immodestior accuser, prae nimia qua ardebam fiducia, semper tamen id optavi, quo tollerer et ego de medio meorum Baalitarum, et civiliter mortuus in angulo mihi viverem, prorsus desperans me posse quicquam promovere apud aëneas istas frontes et cervices ferreas impietatis. Sed ecce et mihi dicitur, esse domino reliquias suas salvas, etiam in hoc tempore, et prophetas in abscondito servatos, nec hoc solum dicitur, sed et cum gaudio ostenditur. Prodiit enim Vuesselus (quem Basilium dicunt) Phrisius Groningensis, vir admirabilis ingenii, rari et magni spiritus, quem et ipsum apparet esse vere theodidactum, quales prophetavit fore Christianos Esaias, neque enim ex hominibus accepisse judicari potest, sicut nec ego. Hic si mihi antea fuisset lectus, poterat hostibus meis videri Lutherus omnia ex Vuesselo hausisse, adeo spiritus utriusque conspirat in unum.. Mihi vero et gaudium et robur augescit, iamque nihil

---

Luth. T. XIV p. 22). Nos textum repetivimus ex hoc Aurifabri libro, germanice redditur haec praefatio in Walchii ed. Opp. Luth. T. XIV p. 219. Isleb. I p. 109. Altenb. II, 206. Lips. XXII. Append. p. 79.

dubito me recta docuisse, quando tam constanti sensu, peneque eisdem verbis, tamen diverso tempore, alienis coelo et terra, alioque casu, sic ille mihi per omnia consentit. Miror autem, quae infelicitas obstiterit, quominus in publico Christianissimus hic autor versetur, nisi in caussa fuerit, quod sine bello et sanguine vixerit, qua una re mihi dissimilis est. Aut metus Iudaeorum nostrorum eum oppresserit, qui suis impiis inquisitionibus in hoc nati videntur, ut optimos quosque libros faciant haereticos, qui suos Aristoteles et plus quam haereticos nobis statuant Christianos, quorum finis Deo vindice iam desinit in confusionem. Legat itaque pius lector, legatque cum iudicio, quo maxime hic praestat, quod et egregie format, et quos in me offendit nimia asperitas, in aliis nimia dictionis elegantia, hic non habent quod querantur. Stilus est trivialis, ac pro seculo suo res ipsa tractatur modeste et fideliter. Et si in stercoribus Ennii legit aurum Vergilius, poterit et ex Vuesselo nostro legere, quod opibus eloquentiae suae addet theologus. Dominus Iesus addat ad hunc multos alios Basilios. Vale, Christiane frater, Vittembergae 3. Calend. Augusti.

(Aurifaber huic praefationi haec adiunxit:

Discessit Vuesselus anno 1489 etc. die S. Francisci, sepultus Groningae in monasterio, quod dicunt Spiritualium Virginum.

Vaticinium M. Vuesseli.

Magister Ioannes Ostendorpius Canonicus templi divi Lebuini Davatriensis, vir multo studio longaque experientia doctissimus, adolescens admodum Vueselum Phrisium (qui lux mundi vulgo dicebatur) senem adiit et inter cetera ab eo audivit quasi iam quod futurum erat praevidente: Studiose adolescens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum et contentiosorum istorum theologorum, Thomae, Bonaventurae et aliorum eiusdem farinae, ab omnibus vere Christianis theologis explodetur. Id a iam canescente Ostendorpio in templo divi

Lebuini audivit anno MDXX decimo Calend. Martias Noviomagus).

A. 1523.

4) Praefatio[1]) D. M. Lutheri in Meditationes Psalmi 51 Fratris Hieronymi Savanarolae[2]) a Papa exusti, qui liber anno 1523 in lucem prodiit sub hac inscriptione:

Hieronymi Savanarolae, a papa exusti, meditatio pia et erudita super psalmos: miserere mei: in te Domine speravi. Wittenb. 1523, 4. (cf. Walchii introd. in Opp. Luth. T. XIV p. 22.)

Iesus.

Gratia et pax in Christo. Meditationes sanctas huius sancti viri Hieronymi Savanarolae tibi, lector optime, exhibemus, quo et hoc exemplo videas, quales viros perdere soleat perditionis illa sedes abominabilis, vipera enim quaedam ex eorum numero, qui titulo Francisci inflantur et turgent, hunc virum perdidisse dicitur, nulla culpa, nisi quod Lernae Romanae optabat purgatorem. Et ausus quidem tum fuit antichristus ille sperare memoriam tanti viri exstinctum iri, etiam sub maledictione, sed ecce vivit, et memoria eius in benedictione est. Canonisat eum (quod aiunt) Christus per nos, rumpantur etiam Papae et Papistae simul. Deinde et hoc observabis in istis lucubrationibus, quam nulla sit gloria operum in conspectu Dei, et quam necessaria sola et solida fides misericordiae Dei sine omnibus operibus (quibus fidi possit) in iudicio et morte, quando hic et ipsam fidem cernis luctari et aegre superare per verbum Dei, tantum abest, ut opera

---

1) Nos textum repetivimus ex Tomo altero, p. 125, Epistolarum D. Mart. Lutheri ed. ab Ioanne Aurifabro; germanice redditur haec praefatio in ed. Walch. Opp. Luth. Tom. XIV, p. 223. — 2) Aurif.: Savanorolae.

quicquam hic posse confidas. Et quamvis aliquando humanae theologiae lutum adhuc in pedibus eius haereat, in qua multum videtur temporis perdidisse (quis enim per id tempus ab istis sordibus satis purus esse potuisset?), tamen credendi, fidendi, sperandi in Dei misericordiam, diffidendi vero et desperandi de nobis et nostris viribus, hoc est Evangelicae doctrinae et Christianae pietatis, purum et pulchrum exemplum tibi monstrat. Non enim per vota sua substantialia, non per statuta, cucullam, missas et opera sui ordinis eum incedere vides, sed in praeparatione Evangelii pacis, indutum lorica iustitiae et armatum scuto fidei et galea salutis stare, non de ordine praedicatorum, sed de communi ordine Christianorum. Vale et imitare, Anno M.D.XXIII.

A. 1523.

5) Praefatio[1]) D. M. Lutheri in Francisci Lamberti Avenionensis commentarios vere evangelicos in regulam Minoritarum, qui libellus s. l. et a. (Wittenb. 1523) sub hac inscriptione in lucem prodiit:

Christianissimi Doc. Martini Lutheri, et Annemundi Cocti Equitis Galli, pro sequentibus commentariis Epistolae: Evangelici in Minoritarum Regulam Commentarii, Quibus palam fit, quid tam de illa, quam de aliis Monachorum Regulis et constitutionibus sentiendum sit. In Epistola, quae a libri capite est, multarum sectarum perditionis Catalogum invenies. Francisco Lamberto Gallo Theologo authore. (cf. Schütze, Luthers

---

1) Nos textum repetivimus ex Io. Aurifabri ed. Epp. Lutheri T. II p. 128b, coll. deWettii (Seidemanni) ed. Epp. Luth. T. VI, p. 41, germanice redditur haec praefatio in Walchii ed. Opp. Luth. T. XIV, p. 228, et in ed. Lips. Opp. Luth. XXII, p. 81. Append. —

Ungedr. Briefe. III p. 154, de Wette (Seidemann), Luthers Briefe VI, p. 41, et Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 23).

Martinus Luther Pio Lectori[1]).

Gratiam et pacem. Vide, quaeso, lector carissime, quam verum nimis factum sit, quod Christus ait: Filius hominis, cum venerit, putas, fidem inveniet in terra? En tot hic sectarum genera (ut species et individua taceam), quarum quaelibet proprio furore singularem salutis viam ultra et praeter Christum invenit. Quid reliquum, quaeso, vel Christi vel fidei in terra relinquerent? Plane iocum dixeris, diluvium sub Noe fuisse, si has cataractas, nubes et tempestates hypocritarum spectes. Inter has tamen perditiones primum locum multiceps illa et multipes ac multicolor pestis Minoritica secta[2]) merito obtinet, in qua non Francisci exemplar nobis (ut iactant) referunt, sed mendaciis et fucis maiorem orbis partem secum perdunt, ut, quando Evangelion contra totum istarum larvarum cahos impetum facere coepit, merito in hos primum et maximum facere debeat. Id oneris subiit Franciscus Lambertus, ut qui probe eos intus et in cute noscens mysteria pulchre possit prodere, quae magna sui pernicie et didicit apud eos, et nunc miserante Christo, ceu extremum auriculae ex ore lupi, ereptus est ab istorum perditione. Lege igitur felix ac vide, Christum non solum in Luthero, sed et in multis aliis suis vasis irasci et ulcisci sese de purgurata illa et ebria meretrice, fornicationum matre, simulque nobiscum ora, ut, quod coepit in nobis, perficiat. Amen. Wittembergae M.D.XXIII.

---

1) Haec inscriptio deest apud Aurifabrum, repetita ex deWettii (Seidemanni) editione. 2) deWette (Seidemann): pestis Minoriticae sectae.

A. 1523.

6) Praefatio[1]) D. M. Lutheri in Apologiam Apelli ad episcopum Herbipolensem pro suo coniugio, qui libellus anno 1523 a Luthero Wittembergae editus est sub hac inscriptione:

Defensio Io. Apelli ad episcopum Herbipolensem pro suo coniugio. Wittembergae 1523. 4. (cf. Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 23).

Ioanni Croto.
Iesus.

Gratia et pax. Remitto ad te, optime Crote, defensionem Apelli nostri excusam. Scilicet id merebatur tam pia, libera et erudita apologia, ut Christum in luce quoque et publico praedicaret, frustra frendentibus et tabescentibus impiis. Dominatur enim Christus noster non in coelo duntaxat, nec tantum ab inimicis procul, sed in medio inimicorum suorum, neque alia virtute quam virgae suae emissae ex Sion, id quod et in Apello et socio fratre suo declarat satis hoc die. Tu miraris et indignaris, episcopos sic saevire. At nisi sic agerent, tales episcopi non essent, et nisi tales episcopi essent, sic non agerent. Exusti sunt iam duo fratres Bruxellae, tertius simul (ut vocant) degradatus nescitur in Assyrios aut Babylonios per sophistas translatus sit[2]). Multi in carceribus servantur simili victimae devoti. Et incredibili insania saeviunt in Christum ministri Pontificum, alii scribunt maledicta et blasphemias, scilicet illa est obedientia Caesarei edicti de referenda causa no

1) Nos textum repetivimus ex Epp. Luth. ed. ab Io. Aurifabro T. II p. 141, coll. cum Epist. Luth. ed. a de Wettio T. II p. 359; germanice redditur a Walchio in Opp. Luth. T. XIV p. 225. 2) deWette: nescitur, in quas Assyrias aut Babylonias per sophistas translatus sit.

stra ad concilium futurum. Nos adhuc quietius agimus, sed si sic perrexerint, nos quoque tandem valefaciemus edicto Caesaris, non quidem exusturi (sicut illi) aut vincturi, aut vi quippiam acturi (hoc enim non est Christianorum), sed verbis et scripturis gloriam verbi defensuri et Papistarum portenta latius castigaturi.

Quod vero hortaris, ut et nostros castigem clamatores, quod magno videlicet sint scandalo suis incompositis tum verbis tum moribus, certe conscientia illis sua testis est, ex me non habere sese, id quod te offendit. At, mi Crote, quis scit, si altissimo consilio tam importunos evangelistas Christus velit sic desipere, non quidem propter nos, quibus nihil possunt nocere, sed propter hostes verbi, episcopos et sophistas? ut qui hactenus toties omni humilitate et modestia petiti rationem reddere volentes nunquam admittere voluerunt, sed occlusis auribus et oculis, ceu furiosi et amentes, ad solum strepitum Evangelii omnia damnarunt et persequuti sunt, digni non sint modestum videre aut audire evangelistam. Tyrannum Apelli cum suis lenunculis vide, an non dignissimi sunt te ipso iudice, ut, qui tam piam et solidam defensionem contemserunt et Christum sapienter loquentem crucifixerunt, non modo sua mendacia et perditiones libenter audiant, sed et Evangelion salutis non alia ratione praedicari videant, quam qua bis, qua ter, qua septies, qua sine fine in illo scandalisentur et pereant? Et qui per sapientem Christum molliri noluerunt, per stultum Christum indurentur, in finem usque. O incomprehensibilia iudicia eius.

Itaque, mi Crote, feramus nostrorum scandala, et orationibus apud dominum iis rebus medeamur. Mihi sane non omnino displicet, aliquot nostrum sic labi (quantum ad ipsam rem pertinet), nam hac infirmitate nostra fiet, ut adversarii spem concipiant triumphi et animentur ad blasphemandum. Haec illorum spes nostra erit salus et illorum ruina, sicut scriptum est: Deiecisti eos, dum allevarentur. Modicum qui venturus est veniet et non

tardabit, in quo bene vale. Gratia tecum, Amen. Witembergae, M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

A. 1524.

7) D. M. Lutheri praefatio[1]) in Bugenhagii interpretationem in librum psalmorum, quae sub hoc titulo prodiit: Io. Pomerani Bugenhagii in librum psalmorum interpretatio, Wittebergae publice lecta. Wittebergae 1524. (cf. Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 16.)

M. Luther, pio lectori gratia et pax *).

Benedictus Deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui nos hoc seculo rursum benedixit omni benedictione spirituali coelestium rerum et abundantia frumenti et vini electorum suorum nos satiat, missoque verbo suo liquefacit crystallum, pruinam et nebulam, ante quorum frigus hactenus nemo potuit subsistere. Ex eorum numero est et hic Ioan-

---

1) Nos textum repetivimus ex editione Argentoratensi collata cum textu, qui invenitur in Tomo II. Epistolarum ed. ab Io. Aurifabro p. 241 sub hac inscriptione: Epistola D. Mart. Lutheri praefixa Commentario D. Ioannis Pomerani in Psalterium; germanice haec praefatio legitur apud Walchium, T. XIV Opp. L. p. 177, in ed. Lips. Opp. Luth. XII, 78. Alia enim huius interpretationis editio Basileae in lucem prodiit sub hac inscriptione: Ioannis Pomerani Bugenhagii in librum psalmorum interpretatio, Wittenbergae publice lecta. Basileae, Anno M.D.XXIV. Mense Martio. 4. In fine: Basileae apud Adamum Petri mense Martio anni M.D.XXIV, alia editio excusa est Argentorati sub hoc titulo: Ioannis Po- | merani Bu- | genhagii, in librum psal- | morum interpretatio | Wittembergae pu- | blice le- | cta. | 4. In tituli pagina signis typographicis ornata nec locus nec annus indicatur. In fine legitur: Argentorati excudebat Iohannes Knoblochus. Anno M.D.XXIV. Mense Augusto. *) Apud Aurif.: Gratia et pax pio lectori.

nes Pomeranus, episcopus ecclesiae Wittenbergensis voluntate dei et patris nostri, per cuius ministerium tibi, carissime lector, donatur hoc Psalterium spiritu Christi, qui est clavis David, resignatum. Quod ut multis verbis ornem, non est operae pretium, quod abunde satis tibi (scio) commendatum erit, non meo testimonio, sed suo ipsius argumento, quo te coget (si legeris) testificari, spiritum esse, qui loquitur mysteria haec, a tot seculis abscondita. Nam ut conferri possit tam priscorum, quam recentiorum commentariis, etsi odiosum est statuere, audeo tamen dicere, a nemine (cuius exstent libri) esse Psalterium David explicatum, esseque hunc Pomeranum primum in orbe, qui Psalterii interpres dici mereatur. Adeo ceteri fere omnes tantum opinionem quisque suam eamque incertam in hunc pulcherrimum librum congessit, hic vero iudicium spiritus certum te docebit mirabilia. Porro et ego aliquando in hoc libro coepi operam impendere, sed Papistarum tyrannis suspendere me coëgit organum meum in salicibus Babyloniae*) istius. Verum Christus meam sortem vindicavit gloriose, nam loco mei unius, cuius stillas noluit ferre satan, cogitur plurium et maiorum sustinere tonitrua et cataractas. Ita me oportet minui, illos vero crescere. Quare non est, optime lector, ut meum exspectes Psalterion amplius, sed mecum gaude, gratulare, et gratias age Christo salvatori nostro, qui pro uno Luthero paupere et tenui iam ipsiusmet David, Isaiae, Pauli, Iohannis, atque adeo sui ipsius tibi spem, imo rem et copiam fecit clare et palam videndi, audiendi et palpandi, non unius tantum calamo aut lingua, sed exercitu multo, ut Psalm. 67 ait. Gratia tecum. Amen.

---

*) Apud Aurif.: Babylonis.

A. 1526.

8) Praefatio[1]) D. M. Lutheri in Commentarium suum in Ionam Prophetam a Vincentio Obsopoeo, magistro Onoldino, latinitate donatum, qui liber a. 1526 in lucem prodiit sub hac inscriptione:

Commentarius Martini Lutheri in Ionam Prophetam, iam nouissime post aliorum tralationes latinus factus a Vincentio Obsopoeo. Praefixa est et noua a Luthero praefatio, qua perstringuntur ii, qui passim sua ita uertunt, ut prorsus euertant et deprauent. Haganoae, Iohan. Secer. Anno XXVI. (cf. deWette (Seidemann), D. M. Luthers Briefe, VI p. 77).

Martinus Luther Vincentio Obsopoeo Suo in Domino.

Gratiam et pacem in Domino. Quod inter cetera mea etiam Ionam prophetam, per me vernaculo commentario tractatum, latinitate donasti, Vincenti carissime, pergratum est mihi, tantum abest, ut moleste feram, quod tu aliquoties suspicatus es. Illi sane molesti sunt, qui non modo quae contempta sunt, sed etiam aliorum optima quaeque sic vertunt, ut penitus subvertant, cum sint et linguarum imperiti et mire indiligentes, ut taceam, quantum errent non raro in sensu, adeo ut negativum reddant, quod est affirmative et e diverso dictum. Tibi autem donatum video cum aliis paucis donum hoc non parvum, ut pure, proprie et diligenter vertas latine mea vernacula. Itaque gaudeo, Ionam meum per te latine loqui, non quod titillet me gloria invulgati operis in aliena lingua, quam frustra sperarem hoc seculo sic Lutherum illum miserum contemnente per omnes et ubique, ut vere cantare vel plorare potius ausim cum Christo: Ego vermis

1) Nos textum huius praefationis reddidimus secundum C. Seidemanni editionem. (deWette (Seidemann), Luthers Briefe VI, p. 77).

et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis; sed quod bona conscientia laetor, nihil mali, nihil haeretici, nihil seditiosi in Iona meo, sed pia, sana et salutaria lecturos esse pios et bonos lectores, dum interim inquieti illi et curiosi spiritus blasphemiis audacibus conturbant orbem et in sua monstra trahunt etiam pios et quietos animos. Scilicet satanae ista nequitia est, ut impiis dogmatibus, si perdere non potest omnes, occupet tamen et vexet omnes, ne puri et liberi solis et puris doctrinis Christi studeant. Quo nomine et tibi iam secundo gratulor, qui in tantis turbis prophetarum furientium non cedis, neque mea impotentia scandalizaris, simpliciter autem eligis sincera et solida, in quibus nobis, uno Christo, cooperaris ad propagandam notitiam sanctorum, hoc est, fidem, quae est in ipsum. Macte frater, perge ut coepisti, et dominus te augebit et servabit. Placet autem, ut Ioanni Secerio Haganoae libellum cudendum tradas, quod multo maioribus officiis vir iste dignus sit et in primis fidus et diligens typographus. Nam quod a quibusdam infamatur, quasi is Secerius sit, quem in praefatione postillari quadam accusavi furti, puto fieri aut ignorantia seu fallacia aequivoci nominis, aut malitia hominum, qui hoc praetextu cupiunt homini immerito incommodare, sicut solet ubique satan nihil facere, nisi nocere. Nam in eadem praefatione satis clare testor, Vuitembergae fuisse in nostra typographia illum Secerium, quem vocant Locatorem, qui me inscio exemplar imperfectum sustulit. Itaque hoc meo testimonio hunc meum Secerium, Ionae mei latini excusorem, excusatum facio apud omnes bonos, ne gravetur fortuna seu infortunio potius similis nominis. Hoc volui adiectum epistolae huic, officii causa. Tu vero, Vincenti, in Christo bene vale. Vuittembergae vicesima quinta Aprilis Anno M.D.XXVI.

A. 1528.

9) Praefatio[1]) D. Mart. Lutheri in Commentarium autoris incogniti in Apocalypsin, qui impressus est Wittembergae a. 1528, et sub hac inscriptione evulgatus est:
Commentarius in Apocalypsin ante Centum annos aeditus. Wittembergae M.D.XXVIII. 8. (cf. Schütze D. M. Luthers bisher ungedruckte Briefe. Leipz. 1781 T. III p. 359, et Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 20.)

Martinus Luther lectori pio.

Gratiam et pacem in Christo. Primum te oro, quisquis es lector huius commentarii, ne quid fictum a nobis editum credas. Ego (si qua fides mea est) testor, hunc codicem esse per optimos viros ab extremis finibus Germaniae, nempe e Sarmaticis Livonicisque regionibus, ad me missum, literis et syllabis seculum suum proprie testantibus deformatum, ut ipse negare non potuerim, esse eum annos circiter septuaginta ante hos annos descriptum. Ex ipso vero codice satis intelligi potest, auctorem eius commentarii fuisse eo tempore, quo monstrum illud maximum stetit schismatis (quod vocant) novissimi, quod tandem Constantiensi conciliabulo per sanguinem Iohannis Huss et Hieronymi Pragensis velut sacrificio quodam placatum et finitum est. Sic enim historiae testantur, eo schismate quadraginta continuis annis trinum fuisse papatum in uno eo-

1) Nos textum reddidimus secundum Supplementum epistolarum D. M. Luth. ed. Buddeus. p. 313; germanice legitur haec praefatio in Walchii ed. Opp. Luth. T. XIV, p. 201 et in ed. Lips. T. XII p. 87. Commentarium autem a Iohanne Purvey, Wiclefi discipulo et Capellano Lutterworthensi, anno 1390 in carcere compositum esse, Balaeus refert in libro: Scriptores maioris Brit. cent. VII. 50. ed. Basileae 1557 fol. 343. cf. Cosack: Spaul Speratus p. 90 sqq. et: Unschuldige Nachrichten. 1713, p. 248.

demque corpore ecclesiae (scilicet derivativae), quo velut certissimo discordiae prodigio finem antichristi propediem futurum Deus absque dubio significare voluit. Quod cum nemo tunc intelligeret, placuit Deo iuxta signum tam insigne et memorabile etiam verbum manifestarium adiicere, scilicet huius autorem et similes sui multos egregia sanctimonia et eruditione viros, sicuti solet ecclesiam et populum suum non relinquere neque repellere, quin aliquot Elias et Eliseos aut alios prophetas ad eos mittat, quanquam ne sic quidem intelligant aut animadvertant impii (quae est Pharaonis illa caecitas), quid minetur aut promittat Deus, quod et Constantiensis concilli satis declaravit et factum et eventus.

Hanc praefationem ideo factam a nobis intelligas, optime lector, ut orbi notum faceremus, nos non esse primos, qui papatum pro antichristi regno interpretentur: cum hoc idem ante nos tot annis tot et tanti viri (quorum magnus est numerus eorumque et aeterna memoria) sint tam clare aperteque conati idque ingenti spiritu et virtute, ut qui furore papisticae tyrannidis etiam in extremos mundi fines propulsi et atrocissima tormenta perpessi nihilominus fortiter et fideliter perstiterunt in confessione veritatis, ut, quanquam nos simus hoc seculo illis longe eruditiores et liberiores, pudendum tamen sit, quod in tanta barbarie et captivitate detenti nobis tanto spiritu et fortitudine fuerint fortiores et audaciores. Nam ut hic autor pro suo seculo fuerit (sicuti arbitror) inter primos, qui eruditionem et sanctimoniam ardentissime quaesierint, tamen vitio temporis et regno caliginis impeditus ea neque sic pure loqui, neque sic plene sentire potuit, quam hoc seculo nostro loquimur et sentimus, papam tamen (sicuti est) antichristum et recte et vere pronunciat, idque indubitata fide atque conscientia argumentisque fidelissimis, testis scilicet a Deo praeordinatus tot annis ante nos pro nostra doctrina confirmanda, quam nunc faeces illae miserae (velut extremus halitus antichristi) exstinctam volunt magno et multo, sed irrito et vano consilio. Nam re-

surgunt et nobis ista corpora sanctorum cum resurgente Christi Evangelio et magnam fiduciam nobis faciunt, nihil esse promoturos episcopulos istos novissimos Christi adversarios (etiamsi Herodibus et Pilatis suis fidant desperatissimi) suis magnificis et terribilibus minis, quibus suae diffidentiae et pessimae conscientiae satis perdite et extremo et frustraneo pharmaco mederi coeperunt. Christus, qui per verbum suum percussit corpus istud abominationis, deinde per gladium Caesaris caput vulneravit, non desinet neque cessabit, donec et moribunda membra inaniterque tumentia prorsus conterat atque disperdat. Tantum oremus, ut qui coepit perficiat opus suum in gloriam suam et salutem nostram, Amen. Dicat Amen, quisquis Christum amat, Amen.

(A Buddeo hic haec addita est nota: Hic Commentarius in Apocalypsin editus est a. 1357. Nam in annotationibus capitis vigesimi sic scribit: Quia sumus in anno ab incarnatione Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo).

A. 1528.

10) Praefatio[1]) D. M. Lutheri in Postillas, quae Argentorati sub hoc titulo editae sunt: Enarrationes, quas Postillas vocant, in Lectiones illas, quae ex Evangelicis historiis, Apostolorum scriptis, atque nonnunquam ex aliis quoque S. Scripturae locis desumptae per universum annum tam in diebus Dominicis, quam festis memoriae Divorum sacris ad Missam recitari solitae sunt, per Martinum Lutherum. Argentorati apud Iohannem Hervagium. An. M.D.XXVIII. mense Ianuario. in fol. 10 Alphab.

---

1) Nos textum typis recudendum curavimus secundum editionem Argentoratensem. Redditur haec praefatio etiam in libro: Fortgesetzte Sammlung von alten und neuen

Ante hos annos paraveram mihi Homilias seu Enarrationes in Evangelia et Epistolas, quas pro usu ministerii mei haberem ad erudiendum rude vulgus meum Vuittenbergense. Neque enim eruditis opus est eo dicendi aut docendi genere, quo usus sum, hoc est vernaculo, verboso et triviali, quemadmodum oportet vulgo velut infantibus praemansum praebere. Is liber mox raptus est et per Germaniam late disseminatus ab iis, qui simili necessitate et penuria, qua et ego, laborarent, ut pro suo quoque vulgo quisque haberet, quod quam rudissime et crassissime diceret, donec et in Latinam linguam versus inciperet etiam apud alienarum linguarum homines legi et amari. Hoc enim ausim in domino gloriari (in hoc etiam omnem operam impendi) eo libro contineri, quicquid opus est sciri in Christiana ecclesia pro salute aeterna acquirenda, idque clare et copiose, seu potius ipsam Scripturam eo libro monstrari et ostendi, quatenus Christiano necessaria est ad salutem, non quod hoc ipsum non multi alii et olim praestiterunt, et nunc etiam praestent, alii multis, alii paucis, alii uno libello, sed quod hunc librum mihi pro meo (ut dicitur) palato paraverim, iuxta quod unusquisque suum donum habet teste Paulo pro diversitate et varietate gratiae Dei.

Ne autem mihi contingat, quod multis etiam clarissimis autoribus contigit, ut scioli in libro alieno fiant ingeniosi et de suo addant, quod meo deesse somniant (si tamen pestis illa augendi alienos libres ulla ratione praeveniri et arceri possit), visum est lectores hac praefatione monere, ut si quis amore captus haec nostra quoque legat latine versa, comparet sibi vel imitetur exemplar ab Iohanne Hervagio, Argentinensi typographo, excusum, inter quem et me convenit, ut bona fide opus hoc excudat absque ullis additamentis alienae sapien-

---

theologischen Sachen auf das Jahr 1730. Leipzig, p. 185 sqq.

tiae: non quod ignorem aut defendere velim, aliquot Scripturae dicta improprie per me allegata, ad rem forte non efficaciter facientia, sed quod malo per ecclesiam Dei traduci verborum indoctus aut indiligens et cum Paulo imperitus sermone, quam pati libidinem illam mutandi aut augendi alienos libros. Ignorantiam meam facile feret et ignoscet mihi ecclesia Dei, regina illa misericordiae, et cuius viscera sunt merae miserationes et remissiones peccatorum. Sed libido augendi libros alienos res est pessimi exempli, quo fit, ut tandem pessimus quisque etiam optimi autoris labores impetat et depravet, veniatque pretiosum amaricinum inter sues. Satis bona est conscientia, si nihil impie docuerim. Improprie dixerunt etiam summi et piissimi Patres in ecclesia, idque non raro atque in ipsis summis articulis fidei, frustra contenditur de dictis aut vocibus, ubi ipsa doctrina constat sana et sincera. Contentiosi autem verborum pensitatores, quorum tota religio aut suspicio potius est, quibus voculis loquantur, interim de re ipsa parum solliciti, imo non nisi impia docentes, ii semper inveniunt in alienis libris quod calumnientur, colantes culicem et glutientes camelum, festucam impropriae voculae in aliis criminantur, interim trabes impiarum sententiarum in suis etiam adorant velut divinitatem perfectam, ii valeant et suis delectentur soli, quantum volent, nostra fastidiant sane, sed ne contrectent etiam. Haec volui pium lectorem monere, ne meo silentio periclitetur eius studium. Gratia Dei sit cum omnibus nobis.

A. 1530.

11) Praefatio *) D. M. Lutheri in Ioh. Bren-

*) Nos textum reddidimus secundum Buddei Supplementum Epistolarum M. Lutheri p. 192, collatum cum ed. Epp. Luth. deWettiana, T. IV p. 148; germanice redditur haec praefatio in ed. Opp. Luth. Walchiana, T. XIV, p. 189,

tii expositionem in prophetam Amos, quae anno 1530 Wittembergae excusa est sub hac inscriptione:

In prophetam Amos Ioh. Brentii expositio. Witteb. 1530, 8. (cf. Walchii introd. in Opp. Luth. T. XIV p. 18.)

Venerabili in Christo viro, D. Iohanni Brentio, discipulo et confessori Christi, ecclesiae Halensis presbytero fidelissimo [1]).

Gratiam et pacem in Christo Iesu Domino nostro. Redit ad te, optime Brenti, Amos tuus, quem ad me iam dudum miseras. Non est mea culpa, quod tardius editus est, sed voluntas eius, cui donasti. Qua ratione is motus sit, incertum est. Quod vero tu pro humilitate spiritus tui totum hunc commentarium meo iudicio subiicis, ut mutem, addam, detraham, quae videntur mihi, absit a me, ut in hoc te audiam. Cum enim inter profanos odiosum sit, in alieno libro ingeniosum esse, multo magis inter Christianos intolerabile est, sibi magisterium super eiusdem spiritus discipulos arrogare. Satis est probare spiritus, an ex Deo sint, ubi probati fuerint, tum mox venerari et osculari ac posito magisterii supercilio discipulum potius fieri. Neque enim potest fieri, quin, ubi Spiritus sanctus loquitur, talia loquatur, quae omnem hominem venientem in hunc mundum sibi subiiciant et discipulum faciant, siquidem sapientiae eius non est numerus.

Ego vero praeter hoc generale encomium Spiritus de tuis scriptis sic sentio, ut mihi vehementer sordeant mea, ubi tuis tuique similium scriptis comparantur. Non adulor, neque fingo, sed neque ludo neque fallor. Non Brentium, sed Spiritum praedico, qui in te suavior, placidior et quietior est. Deinde sermo dicendi artibus instructus purius, lu-

---

Isleb. II, p. 17., Altenb. V, p. 275, Lips. XII, p. 83.

1) Haec desunt in Supplemento Epistolarum Lutheri ed. a Buddeo, reddita sunt secundum deWettium.

culentius, nitidius fluit, itaque magis afficit et delectat. Meus vero, praeterquam quod artibus dicendi imperitus et incultus, nihil nisi silvam et chaos verborum evomit, tum etiam eo fato agitur, ut turbulentus et impetuosus velut luctator cum monstris infinitis semper congredi cogatur. Itaque si licet parvis componere magna, mihi de quadruplici spiritu Eliae 4. Reg. 19 ventus motus et ignis, qui montes subvertit et poenas convertit [1]), tibi autem et tui similibus sibilus ille blandus aurae tenuis, qui refrigeret [2]), contigit: ita fit, ut etiam mihi ipsi, nedum aliis gratiora sint scripta et verba vestra. Solor tamen me ipsum, quod existimem, imo sciam, Patrem illum familias coelestem pro magnitudine suae domus etiam opus habere uno et altero servo duro contra duros et aspero contra asperos, veluti malo cuneo in malos nodos. Et tonanti Deo opus est non tantum pluvia irrigante, sed etiam tonitru concutiente et fulgure auras purgante, quo felicius et copiosius terra fructificet.

Verum hoc donum Dei prae ceteris in te singulariter amo et veneror, quod iustitiam fidei tam fideliter et sincere urges in omnibus scriptis tuis. Hic locus enim caput et angularis lapis est, qui solus ecclesiam Dei gignit, nutrit, aedificat, servat, defendit, ac sine eo ecclesia Dei non potest una hora subsistere, sicut nosti et sentis. Atque adeo sic instas, neque enim quisquam recte docere potest in ecclesia, nec ulli adversario feliciter resistere, qui hunc locum, seu, uti Paulus appellat, hanc sanam doctrinam non tenuerit, vel, ut idem dicit Paulus, tenax eius fuerit. Quocirca saepius et pene cum indignatione admiror, quomodo D. Hieronymus nomen doctoris ecclesiae et Origenes magistri ecclesiarum post apostolos meruerint, dum in utroque autore non facile tres versus invenias de fidei iustitia docentes neque Christianum ullum

---

1) deWette: petras conterit. 2) Idem reddit: refrigerat.

facere queas ex universis utriusque scriptis. Sic vagantur allegoriis rerum gestarum aut capiuntur pompis operum. Neque alius fuisset S. Augustinus, nisi Pelagiani eum tandem exercuissent et ad fidei iustitiam tuendam impulissent. Qua lucta et exercitio evasit vere doctor ecclesiae ac pene solus post apostolos et primos Patres ecclesiae, non quod illustribus Patribus detrahere velim et oculos cornicum configere, ut Hieronymus ipse vocat, sed quod putem admonitos omnes 1) oportere, ut Patrum scripta cum iudicio eoque diligentissimo et acutissimo legamus, secuti illam regulam Spiritus sancti: Omnia probate, et iterum: Probate spiritus, ut simus animalia munda, ungulis fissis incedentia. Quod qui non faciunt videmus quantis incertae doctrinae ventis circumferantur et opinionibus in infinitum sese gignentibus sursum deorsum agitentur, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Et haec non tantum videmus, sed ipsi quoque experti sumus, cum in iisdem turbis dogmatum rotaremur, donec gratia Dei nos transtulit in portum et supra hanc certam petram aedificavit, ut certi simus, quid doceamus, discamus, habeamus, nec ultra sic fluctuemus. Quare te rogo, ut pergas, optime Brenti, sicuti facis, hunc locum 2) strenue et usque ad fastidium urgere per omnia et ubicunque poteris. Nam plenus est alias satis totus mundus scribentibus, clamantibus, cudentibus, qui valde fortiter hunc locum negligunt; multi denique persequuntur, plurimi (cum aliud nocere non possint) obscurant ac corrumpunt. Nec mirum, nam hic est ille unicus calcaneus seminis antiquo serpenti adversantis, qui caput eius conterit. Ideo satan rursus non potest non eidem insidiari. Verum etsi noceat insidiis infinitis et pertinacissimis, tamen vincere et conterere non potest, sicut scriptum est: Ipsum conteret caput tuum. Non est scriptum: Tu calcaneum vel caput eius conteres. Gratia

1) deWette: nos omnes. 2) Idem: hunc locum iustitiae.

Domini nostri Iesu Christi sit tecum, et ora pro me. Ex Eremo, 26. Augusti, anno MDXXX.

Mart. Luther.

A. 1530.

12) Praefatio D. M. Lutheri in libellum de ritu et moribus Turcarum, quem ipse anno 1530 (mense Ianuario cf. Luth. Epp. ed. deWette III p. 539) typis in vulgus edidit sub hac inscriptione:

Libellus de ritu et moribus Turcorum ante LXX annos editus. Praecedit Martini Lutheri Praefatio. Vittembergae 1530. 8.
(Panzer Annal. typ. IX, 89. v. d. Hardt III, 198.)

Libellus de ritu et moribus Turcorum ante LXX annos aeditus. Cum praefatione Martini Luttheri (sic). Anno M.D.XXX. — In fine: Excusum Norinbergae sub Praelo Friderici Peypus, impensa Leonhardi à Quercu, Mense Martio, Anno restitutae salutis M.D.XXX. 8.

Martinus Lutherus Lectori Pio*).

Gratiam et pacem in Christo. Hunc libellum de religione et moribus Turcorum oblatum libenter accepi, et non sine consilio, ut mihi videor, sano edere constitui. Hactenus enim cum vehementer cuperem nosse religionem et mores Mahometistarum, nihil offerebatur, quam quaedam confutatio Alkorani et item Cribratio Alcorani N. de Cusa, Alcoranum vero etiamnum frustra cupio legere; videbatur sane tam ille Confutator quam Cribrator pio studio Christianos simpliciores velle a Mahometo

*) Nos textum reddidimus secundum editionem Norimbergensem, quae una nobis ex bibliotheca Scheurliana Norimbergensi praesto erat, germanice redditur a Walchio in T. XIV Opp. Luth. p. 268.

absterrere et in fide Christi retinere, sed dum nimio student quaeque turpissima et absurdissima ex Alcorano excerpere, quae ad odium faciunt et ad invidiam movere possint vulgum, et bona quae in eo sunt vel transeunt non confutata vel occulunt, factum est, ut parum fidei et autoritatis invenerint, quasi vel odio illorum vel impotentia confutandi sua vulgarint.

Hic autem vir, quisquis fuerit huius libri autor, videtur summa fide causam agere, qua fide et apud me magnam autoritatem consecutus est, ut ei fortiter credam tanquam sinceriter vera narranti, et quamquam modica et parva sunt quae narrat et plura et majora desiderem, tamen ea ipsa modica et parva fideliter ostendit. Sic enim ea narrat, ut non solum mala eorum recitet, sed etiam optima eorum iuxta opponat, eaque sic praedicat, ut nostros homines illorum collatione arguat et vituperet, nec tamen ea probat tanquam pie facta, sed animose et fortiter, quantum pro illo tempore fieri potuit, confutat. Haec sunt sane certa signa candidi et sinceri pectoris nihil scribentis ex odio, sed ex amore veritatis omnia narrantis. Qui enim hostem vituperat tantum et solum turpia et absurda eius criminatur, honesta vero et laudabilia eius tacet, is magis nocet causae quam prosit. Quid enim facilius, quam palam turpia et inhonesta (quae se ipsa confutant) criminari? at bona honestaque, specie detracta, confutare, hoc est causae prodesse, hoc est scandala tollere, et angelum lucis mentita forma spoliare et sua propria turpitudine et rapina lucis odiosum reddere.

Itaque ex hoc libro videmus, Turcorum seu Mahometi religionem ceremoniis, paene dixerim, et moribus esse multo speciosiorem quam nostrorum etiam religiosorum et omnium clericorum. Nam ea modestia et simplicitas victus, vestitus, aedium et omnium rerum, ut hic liber indicat, item ieiunia et preces, conventus generales vulgi apud nostros non videntur uspiam, imo impossibile est vulgus nostrum ad ea persuaderi; deinde miracula et monstra ab-

stinentiae et disciplinae in religiosis ipsorum quem non pudefacerent monachorum, sive sit Chartusianus (qui volunt optimi videri) sive Benedictinus? Umbrae sunt nostri religiosi ad illos collati et vulgus nostrum plane profanum ad illorum vulgus collatum. Nec ipsi vere Christiani, nec Christus ipse nec apostoli, neque prophetae tantam speciem unquam praestiterunt; atque hoc est, quod multi tam facile a Christi fide deficiunt ad Mahometum et ei tam pertinaciter adhaerent. Ego plane credo, nullum papistam, monachum, clerum aut eorum fidei socium, si inter Turcos triduo agerent, in sua fide mansurum, loquor de iis, qui serio fidem Papae colunt et optimi inter eos sunt, cetera turba et maior eorum pars, praesertim Itali, quia porci sunt de grege Epicuri, nihil prorsus credentes, securi sunt ab omni haeresi et errore fortesque et invicti in sua fide Epicurea tam contra Christum, quam contra Mahometum et contra ipsum suummet Papam.

Atque hoc consilio hunc librum edimus et in faciem adversantium Evangelio protrudimus, ut stulta sua opinione confusi re ipsa experiantur et manibus propriis palpent, hoc quod Evangelium docet verum esse, nempe Christianam religionem, longe aliud et sublimius aliquid esse, quam caeremonias speciosas, rasuram, cucullos, pallorem vultus, ieiunia, festa, horas Canonicas et universam illam faciem ecclesiae Romanae per orbem. Nam in his omnibus superant longissime Turci, qui tamen Christum et negant et ardentissime persequuntur, non minus quam nostri Papistae eundem negant et persequuntur. Deinde et hoc palpent esse verum, scilicet Christianam religionem longe aliud esse quam bonos mores seu bona opera; nam in his quoque ostendit is liber, Turcos longe superiores esse Christianis nostris.

Ite nunc tyranni et Pontifices et propter fidem Christi, id est, propter caeremonias vestras occidite, exurite, suffocate, proscribite et pleno impetu insanite, cum hic videatis vestrarum caeremoniarum

claritatem non esse claritatem propter excellentem claritatem Turcorum, et vestros mores ad illorum mores collatos plane abominationes esse. Itaque pro apologia quadam Evangelii nostri simul hunc librum edimus. Nunc enim video, quid causae fuerit, quod a Papistis sic occuleretur religio Turcica, cur solum turpia ipsorum narrarint, scilicet quod senserunt, id quod res est, si ad disputandum de religione veniatur, totus Papatus cum omnibus suis caderet nec possent fidem suam tueri et fidem Mahometi confutare, cum ea confutare oporteret, quae ipsimet maxime probant et quibus maxime nituntur, et ea tueri, quae illi maxime probant et quibus maxime nituntur.

Sunt, fateor, plurima apud Turcos in speciem quoque turpia et absurda, fortasse et interim plura creverunt, nec modo per omnia tales nunc Turci sunt, quales hic liber pingit ante captam Constantinopolin, id est ante 70 annos, editus, sicut solent omnia cum tempore in peius prolabi. Sed haec mala pulchre teguntur specie tam efficaci et valida caeremoniarum, bonorum morum et falsorum miraculorum. Nam quid non fuit apud nostros quoque turpitudinis in tot monstris libidinum, avaritiae, ambitionis, superbiae, invidiae, discordiae, blasphemiae, mendaciorum, vanitatis, impietatis? ut Sodomam et Gomorram vinceremus, et tamen haec tecta fuerunt infirmiore specie caeremoniarum, quam Turcorum est, ut ea omnia non viderentur, et ipsi nihilominus Sancti haberentur, quanto minus movebunt Turcos sua turpia, tam religiosis caeremoniis ornata?

Proinde hunc librum etiam hoc altero consilio edimus, ut scandalum Mahometicum praeveniremus. Cum enim in vicino nunc Turcam et suam religionem habeamus, monendi sunt nostri, ne specie religionis illorum et facie morum commoti aut utilitate nostrae fidei ac morum difformitate offensi negent Christum suum et Mahometum sequantur, sed discant, religionem Christi aliud esse quam caeremonias et mores, atque fidem Christi prorsus nihil dis-

cernere, utrae caeremoniae, mores et leges sint meliores aut deteriores, sed omnes in unam massam contusas dictat ad iustitiam nec esse satis, nec iis esse opus. Haec nisi discamus, periculum est, ne plurimi ex nostris Turci fiant, alioqui proclives ad multo minus speciosos errores.

Et quamvis hic autor Turcorum absurda et turpia satis exagitet, deinde eorum speciosa scandala (quibus et ipse motus aliquando lapsus est, uti fatetur) satis candide et recte confutet, tamen videmus illo tempore non ita valuisse in publico nostra summa praesidia et robustissima arma, quae sunt articuli de Christo, scilicet quod Christus sit filius Dei, mortuus pro nostris peccatis, resuscitatus ad vitam nostram, quod fide in illum iusti et peccatis remissis salvi sumus etc. Haec sunt tonitrua, quae destruunt non modo Mahometum, sed et portas inferi; Mahomet enim negat Christum esse filium Dei, negat ipsum mortuum pro nostris peccatis, negat ipsum resurrexisse ad vitam nostram, negat fide in illum remitti peccata et nos iustificari, negat ipsum iudicem venturum super vivos et mortuos, licet resurrectionem mortuorum et diem iudicii credat, negat Spiritum sanctum, negat eius dona. His et similibus articulis est munienda conscientia contra caeremonias Mahometi, his machinis Alkoranus eius confutandus est.

Nam si iam dictos articulos quis neget, quid illi prosit, etiam si angelorum religionem habeat, etiam si bis sit Turcorum religiosus? Contra si quis hos articulos teneat, quid illi noceat, si neque tam multa ieiunet, oret, vigilet, abstineat, neque victu, vestitu, gestu, re familiari tam modestus sit. Sint Turci, sint Papistae his rebus clari, at simul vera fide vacui et iuxta aliis criminibus turpissimis oppleti sunt, et coram Deo abominabiles et apud homines odibiles. Sed venia huic danda est autori, qui communi vitio seculi maiora non attigit, et quae attigit stilo usitato sui temporis formavit, laudandus vero ob insignem zelum, candorem et diligentiam, quibus quantum potuit praestitit fideliter.

Plura forte dicam, si quando mihi ipse Mahometus Alcoranusque suus in manus venerit. Spero enim Evangelion nostrum tanta luce fulgens etiam impetum facturum esse ante iudicii diem in ipsum Mahometum abominabilem prophetam, quod faciat dominus noster Iesus Christus cito, cui sit gloria aeterna. Amen.

A. 1532.

13) Praefatio D. M. Lutheri in Io. Brentii Homilias, quae anno 1532 sub hoc titulo prodierunt:

Homi | liae viginti | duae. Sub incursionem | Turcarum in Germa- | niam, ad populum dictae. | Autore Ioan- | ne Brentio. | Cum Praefatione D. | Martini Lutheri. | Vitebergae 1.5.32. | 8. Tituli pagina figuris typographicis est ornata. In fine haec leguntur: Vitebergae per Ioannem Weiss. Anno M.D.XXXII. mense Februa.

Praefatio D. Martini Lutheri in Homilias D. Brentii *).

Quanquam omnis eruditio et admonitio frustra sit apud induratos homines, sicut etiam Esaias queritur, frustra percuti populum induratum a Domino, nos tamen, qui in officio docendi sumus, non debemus vel a docendo vel monendo [1]) cessare, sicut nec Hieremias cessabat, licet videret se nihil apud pertinaces Iudaeos efficere posse, donec re experirentur, quae minabatur propheta, quare adhortatorii hi sermones D. Iohannis Brentii valde mihi placent

---

*) Nos textum huius praefationis reddidimus secundum editionem harum homiliarum Wittembergensem a. 1532, quae nobis ex bibliotheca Reip. Norimbergensis praesto erat. — Germanice haec Lutheri praefatio redditur a Walchio, T. XIV Opp. L. p. 295. 1) In ed. orig.: movendo.

et omnino dignos iudicavi, qui ederentur, si qui forte (id quod Deus faxit) ad poenitentiam per eos revocentur. Nam hoc necessitas fateri cogit, quod et Brentius et nos omnes libenter consuleremus periturae Germaniae, quanquam vereor, ne frustra sit conatus noster, et indurati ac pertinaces illi brevi nostram prophetiam de futura calamitate, quam nunc rident aut secure negligunt, sint confirmaturi et turpe illud poenitentiae carmen cantaturi: Non putaram, non credideram [1]).

Dedicerunt iam ex nobis, quod magistratus sint colendi, utpote quos Deus ordinavit, et quia confirmavimus et consolati sumus nostrorum animos contra Turcam et seditiones, his freti adeo securi sunt, perinde atque si nullum periculum usquam sit reliquum, et quasi Turca eos metuere cogatur. Atqui nos hoc non voluimus consolationibus nostris, ut temerarios et protervos omni liberaremus metu et prorsus securos redderemus. Neque enim satis est te nosse, quod sis in bono genere vitae, quod Deus probat, sed Deus praeter hoc etiam illud a te exigit, ut in timore et humilitate sibi servias. Neque te ita in tuum vitae genus collocavit, ut secure eo fruaris, sed sicut in secundo Psalmo est, Vos reges, inquit, intelligite et servite Domino in timore. Quare vult sese metui, quod si non feceris, non curabit tuum vitae genus, quantumcunque sit sanctum et divinitus constitutum, sed praecipitabit te, sicut sequitur in eodem Psalmo: Ne irascatur, et vos pereatis de via.

Ego sane, si Turca denuo (id quod pro certo ferunt) in Germaniam irrumpat, metuo, ne graviter nos sit afflicturus. Nos enim Germani non solum non poenitemus de nostris gravissimis peccatis, sed etiam, quo vicinior hostis est, eo turpius et magis soluti ac securi vivimus. Quare periculum est, ne graves poenas in nos Germanos pro tantis peccatis Deus sit expetiturus, quas brevi maximo nostro in-

---

1) In ed. orig.: crederam.

commodo luemus. Sed quid potest fieri amplius? Satis sumus admoniti, satis nobis praedictum, scriptum, pictum et cantatum est, quid faciendum sit et quid sit omittendum. Nihil igitur aliud reliquum est (si quidem omnino ita fieri necesse est), quam ut Deus eripiat suum Loth et sinat Sodomam et Gomorram ea experiri, quae iam cum praedicuntur neque credere neque audire volunt. Nos ministri verbi sumus excusati. Sit uniuscuiusque sanguis [1]) super caput suum; commendo autem hunc libellum omnibus piis Christianis, ut eum diligenter legant.

Deus gratiae misereatur nostri in Christo et non faciat nobis secundum merita nostra. Amen.

A. 1532.

14) D. M. Lutheri praefatio [2]) in Iusti Menii enarrationem libri 1. Samuelis, quae a. 1532 sub hac inscriptione typis impressa est:
In Samuelis librum priorem enarratio Iusto Menio autore cum praefatione D. Mart. Lutheri. Wittenbergae 1532, 8. (cf. Walchii introd. in Opp. Luth. T. XIV p. 16.)

Quamvis libellus hic merebatur prodire in publicum absque praefatione mea, satis digne commendatus tum autoris sui nomine, tum operis et rerum dignitate, tamen typographis mos gerendus fuit et vino per se satis vendibili haec parva he-

---

1) In ed. orig.: sanguinis. 2) Nos textum reddidimus secundum: Supplementum Epistolarum Mart. Lutheri, continens epistolas CCLX partim hactenus ineditas, partim editas quidem, sed hinc inde dispersas, et in Tomis, quos Io. Aurifaber edidit, non exstantes, nunc autem collectas, ed. ab Io. Franc. Buddeo. Halae 1703. p. 318. Germanice haec praefatio redditur a Walchio, Tom. XIV Opp. Luth. p. 174 et in ed. Opp. Luth. Lips. T. XII p. 78.

dera suspendenda, qui vel decepti vel persuasi sunt, testimonio nominis mei nonnihil gratiae seu existimationis accedere alienis libellis a me comprobatis.

Spero autem, imo certo scio, pios lectores in hoc libello inventuros non parvam spiritualis doctrinae, quae fidei est, cognitionem et consolationem. Infeliciter sane (ne dicam perniciose) etiam veteres aliquot Patres tractaverunt historias (ut vocant) veteris Testamenti. Omissa enim fide per caritatem operosa, quae caput et summa est in historiis sacris (qua una virtute a profanis gentium historiis differt, quantum coelum a terra, lux a tenebris, vita a morte), frigidas et ineptas allegorias nobis obtruserunt, quae et ipsae tamen nihil aliud erant, quam novae historiae de rebus fidelium et haereticorum in ecclesia gestis sub nomine veterum historiarum propositae. Ita factum est, ut historiae sacrae nobis plane redditae sint inutiles et velut mortuae, quae tantum suo seculo valuerunt et nobis in ecclesia tantum curiositatis vel animi causa (si qui tamen vellent) legendae. Quin et ipsarum allegoriae, cum sint historiae ecclesiasticae iam dudum praeteritae, nobis videntur esse antiquatae et mortuae, nihil habent amplius utilitatis ad docendum vel exhortandum. Hoc fuit certe, historias, quarum cognitio semper esse debet utilissima et iucundissima, praesertim sacrarum rerum et in populo Dei gestarum, penitus obscurare, et tam usum quam fructum ipsarum omnino tollere.

Non ita fecit meus Menius hoc libello, sed ad fontem et caput revocavit omnia, et fidem Sanctorum erga Deum in historiis eminere docet, qua arte implevit illud, quod in oratorum et doctorum laude est, scilicet veteribus novitatem, obscuris lucem, contemptis gratiam addere et feliciter miscere utile dulci. Nam si hunc Commentarium priscis conferes, videbis et ipsas historias per fidei usum velut per baptismum quendam suum renasci et novas fieri, et nobis nostro etiam seculo, imo in perpetuum vivere, et utiliter servire magnificis et clarissimis exemplis

fidei ad erudiendum, ad arguendum, ad instruendum, ad consolandum, denique ad omnia, ad quae verbum fidei valere Paulus scribit. Quid enim est historia sacra, quam visibile verbum fidei seu opus fidei, quod idem nos docet facto et opere, quod alias Scriptura tradit verbo et sermone? Quod si fidem in historiis sacris omittas tractare, cuius rei magister est Origenes, erunt gentium historiae longe maiores et clariores, ut necesse sit animum fide vacuum et ratione naturali ductum abhorrere et contemnere sacras historias ceu leves quasdam minutias ad ingentes monarcharum res gestas.

Accipiat igitur pius lector hoc libello non tantum, quem diximus, verum intellectum et usum sacrarum historiarum, sed etiam exemplum easdem (ut Paulus docet) secundum analogiam fidei dextre tractandi, deinde et iudicium faciendi de allegoriis et (ut vere dicunt) alieniloquiis aliorum, qui sua intempestiva diligentia omnia obscurant et pios animos fructu et usu legendae Scripturae spoliant inutili verbositate seu cenophonia et falso nomine iactata scientia, Amen. Christo Domino nostro sit gloria aeterna pro hac et omnibus suis miserationibus super nos opulenter effusis, Amen.

A. 1532.

15) Praefatio D. M. Lutheri in Athanasii libros contra idololatriam gentium et de fide sanctae trinitatis, qui liber Wittembergae a. 1532 sub hac inscriptione editus est:
D. Athanasii Libri Contra Idololatriam Gentium et de fide Sancte Trinitatis. Cum Praefatione D. Martini Lutheri, et D. Ioannis Pomerani, cuius opera hi Athanasii Libri restituti et aediti sunt. Wittembergae M.D.XXXII. 8. In fine: Excusum Wittenbergae. Per Nicolaum Schirlentz M.D.XXXII. (cf. Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 29. Schütze, Luthers Ungedr. Briefe III, p. 361.

Venerabili in Christo Viro, Domino Iohanni Pomerano, Wittenbergensis ecclesiae Episcopo et Pastori fidelissimo et sincerissimo, suo in domino Maiori *).

Gratiam et pacem in Christo Iesu, Domino nostro, qui factus est servus, non circumcisionis tantum, sed totius mundi, hoc est, nostrum [1]) omnium miserrimorum peccatorum, per ineffabilem suam caritatem. Vehementer mihi placet, Vir optime, consilium tuum (quod satis tarde rescivi) de edendis libris aliquot divi Athanasii, puta de Trinitate, inter quos mira voluptate me affecit dialogus ille seu disputatio, quam coram probo iudice sub Constantino [2]) magno inter ipsum Athanasium et Arium habitam fuisse constat. Recreavit enim me iucunda memoria, quum recordarer, quanto fidei ardore et favore adolescens eum dialogum legissem primo anno monachatus mei, cum Erfordiae paedagogus meus monasticus, vir sane optimus, et absque dubio sub damnato cucullo verus christianus, mihi eum sua manu descriptum dedisset legendum. Sed haec privata voluptas et utilitas fuit [3]).

Altera vero multo potior est [4]), quod spiritum Christi video in te et per te hoc sollicite agere [5]), ut iste articulus de Trinitate purus et integer in ecclesia Dei servetur et defendatur, pro quo servando vir ille sanctissimus Athanasius non dubitavit in se derivare, quicquid furiarum erat in inferno, mundo et toto imperio diaboli. Fidele ergo et salutare tuum, optime Pomerane, consilium est, hoc nostro perditissimo seculo, in quo cum fere omnes

---

*) Nos textum reddidimus secundum Schützii libr.: Ungedruckte Briefe Luth. T. III p. 181, coll. cum deWettii ed. Epp. Luth. T. IV, 427; in linguam germanicam translata haec praefatio invenitur in Walchii ed. Opp. Luth. XIV, 298, et in ed. Lips Opp. Luth. XXII, p. 105, Append. — 1) Schütze: nostrorum; deWette: nostrum. 2) deWette: magno Constantino. 3) Ibidem: fuerit. 4) Ibidem: Altera vero ratio multo potior est. 5) Ibidem: per te sollicitum agere.

articuli fidei a ministris satanae impetuntur[1]), tum praecipue ille de trinitate a quibusdum Scepticis et Epicureis valde confidenter incipit rideri. Quos juvant magnifice non Itali tantum illi grammatici seu rhetores (uti sibi videntur), verum etiam quaedam Italo-Germanae viperae et aspides, seu, sicut tu soles appellare, viperaspides, quae semina sparsim in suis illis colloquiis et scriptis serunt, satis (ut Paulus ait) serpentes et ad impietatem proficientes, de quo incredibile est quam suaviter inter suos rideant et gaudeant.

Sed istis daemonibus, sive Epicureis, sive Scepticis, sive Lucianis, sive Pyrrhoniis, sive quibuscunque monstris Italisque Germanisque, opponimus illum virum, qui dixit ad nostrum illum servum Iesum Christum: Filius meus es tu, et iterum: Sede a dextris meis. Exspectemus[2]), quosnam sint triumphos reportaturi isti gigantes in ista magnifica theomachia. Non est novum istud gigantum bellum, neque unum Enceladum aut Typhoea, aut semel[3]) aut uno tantum seculo prostravit, sed ab initio mundi nihil aliud egit iste servus noster Iesus Christus, quam ut gigantes prosterneret, non desiturus, donec semel et semen et radicem (ut Esaias[4]) dicit) cum trunco et ramis omnes gigantes perdiderit, quod exspectamus singulis diebus et oramus, ut propediem fiat, Amen. Vale in Christo et ora pro me. Gratia Dei illius infirmi et servi sit tecum, Amen.

T.[5]) Martinus Luther,
servus servi Dei.

---

1) de Wette: impetantur. 2) Ibidem: Sede a dextris meis, exspectaturi etc. 3) Ibidem deest: aut semel. 4) Ibidem: Isaias. 5) Ibidem deest: T.

A. 1534.

16) **Praefatio D. M. Lutheri in Antonii Corvini librum,** qui anno 1534 sub hac inscriptione in lucem prodiit:

QUATENUS | EXPEDIAT AEDITAM | RECENS ERASMI DE SARCIEN- | da Ecclesiae concordia Ratio- | nem sequi, tantisper dum | adparatur Syno- | dus, Iuditium. | Antonii Coruini. | Cum Praefatione D. Martini | Lutheri. | Omnia probate quod bonum | est tenete. | Spes mea Christus. | Vuittembergae. MDXXXIV. In fine: Excusum Vitebergae per Nicolaum Schirlentz. 8.

Antonius Corvinus enim, theologus Brunsvicensis, hoc libro a Luthero laudato examinavit, quae Des. Erasmus Roterodamus in libro, quo Psalmum octogesimum tertium explicavit et qui Iulio Pflugio dedicatus sub hoc titulo editus est:

„DES. ERA | SMI ROTERODAMI LI- | ber de sarcienda ecclesiae con- | cordia deque sedandis opi- | nionum dissidiis, cum | aliis nonnullis le- | ctu dignis. | Omnia recens nata, et nunc primum | typis excusa. | Anno MDXXXIII. 8. In fine: Lipsiae excudebat Nicolaus Faber anno salutis MDXXXIII. Mense Obtobri“,

de „amabili ecclesiae concordia“ et de remediis dissidia de religione inter Papistas et Lutherum exorta componendi uberius proposuerat (cf. Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 32). Nos textum huius praefationis[1]) Lutheri repetivimus ex editione originali libri Corviniani, quae nobis ex bibliotheca regia Monacensi praesto erat.

Pio lectori salutem in Christo.
D. Mart. Luth.

Extorsit mihi typographus praefationem hanc

1) Germanice legitur haec praefatio in Walchii ed. Opp. Luth. T. XIV p. 316 sqq.

sub nomine meo edendam, ut libellus hic, per sese satis vendibilis, meo velut testimonio magis probaretur, quamquam re ipsa et stili elegantia tum ipsa modestia etiam mihi ipsi valde probetur, haud dubie piis et eruditis, etiam sine meo testimonio, multo magis probabilis futurus. Et fateor ingenue, non esse mei ingenii et moris in re tali, quam noster Corvinus hic tractat, tam placide et leniter agere, praesertim postquam inter Erasmicos theologos et me tanta sit coorta turba, tamen in gratiam libelli vincam me ipsum, quantum potero, et posita vehementia hoc dicam: mihi sane non posse probari istam rationem docendi, quam hic Iulianus pro Erasmo defendit; facile et ipse credo, Erasmum forte et suos discipulos bono animo velle rebus seu turbis potius consultum per istam mediocritatem et mutuam partium condonationem, metuentes videlicet, ne res in nervum eat (ut dicitur), sed conscientia et veritas ipsa hanc concordiae rationem tolerare non potest.

Alia est enim concordia fidei, alia caritatis. Secundum caritatem nihil est ex parte nostra unquam omissum, quod non sit plenissima voluntate oblatum pro pace et concordia vel servanda vel resarcienda. Omnia facere, pati, servare paratissimi semper fuimus, quaecunque salva fide praecipi, iniungi et inferri possent ab adversariis. Id quidem et opere ipso et fructibus perpetuo tenore ostendimus. Nunquam enim illorum sanguinem sitivimus, multo minus fudimus, nihil eis nocuimus aut rapuimus; quin pro eis contra seditiosos et fanaticos spiritus strenue semper stetimus, fecimus et laboravimus, atque (ut pii et boni, imo et multi inter ipsos fatentur) plus effecimus quam ipsi pro ipsorum statu conservando, unde et maiore et acerbiore odio nos ipsos oneravimus. Nam spiritus isti seditiosi et furiosi multo clementius Papistas oderunt quam Lutheranos, cum interim non cessent Papistae nostrum sanguinem fundere et haurire, deinde ferro, igne, aqua et omni furoris genere nos persequi, nullam ob causam, nisi quod contra con-

scientiam non possumus humanas ipsorum traditiones Deo et verbo eius aequare vel potius super Deum et cultum eius exaltare. Deus igitur hic iudicabit, an ex parte ipsorum vel nostra stet, quominus inter nos servetur concordia. Nam gloria nostra haec est testimonium laetissimum et securae conscientiae, quod concordiam, quantum ad caritatem attinet, summis studiis quaesivimus, oravimus, efflagitavimus, etiam fuso valde multo nostrorum sanguine et toleratis infinitis crudelitatibus et odiis adversariorum.

Verum concordiam fidei seu doctrinae frustra quaerit Erasmus eo consilio, ut mutuum cedamus et condonemus, non tantum, quod adversarii prorsus nihil cedunt, nec cedere volunt, quin potius rigidius et obstinatius nunc omnia defendunt, quam unquam antea, etiam talia ausi nunc exigere, quae ante Lutherum ipsimet damnaverunt et reprobaverunt[1]), verum etiam, quod et nos non possumus ea probare, quae manifeste cum Scripturis divinis pugnant, et quae prorsus nullum (ut dicitur) medium admittunt. Nam doctrina fidei non luctatur cum carne et sanguine sicut caritas, quae cum hominibus et eorum vitiis exercetur tolerandis, corrigendis, emendandis, quae mutari possunt, et ipsa spem habet perseverantem usque ad mortem convertendi peccatoris, sed luctatur cum spiritibus nequitiae et desperatis, quorum malitia est obstinata in aeternum, sine ulla spe convertendi aut mutandi animi. Ideo inter fidem seu doctrinam Christi et daemonum voluntates nulla pax, nulla concordia, nulla amicitia tentari debet. Ipse est homicida et pater mendacii, et tam non potest non odisse fidei doctrinam, quam mendacem et nocendi voluntatem non mutare. Quae enim est conventio Christi et Belial? quae societas lucis et tenebrarum?

At Papistae (inquies) Christi doctrinam aeque

1) In edit. orig. haec ita leguntur: ipsimet damnaverunt et verunt et probaverunt.

iactant et daemonum errores nolunt docere videri; iactant sane, sed ex fructibus arbor cognoscitur. Ac ne hic disputem prolixe, id satis constat, nihil eos curare, quid certo et solide doceant pro firmandis conscientiis; una est eorum vociferatio: Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia, et ecclesiam vocant homines, etiam impios, qui supra et contra Scripturam sentire et statuere possunt idque auctoritate divina. Hanc eorum vocem et Erasmus confirmat, qui ubique ecclesiam sequi sesè promittit et interim omnia dubia et incerta docet. Sed si ecclesiam hoc vocare debemus, quod illi ecclesiam esse vociferantur, deinde credere, quicquid illa ecclesia eorum facit et dicit, quid opus est divina Scriptura? Cur reprenduntur vitia? cur periclitamur confessione veritatis? quando brevissimo compendio et otiose dormitantes possimus salvi fieri, tantum sic dicendo: Credo Papistas esse ecclesiam, et credo veritatem esse, quicquid Papistae statuunt, etiam si absque, supra et contra Scripturas statuant. Sed quid facies piis et bonis animabus, quae Scripturae auctoritate captae, ut verbo veritatis divinae, non possunt credere, quod manifeste contra Scripturam docetur? Istisne dicemus: Audiendus est Papa, ut pax constet et concordia, aut incertae sunt relinquendae, suspensa interim sententia, donec aliud Papa decreverit cum suis? At sint alii tam securi et suae salutis tam negligentes, qui volent, certe animus Deum timens et serio metuens mortem aeternam et cupiens aeternam vitam non potest incertis et dubiis doctrinis quietari.

Unde et in meo Servo Arbitrio in Erasmi theologia reprehendi istam Scepticorum sententiam; necesse est enim in ecclesia certum dogma, certum verbum Dei haberi, cui certo et secure possimus credere et in eadem certitudine fidei et vivere et mori. Quam certitudinem quia et Erasmus parum curat et Papistae non docent (nec enim possunt, cum eam non intelligant prorsus), sed oderunt et persequuntur, coire nulla concordia in fide et doctrina potest, quia ecclesia hac certa fidei ancora

carere non potest et extra seu supra verbum Dei nulla fides subsistere potest. Ideo quicquid Papistae vel Erasmus hic vel docent vel consulunt, frustra et inutiliter consulunt. Conscientiae istis consiliis et remediis humanis iuvari non possunt neque volunt, sed vocem sponsi sui cupiunt audire et vocem pastoris et magistri sui unici; ad vocem alienorum dicunt: Hoc quia de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Non loquor iam de controversiis in Scripturis agitatis, sed de his, quae extra Scripturas et contra Scripturas ab adversariis defenduntur et exiguntur per vim et omne genus furoris. Talia non sunt haeretica (haereses enim e Scripturis fingunt spiritus impii), sed prorsus profana et certissime diabolica. Quare tutius Erasmus a theologia abstineret et pro suo ingenio in aliis rebus eloquentiam suam exerceret. Theologia requirit animum serio et simpliciter verbum Dei quaerentem et amantem, sicut legitur: Et in simplicitate cordis quaerite illum, invenitur enim ab iis, qui non tentant eum. Et Paulus Rom. 12 praecipit, ut doctrina Christianorum sit analoga fidei, et prima Petri quarto: Si quis loquitur, quasi sermones Dei, item secunda Petri primo: Prophetia Scripturae propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia. Et satis magna miseria experti sumus sub Papatu, quam variis ventis doctrinae agitati sumus, dum ex Scripturis proprios humana voluntate articulos finximus, donec etiam cucullos monachorum adoraverimus. Qua idolatria omnium gentium portenta plane vicimus, nam qui clamant, multos credi ab ecclesia articulos, qui in Scripturis non habeantur, suis aguntur furiis, aliam fingentes sibi ecclesiam, scilicet satanae synagogam, et nomine sanctae ecclesiae, virginis et sponsae Christi, impudentissimis mendaciis scortum et lenam diaboli ornantes et venditantes. Sed de hac re, si dominus otium et vires concesserit, cum de ecclesia scripsero, latius disputabo, interim durante regno diaboli non est, quod pacem et concordiam spere-

mus in doctrina, una tantum via est, scilicet patientia in caritate Christi, ut illos sinamus furere et nos quieto spiritu eorum odia et malitiam sustineamus, nam nos oportet esse vere Christophoros et de ordine S. Crucis. Christus convertet electos suos et liberabit tandem nos omnes, cuius est victoria, virtus et gloria cum Patre et Spiritu sancto in aeternum, Amen.

A. 1535.

17) Praefatio D. M. Lutheri in libellum, qui anno 1535 typis impressus est sub hac inscriptione:

QVERE- | LA DE FIDE PII | et Spiritualis cuius- | piam Parrochi [1] (ut videtur) | ante hoc nostrum saecu- | lum, nuper reperta. | Vittembergae | 1535 | . (In fine: Excusum Vittembergae per Nicolaum Schirlentz),

et quo incertus auctor vivendi rationem praelatorum, principum, nobilium, civium, mercatorum perstringit atque versibus, quorum extrema verba inter se consonant, graviter queritur, quod fides nusquam inveniatur, per totum terrarum orbem solus dolus triumphet. In editione huius libelli originali, quae nobis ex bibliotheca regia Monacensi praesto erat, huius praefatiunculae textus sic legitur:

D. Mart. Luther.

Vides, optime lector, etiam ante nostrum seculum fuisse semper in ecclesia aliquot pios et sanctos viros, qui, cum publice non auderent suum spiritum et sensum profiteri, tamen in angulis suis, ut erat tunc ecclesia in desertum pulsa per draconem (ut Apocalypsis dicit), suum dolorem exstillaverunt et visitationis diem suspiraverunt.

---

1) In ed. orig. sic: Parrochi.

A. 1536.

18) Praefatio D. M. Lutheri in librum Roberti Barnesii de vitis Pontificum.

Robertus Barnesius, qui apud Anglos theologiae professor et Henrici VIII, Angliae regis, Capellanus erat, postea autem, quod Lutheri doctrinam in Germania amplexus erat, ex decreto summi apud Anglos senatus haeresis damnatus igni necatus est (cf. Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 37), anno 1536 librum edidit sub hoc titulo:

Vitae | Romanorum Pon- | tificum, quos Papas vocamus, | diligenter et fideliter col- | lectae per D. Docto- | rem R. Barns. Ut tempore suo reveletur | 2 Thess. II. | Witebergae. | M.D XXXVI. In fine: Impressum Vitebergae apud Iosephum Clug. An. Do. M.D.XXXVI. (cf. Schütze, Luthers Ungedr. Briefe. III p. 364).

Hunc librum, qui ab historia Petri incipit et vitas Paparum usque ad Alexandrum III continet, auctor Henrico VIII, Angliae regi, die 10. Sept. 1535 dedicavit atque in epistola dedicationis regis laudat consilium, quod Papae tyrannidem sustulerit, Papamque ita culpat, ut Caesares et Reges, quos Papae persecuti sint, inter martyres et sanctos Dei numerandos, Papas vero persecutionis autores pro Domitianis, Diocletianis et Neronibus habendos esse statuat (cf. Seckendorfii Hist. Lutheran. Ind. I. sub v. Barnesii). Huic libro praefationem Lutherus praemisit, quam, quia liber ipse rarissime inveniatur et pro deperdito haberi posset, ob rerum et verborum pondera Seckendorfius in Hist. Lutheranismi, Indice III in Supplendis ad A. 1536 reddidit. Nos editionem originalem, quae in Bibliotheca regia Monacensi asservatur, sequentes textum huius praefationis hic repetivimus *):

---

*) Germanice in Walchii ed. opp. Luth. T. XIV p. 349.

Eusebius Caesariensis Episcopus, admirabilis vir (sic S. Hieronymus eum honorat), praefatur in libris ecclesiasticae historiae (verecunde incusans antecessorum ignaviam vel temporum iniuriam), sese cogi sine vestigiis novum iter ingredi, et vix raras stellas habere, quas sequatur, in tanto opere scribendo. Quod si illo tempore, veteri ecclesiae proximo, vel sub veteri ecclesia currente adeo sunt neglectae res ecclesiasticae ab illis viris (quos et spiritu et studio nobis posteris longe et merito praeferimus) vel per iniquitatem temporis perditae, ut nullam post se reliquerint historiam, quae tanto viro digna vel satis esse videretur: quanto oportet nos aequiore animo ferre nostrorum antecessorum negligentiam, qui post illos seculo multo corruptiore et statu rerum turbatiore vixerunt, deinde et studio et spiritu fortasse haud paulum inferiore, ut et nos vix lacera quaedam historiarum fragmenta verius quam historias habeamus.

Sed credo Deum omnipotentem (ut fides nostra confitetur), sine cuius consilio et nutu hoc (sicut omnia alia) fieri non potuit. An vero factum id sit consilio furentis vel miserentis maiestatis, meum non sit iudicare. Miserentis mallem, furentis suspicor. Misericordiae fuit olim, quod Iudaeis Mosen ita abscondit, ut nullus homo eius sepulcrum invenerit unquam, ne templum et altare cultumque in loco illo gens idololatriae dedita erigeret et tandem Mosen pro Deo coleret: licet hac salutari misericordia parum promotum sit, dum loco unius Mosis tot idola nihilominus invenerint impii homines, quot colles, arbores, fontes, plateas haberent. Ita potest misericordia videri, quod historiam multorum patrum veteris ecclesiae Deus voluerit intercidere, ita ut nec ipsorum apostolorum (excepto libro Actorum) res gestas ullius historiae certa veritate cognitas habeamus, ne scilicet Christo neglecto magnitudinem Sanctorum nimis admiraremur et adoraremus. Quanquam nec eo consilio quidquam est profectum, cum satana diversum suadente tot Sanctorum cultus invenerimus, ut tandem et confictis

Sanctis, puta Catharinae, Barbarae, Margaretae, Ursulae, item Christophoro, Georgio, Rochio et multis aliis idolis serviverimus, ita perdite, ut Iudaeorum idololatrias magnifice iustificaverimus, Deo scilicet ita misericordiam contemptam in furorem saevientem (nostris meritis) vertente, sicut Paulus praedixit, Mittet (inquit) illis efficaciam erroris, ut credant iniquitati, qui noluerunt credere veritati. Sic paulatim abolito Christo, abolitis testibus eius fidelibus, nempe apostolis, martyribus, confessoribus, successit tandem novus Christus, hoc est Antichristus, in templo Dei cum novis sanctis suis, docuitque nos adorare eos, quos nec patres nostri neque ipse, neque nos cognovimus. Et has delicias novae divinitatis ornavit indulgentiis, templis, auro, argento, gemmis omnibusque pretiosis rebus, distribuitque terras gratuito cultoribus, sicut in Daniele spiritus prophetaverat.

Accessit ad cumulum irae, quod nec huius quidem monstri et novi Christi dignam et iustam historiam habeamus, ita suis adulatoribus turpitudines eius honorantibus, et falsas virtutes eius iactantibus, claves pictas et fulmen fictum terribiliter exaltantibus; ideo non solum vicarius Dei in terris, sed et mixtus ex Deo et homine, velut turpe analogum Christi veri, terrenus quidam Deus nobis ostentaretur, tamen supra omnem Deum (ut Paulus ait) formidabilis et adorandus. Homo scilicet peccati et filius perditionis, vermis et putredo, (ea est ira super ingratum mundum) ausus est in locum maiestatis se levare; quod forte non fuisset factum, aut non tam feliciter factum, si res eius gestae fuissent aliquot fidelibus historicis proprie et vere traditae, per quas pii homines fuissent admoniti, licet non defuisse videantur, qui istius satanicae cloacae teterrimum odorem utcunque olfecerint, sed corpus ipsum invenire et producere in lucem non potuerunt.

Dicitur de Turca, quam foede profanet sacra loca et reliquias Sanctorum: res plane indigna et quae omnes pios merito moveat ad adorandum et

agendum contra istum furiosum angelum abyssi, sed si compares huic malo sanctissimam sanctitatem Vicarii Dei in terris, videbis Turcam velut hostem ecclesiae corporaliter omnia profanare et vastare, libertate tamen interim credendi in Christum cuilibet permissa. At amicus iste, imo sponsus novus ecclesiae corporaliter quidem omnia sanctificat et horribilibus edictis munit, verum credendi in Christum libertatem adeo non permittit, ut ne hiscere de eo cuiquam tutum esse sinat. Turca reges et dominos terrae vi et armis opprimit (ut dicunt) iure belli, at noster novus Deus et novus Christus fraude, dolo, mendaciis et omnibus pessimis artibus optimos quosque semper reges et principes vexavit et oppressit, donec eos coegit pedes suos sanctissimos beatis osculis adorare et colla calcanda supponere. Maledicant tibi, qui maledicunt diei et parati sunt suscitare Leviathan. Amen.

Haec dolore animi simul et indignatione effutire volui, ut si quas possem pias et Christi amantes animas accendere ad investigandum (quicquid investigari potest) de papali tyrannide et sacrosancta ecclesia eiusdem. Nam dubium nullum est iis, quos Spiritus Christi tangit, quin sciant, sese offerre summum et gratissimum laudis sacrificium, quicquid contra hanc cruentam, blasphemam et sacrilegam meretricem diaboli legere, dicere, scribere possunt. Ego sane, in principio non valde gnarus nec peritus historiarum, a priori (ut dicitur) invasi papatum, hoc est, ex Scripturis sacris, nunc mirifice gaudeo, alios idem facere a posteriori, hoc est, ex historiis. Et plane mihi triumphare videor, cum luce apparente historias cum Scripturis consentire intelligo. Nam quod ego S. Paulo et Daniele magistris didici et docui, Papam esse illum adversarium Dei et omnium, hoc mihi historiae clamantes re ipsa velut digito monstrant et non genus neque speciem, sed ipsum individuum, non vagum (ut vocant) ostendunt.

Dominus noster Iesus Christus, qui coepit ore Spiritus sui occidere illum adversarium suum, velit

propediem etiam illustratione adventus sui destruere eundem. Amen dicat et omnibus votis optet et in hoc, quicquid poterit, faciat, quisquis diligit regnum Dei et salutem suam. Haud ego fallor. —

A. 1536.

19) Praefatio D. M. Lutheri in Tres Epistolas sanctissimi martyris Iohannis Hussii, qui libellus anno 1536 sub hac inscriptione in lucem prodiit:

Tres Epistolae sanctissimi Martyris Iohannis Hussii e carcere Constantiense ad Boemos scriptae Cum praefatione Mart. Lutheri. Vittembergae 1536. In fine: Vittembergae excudebat Iosephus Klug. 1536. 8. (cf. Schütze, Ungedruckte Briefe Luthers, III p. 364).

Has epistolas *) Iohannis Hussi, Boemica lingua scriptas, curavi mihi latinas reddi, ut quam primum ederem, praesertim hoc anno, quo indictum est urgente Carolo, optimo Caesare, generale Concilium, non adeo, ut nunc primum gravarem odio et invidia Constantiense Concilium, (quod alias feci libens, et posthac semper cupide sum facturus, pro ipsius nefario merito et meo ac totius ecclesiae iustissimo iure), quam ut admonerem eos, qui admoneri possunt; si forte, Deo ita volente, concilium

---

*) Nos textum reddidimus secundum librum: Fortgesetzte Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen, 1732. p. 997 sq., ubi uberius de hoc libello agitur. Is libellus enim non tres, sed quatuor continet epistolas ab Io. Hussio scriptas, et unam, quam quinquaginta septem viri nobiles Bohemiae et Moraviae d. 2. m. Sept. anni 1416 ad Concilium Constantiense dederunt. Epilogus Lutheri ad hunc librum conscriptus, qui in germanicis editionibus Opp. Luth. redditur (cf. Walchii introd. in T. XVI Opp. Luth. p. 68), non invenitur in editione latina huius scripti.

procedat, caveant et metuant sibi ab exemplo Concilii Constantiensis, in quo etsi multa et post diuturna vi est oppressa veritas, tamen nunc exaltat ipsa victrix caput et triumphans ostentat istud pessimum conciliabulum palam in semet ipsa, spolians eius principatum et tyrannidem cum fiducia. Erat sane in eo concilio cura prima, praesertim Cardinalibus et supremi ordinis hominibus, ut schisma tollerent, reiecta interim a se ipsis religionis causa ad genus illud hominum perditum et monstrificum, quod monachos et sophistas vocamus, a quibus ut senioribus Babyloniae egressa tunc est iniquitas, ad quam secutae in Germania et Boemia tot calamitates, bella, clades, caedes, odia nunquam sanabilia. Interim haud paulo crudelius saeviit restitutus a schismate papatus, per orbem terrarum ecclesias replens mendaciis efficacibus de indulgentiis, missis vendibilibus cum omnibus operibus sacerdotum et monachorum etc. Is fuit scilicet fructus istius sacerrimi Concilii. Quare nunc non fuerit tutum istorum monstrorum furiis permittere religionis causam, sed ipsis iam regibus ut principibus una cum episcopis vigilandum est, ne similia vel peiora sequantur istud nunc indictum Concilium. Certe satis ostendit Deus in Constantiensi Concilio, quam resistat superbis et dispergat superbos mente cordis sui nullorum quantumcunque maxima persona respecta. Huius igitur admonitionis gratia has emitto epistolas. Qui nolit ictus sapere, certe, me innocente, contritus pereat. Christus donet spiritum orandi nobis et iis, qui Concilium gubernaturi sunt, quaerendi, quae Dei, et obliviscendi vel contemnendi, quae ipsorum sunt. Amen.

A. 1537.

20) Praefatio D. M. Lutheri in Epistolas quasdam piissimas et eruditissimas Iohannis Hussii,

qui liber anno 1537 sub hac inscriptione typis invulgatus est:

Epistolae quaedam Piissimae et eruditissimae Iohannis Hus, quae solae satis declarant Papistarum pietates esse Satanae furias. Addita est D. Martini Lutheri Praefatio. Vitembergae Ex Officina Ioannis Lufft. Anno M.D.XXXVII. In fine: Ex Officina Typographica Ioannis Lufft. Anno M.D.XXXVII. 8. (cf. Schütze, Ungedr. Briefe Luth. III, p. 365).

D. Martinus Luther Christiano Lectori.

Episcopus*) Romanus (si Episcopus dici potest basiliscus ille ecclesiae Dei et pestis orbis terrarum) inter ceteras suas abominationes et hanc sibi arrogavit, iam ab annis plus minus trecentis, ut sibi licere putarit quotidie novos deos dare et creare in ecclesia, quoscunque libuisset, dum mortuos sanctos (ut vocant) canonisaret et nobis adorandos, invocandos festisque diebus honorandos mandaret, quorum neque fidem, neque opera vera nosse potuit, ostendens hac horribili insania, vere se illum esse, qui in templo Dei sedeat et sese quasi Deum ostendat, contra et supra Deum verum erectus et elevatus. Rursus cum sic ascendisset in coelum coelorum, descendit simul et ad inferos inferorum, et non solum purgatorii sese dominum fecit, animas pro libidine eripiens, tum ex favore, tum pro pecunia, prout visum fuit, sed etiam ipsius inferni, damnans mortuos et decernens haereticos, quorum tamen nec vitam nec doctrinam novisset, nisi quatenus contra suas abominationes docuisse et egisse sensisset.

---

*) Nos, quibus hic liber rarus praesto non erat, textum huius praefationis recudendum curavimus, quem Riederer in libro: Nachrichten zur Kirchen- Gelehrten- und Büchergeschichte, III T., XI. Part. Altdorf 1766 p. 359, ubi uberius de his epistolis agit, evulgavit. Walchius hanc praefationem non reddidit.

Quid quaeso hoc est aliud, quam se ipsum constituere iudicem vivorum et mortuorum, imo dominum deorum et diabolorum creandorum, eiecto illo vero iudice vivorum et mortuorum, quem constituit Deus verus? Hoc est quod Daniel de hoc novissimo portento basilico (basilisco volui dicere) praedixit in novissimis futuro, scilicet quod esset erecturus et culturus Deos proprios et novos, quos ignorarint patres eius, auro, argento, gemmis et pretiosis etc. Pensanda sunt verba diligenter tanti prophetae, maxime cum id iusserit ipse dominus verus Iesus Christus dicens: Qui legit, intelligat, Matth. 24. Certum est enim et manifestum, per apostolos mandante Christo et inspirante sancto eius spiritu, traditum esse perfectum et absolutum cultum Dei orbi terrarum, cui nihil addendum, nihil demendum sit. Sic enim Christus apostolis dicit: Ille vos docebit omnia et ducet in omnem veritatem. Ita et Paulus gloriatur Actuum 20. sese nihil celasse ecclesias, neque privatim neque publice, quae necessaria essent ad salutem, quin per omnes epistolas ardens hoc urget, ne quid superordinetur, aut aliud seu novum doceatur, simul praedicens et eos, qui contrarium facturi essent, tum praecipue istum Romanum basiliscum. 2. Thessalo. 2.

Rursus certum et manifestum est, omnia quae Papa docet et docuit, saltem ut Papa, non solum esse alia et nova, sed et contra et supra ea, quae per apostolos ecclesiis tradita sunt. Illi enim nihil nisi unum et solum Iesum Christum colendum esse docuerunt, ne angelis quidem (licet perpetuo viventibus et beatis) illi aequatis sed potius subiectis. Hic vero mortuos, quos esse sanctos nescit, imo forte omnes eos impios et damnatos divinitate donat, inter quos etiam coluntur ficti et poetici, quales sunt Georgius, Christophorus, Barbara, Margaretha, et multi alii, qui nunquam fuerunt etc. Unde etiam me puero paradoxon istud, stupentibus multis boni cordis hominibus, vulgabatur, multos coli pro Sanctis, quorum animae arderent in inferno; et tribuebatur hoc dictum S. Augustino, ab aliis aliis.

Sed videtur vox ea spiritus sancti in ecclesia sua fuisse contra Romanationes episcopi Romani.

In numero istorum operum sanctissimi Domini Papae habetur et hoc, quod in Constantiensi Concilio optimum et piissimum virum Iohannem Hus damnavit et orbi terrarum pro diabolo quodam in aeternum damnato obtrusit exsecrandum et abominandum, et eius loco alios quosdam pro sanctis et angelis ac diis novis commendavit adorandos et invocandos. Sed Deo laus et gloria, tempus venit inspectionis et dies visitationis, seu, ut Daniel praedixit, finita est ira, et incepit Deus pater misericordiae et Deus totius consolationis mittere angelos suos, qui colligant de regno eius omnia scandala, magnaque ex parte interfecit spiritu oris sui impium et adversarium filii sui, novum illum Deum Deorum et creatorem novorum Deorum, mox destructurus eum in finem. Amen.

Quare omnes benefaventes evangelio rogo et hortor, ut unanimi corde et ore nobiscum laudent et gratias agant Deo patri per Iesum Christum, simulque iuvent causam hanc Dei et ecclesiae suae contra istam impuram, blasphemam, maledictam meretricem, matrem abominationum et fornicationum totius terrae et iuxta illud Apocalyp.: Misceant ei duplum. Res (Deo gratia) manifesta est, et lux orta ostentat eius ignominias palam, frustra tegentibus et ornantibus eius pudenda quibusdam miseris et frigidis scriptorculis, qui etiam contra suam cauteriatam conscientiam laudant, quod damnant, et damnant quod probant. Hos lepores quomodo paveant leones Iuda? Dominus Iesus perficiat quod incepit, et confirmet quod operatus est in nobis, in gloriam nominis sui et salutem nostram, Amen.

A. 1538.

21) Praefatio D. M. Lutheri in librum: Epistola S. Hieronymi ad Evagrium de potestate Papae. Vittenbergae 1538. 4.*).

Multa sunt in libro, quem Decretorum Gratiani vocant, praeclara ex Patribus collecta, in quibus cernere est utcunque statum veteris seu primitivae ecclesiae longissime diversum a statu sequentis, praesertim Romanae, quae sibi post per Scharioticos pontifices universalis ecclesiae nomen arrogavit, si tamen ecclesiam licet appellare, quae hoc sacrilegum idolum ausa est statuere impudentissima facie. Sed Gratianus pontificibus iam tunc tyrannidem in ecclesia Christi vendicantibus adulantior vel obsequentior, quam oportuit, optima dicta et decreta Patrum vel antiquat vel ad arbitrium Romanorum pontificum depravat, pia (ut apparet) intentione, sed pestilentissimo exemplo. Nam inde Papa ita superbivit, ut iura negarit sibi nata, nihil non arrogarit suo nihilissimo fulmine, denique ita crevit tandem tumor eius in immensum, ut his annis crepuerit medius, sicut antecessor eius Judas, diffusaque sint viscera omnium scelerum et abominationum eius, ita ut foetorem eius universa terra iam non possit amplius sustinere. Sic et haec S. Hieronymi epistola inter cetera opuscula eius recepta quidem est et hactenus conservata, sed et ipsa antiquata, non autem depravata. Nam clarior et apertior est, quam ut ullius depravationi locum praebeat. In qua etsi forte S. Hieronymi autoritas magna non sit, tum apud latrones tyrannidis Romanae prorsus nihil, tamen visum est eam hoc tempore in publicum ducere et singulariter inspiciendam proponere, ut habeat iuventus praeteritarum rerum imperita te-

---

*) cf Walchii introd. in T. XIV p. 39, germanice ibidem p. 362; nos textum reddidimus secundum editionem Ienensem Opp. lat. Lutheri a. 1558. T. IV p. 413b.

stimonium de veteris ecclesiae statu adversus reliquos defensorculos et patrunculos frigidos sane et elumbes meretricis istius Romanae, de causa sua non leviter periclitantis.

Nam hic vides, tempore Hieronymi (sicut et Ambrosii et Augustini) nullum fuisse Archiepiscopum in ecclesia, nullum Patriarcham, nullum Primatem, nullum Metropolitanum, multo minus Papam seu oecumenicum pontificem, sed omnes erant episcopi inter se aequales, deinde ipsi episcopi iidem qui presbyteri et econtra, denique episcopum Eugubii non longe a Roma oppiduli aequalem esse dicit ipsi Romano episcopo. Heu quantus haereticus futurus, si hodie viveret vir sanctus, et mirum, quod non millies eum damnent ultra tartara cum omnibus eius scriptis. Fuit et vocabulum Papae commune nomen episcoporum. Sic S. Hieronymus vocat S. Augustinum sanctissimum Papam et Cyprianum vocabant Papam in ecclesia Carthaginiensi. Quare evidens est, totam illam hierarchiam Papalem esse doctrinas hominum seu daemoniorum verius, per hypocritas falsiloquos introductas. Omnes (inquit S. Hieroymus) merito et sacerdotio sunt aequales; potentia divitiarum et paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum facit.

Et quod mirandum est, eo tempore nec differentia donorum et gratiarum spiritualium (quibus tamen maxime debebatur dignitas praecellentiae seu superioritatis) faciebat superiores episcopos. Nam S. Martinus inter episcopos Galliae haud dubie sanctissimus, virtute spiritus et miraculis clarus, tamen inter episcopos ceteros tenebat suum locum, nec voluit sanare quendam aegrotum, nisi ab aliis iussus et fere coactus. Et S. Augustinus inter episcopos Africae doctissimus et facundissimus locum suum tenuit inferiorem, veluti iunior, et tamen in synodis cogebatur publice docere vel orationem habere, quod erat vel Carthaginiensis, si loci dignitas aliquid valuisset, vel alicuius senioris episcopi. Erant isti viri sanctissimi re ipsa, quod vocabantur, id est, vere episcopi, non suam quaerentes vel glo-

riam vel dignitatem, sed animarum salutem et ecclesiae utilitatem, nostri hodie episcopi quid sunt? Mortuae larvae et figurae, atque utinam tales essent, ac non etiam vasa irae et furoris dei essent, in perniciem ecclesiarum.

Quid putas fuisset dicturus Sanctus Hieronymus, si vidisset hodiernos episcopos, archiepiscopos, cardinales? Quid si Papam vidisset, non solum nullum parem episcopum ferentem, sed omnes sibi ut domino subiici cogentem, plus quam Sicula tyrannide ecclesiam suis pestilentibus doctrinis opprimentem, omnium ecclesiarum et terrarum opes rapientem, furantem, dolis, fraude et omni mendaciorum genere extorquentem, colla regum (et quidem Christianorum) pedibus conculcantem, osculandos eisdem pedes suos offerentem, gladium utrumque sibi toto orbe arrogantem, pompa et splendore cunctos reges superantem, bellis et seditionibus orbem Christianum vexantem, verbum dei non solum negligentem, sed prorsus ignorantem, persequentem, exstinguentem, Christi omnia blasphemantem, oves Christi mactantem, breviter horrenda crudelitate et satanica malitia in rebus, honoribus, corporibus, animabus fidelium ludentem, fallentem, ridentem, exsultantem, et insatiabiliter adhuc ad maiora et peiora hiantem, certe non hominem naturaliter viventem, sed satanam in specie hominis furentem esse credidisset, et stupefactus in silentium et lacrimas sese dedisset usque ad mortem. Nam qui ferre non potest, ut Romanus episcopus Eugubiensi episcopo superior sit, quid quaeso in Papa inveniret, quod non usque ad mortem exsecraretur?

Et haec omnia nos miseri portenta sacrilega et abominanda adacti sumus adorare veluti iure divino firmata decreta, incursuri alioqui indignationem omnipotentis Dei et beatorum eius apostolorum Petri et Pauli, et tolerabilius peccatum fuit negasse, blasphemasse, risisse etiam (uti faciunt ipsi Romae) omnes articulos fidei, quam de hoc iure divino Papae subdubitare, denique cogitare de Papa aliud, quam esse eum sanctissimum, aeternae damnationis

peccatum fuit. Testis est mea et multorum bonorum hominum conscientia, quae istis abominabilibus monstris horribilem in modum captiva fuit, sed Christo gratia, suavissimo redemptori, qui nos denuo suscitavit secum a mortuis ostenditque nobis Ischariotem diffusis visceribus ruptum, foetentem et exsecrabilem, ideoque nunc contemptum, derelictum et omnium risui, ludibrio et sibilo expositum, Amen, Amen. Domine, iusta et vera sunt iudicia tua; tu igitur, Domine, servabis nos et custodies nos a generatione hac in aeternum, quia impii in circuitu ambulabant, dum exaltati fuerunt vilissimi filiorum hominum, Psalmo XI. Amen.

A. 1538.

22) Praefatio*) D. M. Lutheri in Centum Gravamina nationis Germanicae, qui liber anno 1538 sub hac inscriptione in lucem prodiit:

> Legatio Adriani Papae VI ad Conuentum Nurembergensem Anno M.D.XXII Missa. Responsio, nomine Caesareae Maiestatis Principum et procerum reddita. Grauamina centum a Pontificibus significata, Principibus et imperii ordinibus ulterius non toleranda. Quid sint Annatae, et q.[1]) incredibilis summa pecuniarum ex orbe Christiano, Romam mittatur, et profundatur. Denuo recusum Anno M.D.XXXVIII. Wittembergae (cum praefatione et epilogo M. Lutheri). In fine: Impressum Vitembergae per Ioannem Frischemut. 4. (cf. Schütze III, p. 341. et Walchii Introd. in T. XIV Opp. Luth. 44).

Martinus Lutherus pio lectori salutem in Domino.

Recte facerent meo sane iudicio et consilio no-

---

*) Textus repetitus est ex Supplemento epistolarum M. Lutheri ed. a Buddeo p. 315, germanice redditur in Walchii ed. Opp. Luth. T. XIV p. 402, et in ed. Lips. T. XXII. App. p. 140. 1) i. e. quam.

stri homines, si hunc et similes libellos curarent servari pro posteris, ob observandam et memoriae mandandam incredibilem et infinitam astutiam satanae, in Curia illa Romana, peccati et perditionis sentina, regnantis. Nam toties tum per reges, tum per eruditos viros cathedra ista pestilentiae impulsa est, ut caderet. Sed praevalente efficacia erroris astutiis, dolis, practicis, non humano ingenio, sed solius diaboli arte inventis, victrix hactenus evasit et prostravit veritatem in plateis (ut praedixit antea Daniel, et postea Christus una cum apostolis). Quibus victoriis saginati, incrassati, dilatati, inflati et superbi isti purpurati tyranni sese confidenter consolantur, et non solum spem non abiiciunt in hac calamitate, quam modo patiuntur a spiritu labiorum Christi et a virga oris sui, sed securissime praesumunt naviculam Petri (sic appellant suam sceleratissimam satanae colluviem) ex istis fluctibus tandem felicius emersuram et altius evehendam quam unquam fuit.

Haec est illa confidentia, qua istis diebus ludunt in rebus, sensibus, cordibus totius humani generis, imo in spiritu fidelium et ecclesiae sanctae (quia nec ecclesiam, nec spiritum, nec Deum esse quicquam putant), dum mendaciter reformant nunc Curiam, nunc ecclesiam, nunc Concilium indicunt, rursum revocant, nunc transferunt, iterum indicunt, nec tamen fieri Concilium volunt, ut videas illud unum esse verissimum, universam regum, principum, bonorum, eruditorum, sanctorum turbam coram eis haberi pro fatuellis, morionibus, ridiculis et iocularis puppis. Quos etsi istis paucis diebus, velut ad horam ebrios et tumultuantes, ferre cogantur, tamen certi sunt, cessante tumultu et ebrietate eorum sese brevi futuros istorum stultorum dominos et deos, septies gloriosiores, quam antea fuerint. Has spes non vanis exemplis sibi formant, quod antea et saepius passi sint tumultus principum et populorum etiam urbis ipsius Romae. Et tamen adeo non sunt istis bellis fracti, ut etiam per ea creverit et firmata sit eorum potentia, virtus, victoria, laus, honor et

gloria, donec non solum sese regum reges et dominos dominantium fecerint, sed conculcatis regum collis et in servitutem subiectis iudicantium thronis etiam deos deorum in coelo, terra, mari et inferno sese constituerint. Haec est eorum secreta fiducia et conscientia, sic scribunt eorum adulatores: Papa nec deus purus, nec homo purus, sed mixtus deus et homo, angelorum coelestium dominus est etc.

Hac fiducia in eorum cordibus regnante (regnat autem perpetua et sempiterna pertinacia et superbia, quam sibi non extorqueri sinent nec mortuis, nec extremo quidem iudicii die, nedum ulla calamitate huius vitae) frustra fit quicquid pro Concilio congregando, pro ecclesia emendanda, pro Curia reformanda, fabula narratur surdo et verba fiunt mortuo, nisi permissum, concessum, denique pro articulo fidei decretum fuerit, ipsos esse deos coeli et terrae, non subiectos Concilio, nec pares, sed superiores et iudices irrefragabiles. Hoc tibi (non de tripode) sed de coelo dictum, non dubita. Ego novi et multi mecum, novimus, inquam, ingenium Pontificum et Cardinalium, atque adeo penetralia non solum camerarum, sed et cogitationum atque sermonum, sicut ille promisit cordium inspector, cordifex et cordifigulus Christus: Quae dicitis in tenebris, in lumine dicentur, et quae in cubiculis, praedicabuntur super tecta. Verum quo minus haec metuant Nerones et Domitiani Romanae Curiae, facit illa Pontificia et Cardinalitia fides, pulcherrima et securissima, scilicet fabula Manes, sed experientia rerum magistra docebit eos alia, idque in brevi.

Igitur (ut dixi) hunc librum et similes servari et propagari in posteros utile et salutare fuerit non solum Germaniae, sed universo orbi contra montem istum Romanae Babylonis pestilentissimum, qui totam terram corrumpit (ut Ieremiae verbis utar). Hic enim vides Germaniae principes, tandem aliquando a profundo somno experrectos, fuisse ausos Pontifici et Curiae (lernae) Romanae dicere in faciem, quae non potuit, potest, poterit audire. Nec moti sunt (quod est miraculum) magnificis fucis et

artibus Curiae, quas in legatione Romani Pontificis hic legere licet. Ac nisi felicem hunc cursum Evangelii et dexterrimum orsum veritatis diabolus per seditionem Muntzeri et sectas adversariorum impedisset, victa fuisset tunc ipsa fiducia Papalis et corruisset iamdudum superbia ista Iordanis, quae sese mendaciter venditat sub nomine Christi et ecclesiae. Verum si Germani posteri rursum redierint ad cor patrum et principum, qui in hoc Noribergensi conventu Papam ita suaviter salutaverunt, haud dubie actum erit de fucis, artibus, practicis et mendaciis Papae et Curiae suae sacerrimae, omnibus sacris, etiam Herculis Lindii dignissimae; id faciat Pater misericordiarum et Deus totius consolationis per Iesum Christum, qui iam interficit impium spiritu oris sui, et destructo eo ipso per illustrationem adventus sui liberet nos a malo, Amen.

Epilogus.

Martinus Lutherus.

O altitudo nequitiarum, avaritiae et rapinae eius, quam inaestimabilia sunt furta eius et immensae rapacitates eius? Quis enim cognovit scrinium pectoris eius? Aut quis prior dedit ecclesiae, quod post non rapuerit iste? quoniam ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia mala ecclesiae. Ipsi horror et ignominia in secula seculorum. Amen.

Ex his intellige, lector, quid sit, quod dicit de Papatu S. Petrus 2 Petr. 2: Cor exercitatum habentes in avaritia.

A. 1538.

23) D. M. Lutheri praefatio in Confessionem Baronum ac Nobilium Bohemicorum regi Ferdinando Viennae in Austria 14. die Novembris a. M.D.XXXV oblatam, quae anno 1538 Vittembergae sub hac inscriptione typis impressa est:

Confessio Fidei ac Religionis Baronum Ac No-

bilium Regni Bohoemiae, Serenissimo ac Inuictissimo Romanorum, Bohoemiae etc. Regi, Viennae Austriae, sub anno Domini 1535. oblata. Actorum 24. Confiteor autem hoc tibi, quod iuxta viam, quam vocant haeresim, sic colo patrium Deum, credens omnibus, quae in lege et Prophetis scripta sunt. In fine: Witebergae In officina Georgii Rhaw. 4. (1538 cum praef. Lutheri. cf. Schütze, U. Br. L., III, 342 et praecipue Walchii introd. in Opp. Luth. T. XIV p. 34 sq.)

Quanquam[1]) fratres hi per Bohemiam et Moraviam agentes felicius et eruditius suam confessionem et doctrinam ediderint, quam ut mea vel commendatione vel praefatione opus habeant, tamen cum iam multis annis odioso nomine Pighardi ceu haeretici et schismatici sint traducti, visum est meo quoque testimonio, quantum possum, illis servire, si tamen quid valet meum testimonium, praesertim apud nostros, et omnis verae pietatis studiosos. Nam quid de me sentiant Papistae, hominum genus iamdudum reprobum et mente corruptum, et, ut iterum Paulus dicit, peccans ut per se ipsum et volenter damnatum, cur me moveret? Sum illis crucifixus, et ipsi crucifixi mihi.

Sane cum essem Papista, aemulator scilicet longe ferventissimus Romanarum traditionum (nam qui nunc Papistae sunt et contra nos scribunt, serio tales non sunt, qualis ego fui, sed toti frigent et vel odio vel quaestu capti faciunt, quod faciunt, facturi idem contra Papatum, si opes et gloriam maiorem apud nos sperare possent), ipse, inquam, cum essem Papista, vere et ex animo istos Pighardos fratres oderam magno zelo Dei et religionis, nullo omnino lucri et gloriae studio.

---

1) Nos textum typis repetivimus secundum Supplementum Epistolarum Lutheri ed. a Buddeo p. 320; germanice redditur a Walchio in ed. Opp. Luth. T. XIV. p. 345 et in ed. Opp. Luth. Lips. T. XXII. Append. p. 121.

Denique cum aliquando in aliquot libros Iohannis Hus imprudens incidissem et Scripturas tam potenter et pure tractatas vidissem, ut stupere inciperem, cur talem ac tantum virum exussissent Papa et Concilium, mox territus clausi codicem, suspicatus venenum sub melle latere, quo simplicitas mea infici posset, tam violentum regnabat in me fascinum Papalis nominis et Concilii.

Sed postquam illi placuit, qui me segregavit ex utero matris meae, ut revelaret mihi filium illum perditionis, satis multis disputationibus contuli cum carne et sanguine, quos habere potui viros optimos, metuens, ne lumen, quod in me erat, tenebrae essent, adeo diffidebam mihi ipsi propter longitudinem, latitudinem et profunditatem Pontificiae maiestatis, quam hactenus et ipse non segniter credideram a Spiritu sancto regi et errare non posse, donec confirmatior paulatim fiebam, dum ad meas leviculas velitationes et quaedam praeludia Papistae velut fluctus feri maris (ut Iudas ait) despumarent suas confusiones. Tum coepi Papam suspectum habere et pedetentim contemnere et tandem, prodentibus, imo destituentibus eum suis defensoribus, per libros ipsa vanitate vaniores pro ipsa abominatione in loco sancto agnoscere.

Ibi coepit gaudium cordis mei, et circumspectis omnibus ego, quos Papa pro haereticis damnaverat et perdiderat, pro sanctis et martyribus laudabam, praesertim quorum pia scripta vel confessiones potui reperire. Ceteros vero suspicabar vel non esse convictos, vel aliquo lapsu infirmitatis errasse, qui venia dignus fuisset, si Papistae voluissent S. Pauli consilium sequi, dicentis: Si homo praeoccupatus fuerit in delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. At ipsi satanae furorem secuti cum austeritate et potentia imperabant ovibus Christi, ut Ezechiel loquitur, quod et adhuc facere non cessant.

Inter hos autem occurrebant et isti fratres, quos Pighardos vocabant, iam mihi non ita invisi,

ut antea erant in Papistitate mea. Denique offendi in eis unum illud et magnum miraculum, in ecclesia Papae pene inauditum, scilicet, quod omissis hominum doctrinis, quantum poterant, meditarentur in lege Domini die et nocte, esseque eos in Scripturis peritos et paratos, cum in Papatu ipsi Magistri nostri prorsus negligerent Scripturas, quarum titulo iactabantur, nonnulli vero ex ipsis ne vidissent quidem Biblia sacra unquam: quanquam fieri aliter non potuit, iacentibus linguis, non modo Graeca et Ebraica, sed et Latina, quin aliquot loci illis necessario obscuri manerent. Et illud apud eos vitii haerebat, dum vitare voluerunt spineta et paludes Sophistarum et monachorum, prorsus ab omnibus studiis artium abstinuerunt, simul etiam inopia coacti, quam labore manuum levabant.

Sed nunc prodeunt non paulo cultiores et liberiores, ne dicam etiam illustriores et meliores, ut sperem non ingratos neque inamabiles fore omnibus vere Christianis, ita ut et gratias nos agere oporteat quam maximas Deo et patri Domini nostri Iesu Christi, qui secundum divitias gloriae suae iussit e tenebris splendescere lumen hoc verbi sui, quo denuo in nobis destrueret mortem et illuminaret vitam, et gratulari tum illis, tum nobis, quod, qui inter nos ipsos quoque longe fuimus, destructo nunc interstitio suspicionis, qua nobis mutuo haeretici videbamur, facti sumus prope et reducti simul sumus in unum ovile sub unum illum pastorem et episcopum animarum nostrarum, qui est benedictus in secula, Amen.

Quod si quae differentiae in hac eorum confessione occurrent de ritibus et ceremoniis vel de coelibatu, meminerimus nunquam fuisse neque potuisse omnium ecclesiarum omnes ritus et observationes esse aequales vel easdem. Id enim non permittunt hominum, regionum, temporum rationes et varietates, modo salva sit doctrina fidei et morum. Haec enim debet esse eadem, ut Paulus saepe monet: Idem dicatis (inquit) omnes; rursus, Ut uno

ore honorificetis Deum et patrem Domini nostri Iesu Christi. Nam ut coniugium sit apud eos eo modo liberum, ut apud nos, non sinit eorum status et conditio. Interim satis est, quod cuilibet licitum et nulli peccatum esse docetur et creditur salva uniuscuiusque fide et conscientia. Commendo igitur in Domino omnibus piis et hanc confessionem fratrum, in qua videbunt clare, quanta iniuria hactenus a Papistis fuerint damnati et vexati.

---

24) Praefatio D. M. Lutheri in Harmonias de passione Christi.*)

Salutem in Christo. Vellem certe ex animo laudatum et omnibus commendatum esse donum illud divinum et excellentissimum musicam. Sed ita obruor multitudine et magnitudine virtutis et bonitatis eius, ut neque initium, neque finem, neque modum orationis invenire queam et cogar in summa copia laudum ieiunus et inops esse laudator. Quis enim omnia complectatur? Atque si velis omnia complecti, nihil complexus videare. Primum, si rem ipsam spectes, invenies musicam esse ab initio mundi inditam seu consecratam creaturis universis, singulis et omnibus. Nihil enim est sine sono seu numero sonoro, ita ut et aër ipse per sese invisibilis et inpalpabilis, omnibus sensibus inperceptibilis minimeque omnium musicus, sed plane mutus et nihil reputatus, tamen motus sit sonorus et audibilis, tunc etiam palpabilis, mirabilia in hoc significante spiritu mysteria, de quibus hic non est locus dicendi. Sed mirabilior est musica in animantibus, praesertim volucribus, ut musicissimus ille rex et divinus Psaltes, David, cum ingenti stupore

---

*) Nos textum reddidimus secundum Buddei Supplementum Epistolarum Mart. Lutheri p. 327; titulum ipsius libelli nos quoque nusquam indagare potuimus (cf. Walchii introd. in Opp. Luth. T. XIV p. 45), germanice legitur haec praefatio in ed. Walch. Opp. Luth. T. XIV. p. 407.

et exsultante spiritu praedicit mirabilem illam volucrum peritiam et certitudinem canendi, dicens Psalm. 104: Super ea volucres coeli habitant, de medio ramorum dant voces. Verum ad humanam vocem omnia sunt proprie immusica; tanti est optimi creatoris in hac re supereffusa et incomprehensibilis munificentia et sapientia.

Sudarunt philosophi, ut intelligerent mirabile artificium vocis humanae, quomodo tam levi motu linguae leviorique adhuc motu gutturis pulsus aër funderet illam infinitam varietatem et articulationem vocis et verborum pro arbitrio animae gubernantis tam potenter et vehementer, ut per tanta intervalla locorum circulariter ab omnibus distincte non solum audiri, sed intelligi possit. Sed sudant tantum, nunquam inveniunt, et cum admiratione desinunt in stuporem; quin nulli adhuc reperti sunt, qui definire et statuere potuerunt, quid sit ille sibilus et alphabetum quoddam vocis humanae seu materia prima; nempe risus (de fletu nihil dicam) mirantur, sed non complectuntur. Verum haec speculabilia de infinita sapientia Dei in hac una creatura relinquamus melioribus et otiosioribus, nos vix gustum attingimus.

De usu tantae rei dicere hic oportuit, sed et ille ipse sua infinita varietate et utilitate longe superat omnium eloquentissimorum eloquentissimam eloquentiam. Hoc unum possumus nunc afferre, quod experientia testis est, musicam esse unam, quae, post verbum Dei, merito celebrari debeat domina et gubernatrix effectuum humanorum (de bestiis nunc tacendum est), quibus tamen ipsi homines ceu a suis dominis gubernantur et saepius rapiuntur. Hac laude musicae nulla maior potest a nobis concipi. Sive enim velis tristes erigere, sive laetos terrere, desperantes animare, superbos frangere, amentes sedare, odientes mitigare, et quis omnes illos numeraret dominos cordis humani, scilicet affectus et impetus, seu spiritus, impulsores omnium vel virtutum vel vitiorum, quid invenias efficacius, quam ipsam musicam? Honorat eam ipse Spiritus sanctus ceu

sui proprii officii organum, dum in Scripturis suis sanctis testatur, dona sua per eam prophetis illabi, id est, omnium virtutum affectus, ut in Eliseo videre est, rursum per eandem expelli satanam, id est, omnium vitiorum impulsorem, ut in Saule rege Israel monstratur. Unde non frustra Patres et prophetae verbo Dei nihil voluerunt esse coniunctius, quam musicam. Inde enim tot cantica et psalmi, in quibus simul agant et sermo et vox in animo auditoris, dum in ceteris animantibus et corporibus sola musica sine sermone gesticulatur. Denique homini soli prae ceteris sermo voci copulatus donatus est, ut sciret se Deum laudare oportere verbo et musica, scilicet sonare praedicatione et mixtis verbis suavi melodia. Iam si comparationem feceris inter ipsos homines, videbis, quam multiplex et varius sit Creator gloriosus in donis musicae dispertitis, quantum differat homo ab homine in voce et verbo, ut alius alium mirabiliter excellat; negant enim posse duos homines inveniri similis per omnia vocis et loquelae, etiamsi saepius imitari alii alios videantur, velut alii aliorum simiae.

Ubi autem tandem accesserit studium, quo naturalem corrigat, excolat et explicet, hic tandem gustare cum stupore licet, sed non comprehendere absolutam et perfectam sapientiam Dei in opere suo mirabili musicae, in quo genere hoc excellit, quod una et eadem voce canitur suo tenore pergente, pluribus interim vocibus circum circa mirabiliter laudantibus, exsultantibus et iucundissimis gestibus eandem ornantibus et velut iuxta eam divinam quandam choream ducentibus, ut iis, qui saltem modice afficiuntur, nihil mirabilius hoc seculo exstare videatur; qui vero non afficiuntur, nae illi vere amusi et digni sunt, qui aliquem merdipoëtam interim audiant vel porcorum musicam.

Sed res est maior, quam ut hac brevitate utilitates eius describi queant. Tu, iuvenis optime, commendatam hanc nobilem, salutarem et laetam creaturam tibi habeas, qua et tuis affectibus interim medearis contra turpes libidines et pravas societa-

tes. Deinde assuescas in hac creatura Creatorem agnoscere et laudare, et depravatos animos, qui hac pulcherrima et natura et arte abutuntur ceu impudici poetae ad suos insanos amores, et summo studio caveto et vitato, certus, quod diabolus eos rapiat contra naturam, ut quae hoc dono vult et debet Deum solum laudare autorem; isti adulterini filii, rapina ex dono Dei facta, colunt eadem hostem Dei et adversarium naturae et artis huius iucundissimae. Bene in Domino vale.

A. 1540.

25) Praefatio [1]) D. M. Lutheri in Epistolam de miseria Curatorum seu Plebanorum, qui libellus anno 1540 Wittembergae sub hac inscriptione typis impressus est:

Epistola de Miseria, Curatorum seu Plebanorum, aeditus (sic) anno 1489. Cum Praefatione D. Mart. Luth. Vittembergae 1540. In fine: Impressum Wittembergae per Nicolaum Schirlentz, anno 1540. 8. (cf. Schütze III p. 367 et Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 39.)

D. Martinus Lutherus.

Hunc libellum nolui inter blattas et cariem interire dignum iudicans, quem etiam nos hodie pastores ecclesiae legamus. Placet prae ceteris confessio miseriarum liberrima, etsi parum latinus videatur, tamen res ipsas ceu Cato quidam sine orationis flore exsequitur et consequitur. Et satis miror, fuisse ausum aliquem eo tempore tantum audaciam, ut episcopos palam appellaret diabolos

---

1) Nos textum huius praefationis reddidimus secundum Supplementum Epistolarum Lutheri ed. a Buddeo, p. 330, germanice legitur illa in Walchii ed. Opp. Luth. T. XIV p. 372 et in ed. Opp. Luth. Lips. T. XXII. Append. p. 131.

et tyrannos pastorum. Unus certe fuit illorum, quos Dominus remissis peccatis idolatriae mirabiliter servavit in ista perditione Antichristi. Nam quod ita Christum facit exemplum pastorum seu (ut vocat) Curatorum, et praefert officium pastorum et crucem episcoporum ordini, quis non sentit Christianorum, id esse scintillam quandam seu (ut Christus dicit) linum fumigans verae pietatis et scientiae Dei in tam afflicta, humili et patiente anima? Tales viri fuerunt de ecclesia sub Papatu, etsi non sine vitiis, peccatis et erroribus, Christum tamen velut iam submersi suspicientes, gementes et clamantes, dum interim alii Clerici (ut vocant) diabolo servierunt, imo diaboli ecclesiarum fuerunt. Ita fuit ecclesia servata per parochos et ludimagistros, qui et verbum docere et sacramenta administrare coacti sunt, etsi non sine vitio vixerunt et egerunt alia per antichristum et suos principes oppressi.

De iustitia fidei et operum
D. Mart. Lutherus.

(Hoc scriptum a Buddeo in Supplemento Epistolarum M. Lutheri p. 323 redditur margini hac nota adscripta: „Haec D. M. Luth. propria manu scripsit in novum Testamentum suum Germanicum (E Biblioth. Templi B. Virginis Halensi.“ cf. Luth. Epp. ed. deWette (Seidemann) T. VI p. 432).

Adam ante opera et sacrificia promissionem seminis accepit, ut stet veritas, Fide sine operibus et iustitiam et remissionem peccatorum obtineri coram Deo ex mera gratia. Hinc recte Ebre. 11 fidem Abel in sacrificio eius laudat, imo et in omnibus factis et gestis Sanctorum fidem ibidem commendat a Deo spectatam ante opera, imo per fidem et ex fide opera secuta esse. Proinde non est admittenda separatio iustitiae, fidei et operum, quasi sint duae diversae iustitiae, more Sophistarum, sed est una iustitia simplex, fidei et operum, sicut Deus et homo una persona, et anima et corpus unus homo. Si enim separes, mox periit fides, et opera

remanent. Hypocrisis dupliciter impia. Si enim opera sunt, ex fide sunt et fiunt. Si fides est, ipsa prodit et operatur. Ioannes 15: Palmes in fide manens fructificat. Unde Sanctorum opera bona sunt peccata, si in se ipsis spectentur separatim, sicut fit, dum in illis fiditur. Ne ergo in illis fidatur, utile est, ea damnari et peccata fieri, sicut oportet. Ubi separantur tanquam .... iustitiae seorsim a fide. Cum autem fides natura sit ante opera, recte dicimus, Sola fide nos iustificari. Quia ut credamus non fit per opera, cum nondum sint aut fiant, sed per verbum, quod promittit gratiam et credentes declarat esse gratos et salvos remissaque esse peccata; tum per ipsam fidem fit, ut operemur, et ita fides ceu crassescit opere et fit fere palpabilis, quemadmodum divinitas sola Christum et Dominum facit, sed tamen assumta carne crassatur et fit palpabilis, sicut 1. Ioh. 1 dicitur: Verbum, quod palpavimus et quod habitavit in nobis. Mox ubi separaveris, nullus est alius usquam Deus et caro erit bis perniciosa. Si enim iustificaremur propter opera ex fide sequentia, iam non iustificaremur ex ipsa fide, nec propter Christum, sed propter nos ipsos, qui post fidem operamur, quod est Christum negare. Non enim Christus apprehenditur operibus, sed fide cordis. Ergo necesse est, sola fide nos iustificari sine, ante, absque operibus, opera vero ipsa propter fidem probari, iusta censeri et placere. Quam falsum igitur est, iustos propter opera futura praedestinari, tam falsum est, propter opera fidei futura iustificari. Sed sicut praedestinationis gratia postea efficit opera ipsa sola sine operibus, eligens et vocans iustificandum et operaturum, ita fides efficit opera ipsa sine operibus iustificans et peccata delens ante opera. Non quidem fides propter opera, sed opera propter fidem fiunt, nec fides exspectat ea, ut iustificetur per ea, sed opera exspectant fidem, ut iustificentur per eam, ut fides sit activa iustitia operum, et opera sint passiva iustitia fidei. Alioquin opera essent causa iustitiae, ut sine qua

effectus iustitiae non subsisteret etiam stante fide. Velut causa sine effectu iustitia plane non causa etc.

Ex eodem autographo:

Ad omnia dicta Scripturae, quibus videtur iustitia operum statui, respondebis ex Ebre. 11 hac voce: Fide, ut: Date eleemosynam et omnia munda vobis, respondetur: Fide date. Sic enim ibidem omnium Sanctorum operibus praeponit: Fide, et rationem reddit: Quia sine fide impossibile est placere Deo. Habita igitur fide in omni opere habes simul iustitiam sine operibus istis, quia necesse est fidem ante opera esse. At fides iustificat, imo est iustitia, et sic tum fide iustus facit opera fidei.

A. 1542.

26) Praefatio D. M. Lutheri in Urbani Rhegii Prophetias veteris Testamenti de Christo.

Urbanus Rhegius anno 1532 uxori suae omnes veteris Testamenti de Christo prophetias collegit atque explicavit, et quinque annis post multorum amicorum precibus commotus Wittebergae explicata typis evulgavit (cf. Urbanus Rhegius. Leben und ausgewählte Schriften von Dr. Gerhard Ahlhorn. Elberfeld 1861 p. 331 sq.). Inscriptio huius libri haec erat: Dialogus oder Gespräch von der herrlich kräfftigen Predigt, welche der Heyland aus Mose und den Propheten den zweyen nach Emaus reisenden Jüngern in Eröffnung der heiligen Schriften gehalten. Wittenberg 1537, 4. (cf. Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 15. Ahlhornii l.: Urban. Rhegius p. 369). Postea Rhegio rogante Ioannes Frederus hunc librum, „cum omnes veteris Testamenti de Christo eiusque regno prophetias pie et bona fide, docte, succincte diligenterque explicatas contineret omnesque, quos Rhegius scripsisset libros, ut magnitudine

sic et utilitate facile vinceret" in latinam transtulit linguam et mense Aprili a. 1542 Ducibus Brunsvicensibus et Luneburgensibus dominis suis epistola Hamburgo missa hanc versionem dedicavit, eique Lutherus praefationem praemisit. In lucem prodiit hic liber latine redditus post obitum Rhegii sub hac inscriptione: Prophetiae veteris Testamenti de Christo collectae et explicatae per D. Urbanum Regium cum praef. D. Martini Lutheri etc. 1542. (cf. Walchii introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 15 et v. d. Hardtii autogr. Luth. T. III p. 309), postea receptus est in „Opera Urbani Regii latine edita," quae a. 1562 Norimbergae impressa sunt. Ibi, Tom. I p. 164, Rhegii liber sic inscribitur:

> De concione Christi ad duos illos discipulos Emaum euntes mox a resurrectione ex Mose et Prophetis habita Dialogus, quo prophetiae veteris Testamenti de Christo pie et luculenter explicantur;

et Lutheri praefatio (p. 165) sic redditur:

Praefatio D. Martini Lutheri *).

Multis de causis magnum accipio dolorem, quoties iam audio funera piorum, praesertim eorum, quorum virtus in gubernatione seu publica seu domestica fuit insignis. Primum enim doleo ecclesiae, reipublicae aut etiam familiarum iacturas, quae fidelibus orbatae sunt custodibus. Nam ut nunc de ecclesiis dicam, quanto damno affectae sunt ecclesiae Saxonicae amisso Urbano Regio, qui vere fuit episcopus vicinarum regionum, in quibus Evangelium Christi pure sparsit, correxit cultus et mores populi, oppressit fanaticorum deliria, multos pios ministros et alios gubernatores doctrina, consiliis et

*) Legitur haec praefatio latine etiam in Supplemento Epistolarum Mart. Lutheri cum praef. Buddei p. 331, et germanice in Walchii ed. Opp. Luth. T. XIV p. 162 atque in ed. Opp. Luth. Lipsiensi, Tom. XII p. 74.

autoritate rexit. Horum magna pars nunc agnoscit, se velut gregem sine pastore vagari.

Cogitanti autem de interitu talium virorum accedit alius longe maior et acrior dolor. Cum enim animo circumspicio omnium regionum ecclesias, quas et in precibus meis complector, non sine magno moerore cogito, quam pauci nunc sint idonei ministri et in illis ipsis, qui existimantur antecellere, quanta sit infirmitas, in nonnullis etiam perversitas. Deinde deploro et fastidia Evangelii in populo, qui non afficitur cura religionis, non studet conservare ministerium, non metuit horrendam iram Dei, non emendat mores. Iam cum scholas considero, in quibus seminaria excoli debent ad regendam ecclesiam et rempublicam ad posteros, quanto afficior moerore, cum video petulantiam, inscitiam et arrogantiam eius iuventutis, quae nobis successura est. Postremo cum circumfero oculos ad principes et aulas, ibi vero mixta dolori indignatio accenditur. Nam cum ille summus gradus praecipue deberet fovere ecclesias, tueri disciplinam, excitare studia literarum et virtutis, ornare Evangelium bonis exemplis, ostendere Dei timorem in domestica vita, diligentiam in iudiciis, zelum in severitate poenarum, fortitudinem et fidem in defensione civium et sociorum, quid horum facit? Si principes officium suum diligenter facerent, vicissim a Deo ingenti gloria ornarentur, sicut scriptum est: Glorificantes me glorificabo. Quantum decus esset, si Deus excitaret eos ad defendendam patriam adversus Turcicum furorem ac doceret manus eorum ad proelium, ut Psal. loquitur. Sed ut redeam ad institutum, magno dolore afficior singulorum ordinum vitia considerans. Et cum insignia Christi membra evocantur ex hac vita, etiam significatione moveor. Cum enim impendent publicae poenae, prius a reliqua multitudine abducit Deus electos, ut Esaias inquit: Iusti colliguntur, ne videant malum, fruuntur pace et quiescunt in cubili suo. Ut ante diluvium pii patres et eorum auditores placide exstincti sunt, ne essent spectatores tantae irae Dei, qua totum genus

humanum praeter unam familiam Nohae deletum est et ante excidium Hierosolymae prius inde sancti expulsi fuerunt. Ita solet Deus, ut ait Ioannes, prius colligere triticum in horreum suum, postea vero paleas abiicere in aeternum ignem. Sunt autem crebra hoc tempore piorum funera, et deterior multitudo manet superstes, contemptrix Dei, secura, certans ambitione, avaritia, dedita luxui, levis, astuta, instructa novis et inusitatis fraudibus, mendax, perfidiosa. Hoc ipso signo vehementissime moveor, ut iudicem impendere magnas calamitates et rerum humanarum mutationes, quae audaciam humanam castigabunt et ferocienti mundo rursus frenum iniicient.

Quanquam igitur dolendum est, interitu doctorum et piorum nudari ecclesiam praesidiis, tamen ipsis quidem gratulanda est haec quasi emigratio. Beati mortui, inquit Scriptura, qui in Domino moriuntur. Quare et Urbanum nostrum, qui in vera invocatione Dei et fide Christi assidue vixit et fideliter servivit ecclesiae et Evangelium castitate et pietate morum ornavit, sciamus beatum esse et habere vitam et laetitiam aeternam in societate Christi et ecclesiae coelestis, in qua nunc ea coram discit, cernit et audit, de quibus hic in ecclesia iuxta verbum Dei disseruit. Ut antea cum coniuge, cum liberis suis, denique etiam cum omnibus lectoribus colloquebatur de dictis patrum et prophetarum, quae in hoc Dialogo pie, erudite et apposite recitat, ita nunc ipsos primos doctores et Christum haec interpretantem audit, gaudet suam fidem congruere cum ipsa Christi et patrum voce, agit gratias Deo pro donata luce, antequam hinc discesserit, qua in ipso peccatum deletum est et inchoata vita aeterna. Ne hoc quidem arbitror casu accidisse, quod paulo ante mortem hunc Dialogum de resurrectione plurimum legit, quasi iam animo hinc discessum praesagiens, in quo gloriosam Christi resurrectionem intuens sciebat mortem abolitam esse et sibi hanc Christi vocem inculcabat, qua dicit: Ero mors tua, o mors, et morsus tuus, inferne.

Ut autem erat in Urbano pietas erga coniugem et liberos eximia, et coniunx omnibus piae matronae virtutibus excellit, et familia honeste instituta est, ita credibile est, eum non sine moerore discessisse a suis, qui ipsius officiis indigebant, sed tamen illud norat, Deum esse patrem orphanorum et defensorem viduarum. Deo nunc familiam commendat, qui certe piorum sacerdotum familias et texit hactenus et teget et alet postea, vel invito mundo, sicut scriptum est: Non vidi iustum derelictum nec semen eius quaerens panem. Spero etiam futuram, ut harum piarum mulierum, filiarum et filiorum militia, hoc est pietate et precibus, nostrae ecclesiae et respublicae tegantur contra Turcicam crudelitatem.

Ac de Urbano hactenus, cuius memoriam retinere debemus, ut ipsius scripta avidius legantur, continent enim piam et salutarem doctrinam. De morte vero eius cum cogitamus, gratulemur ipsi dulcissimam consuetudinem cum Christo, ecclesiarum vero orbitate moveamur et Deum oremus, ut similes ministros in Evangelii messem extrudat. Oremus etiam, ut impendentes calamitates orbi terrarum mitiget, et mores nostros emendemus.

Peculiariter autem hunc Dialogum studiosis commendo, qui consolationem utilissimam piis continet et multa testimonia contraxit in unum fascem eaque erudite enarrat. Mundus etiam invitus fateri cogitur, hanc doctrinam promissionum Evangelii traditam in dictis patrum multis seculis non habuisse tantum lucis, quantum Dei beneficio nunc habet. Ideo haec scripta conservanda sunt. Sed tanta est securitas hominum in maximis vitiis, ut metuendum sit, secuturas esse rursus densissimas tenebras et harum poenas, calamitates multiplices, regnorum mutationes et vastitates. Est et exemplum honestum et dignum laude, quod cum pia coniuge de patrum et prophetarum dictis colloquitur. Nam haec societas coniugalis est initium et seminarium ecclesiae: quare de nulla re magis decet coniuges *colloqui*, *quam* de Deo et eius beneficiis et admi-

randis operibus, quorum exempla quotidie vident pii coniuges in generatione et educatione sobolis. Deinde nihil dulcius est, quam in coniugio consentiens fides mariti et uxoris, una voce Deum invocans. Magnum alteri praesidium est alterius fides pro altero sollicita et apud Deum pro eo laborans. Denique sit coniugium talis societas, de qua Christus inquit: Ubicunque duo convenerint iu nomine meo, in medio eorum sum. Vera fide pariter invocent Deum coniuges, colloquantur inter se de Evangelio, tradant Evangelium liberis. Talium coniugum conversationi et periculis haud dubie adest Iesus Christus, filius Dei, et destruit opera diaboli, qui ut toti ecclesiae molitur exitium, ita saevissime irruit in coniuges pios et pias familias. Sed inter haec pericula lucet sanctorum fides et triumphat Christus. Derident talia piorum coniugum colloquia Papistae impuri et inquinati coelibatus defensores, sed nihil dubium est, Papistas daturos esse poenas obscoenitatis, qua polluunt totam rerum naturam et Deum horribiliter offendunt. O duras et ferreas mentes hominum. Manifesta sunt peccata Papatus, idolatria et foedissimae libidines, et poena, scilicet Turcica rabies, est in conspectu, et tamen adhuc laudantur et defenduntur tam abominanda scelera. Ideo oremus Deum, ut quam primum illucescat ille dies ecclesiae laetissimus, quo Christus palam se ostendet mundo et resuscitatis mortuis diabolum et impios in aeternas poenas abiiciet et glorificabit coetum, qui in magnis aerumnis in hac vita Evangelio obtemperavit.

A. 1543.

27) D. M. Lutheri praefatio in Declamationes illustrium principum iuniorum Saxoniae, Iohannis Friderici II et Iohannis Wilhelmi fratrum. Anno M.D.XLIII *).

---

*) Integer titulus huius libri est: Illustrium princi-

Vidimus et audivimus his diebus singulare et apud Germanos inusitatum exemplum, quod duo fratres, alter tertium decimum, alter quartum decimum annum ingressus, ac pene (ut dicitur) infantes, habuerunt duas has orationes latinas contiguas coram tota hac Universitate, et hi fratres non infimae, nec mediocris, sed summae nobilitatis, puta summo clarissimoque loco nati, nempe filii illustrissimi principis nostri et domini D. Iohannis Friderici Ducis Saxoniae, Electoris etc., omnium studiorum, artium et virtutum patroni clementissimi, qui et ipse cum aliquot aliis principibus una praesens audiebat, magno (ut credere par fuit et satis apparebat) gaudio, scilicet pater, filios suos ea aetate tam feliciter idque brevi tempore in literis profecisse.

Ego sane inter ceteros admirabar vehementer non solum istam animi magnitudinem in pueris, qua in tali ac tanto coetu nihil territi latine et dexterrime perorabant, sed etiam tam pure, tam graviter, tam distincte ac fere memoriter, quasi ex tempore dicerent, omnia pronunciabant.

Simul succurrebat recordatio temporis paulo superioris, in quo non invenisses ex omni (quod dicitur) multitudine ecclesiastica, Pontificum etiam Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, addo Doctorum, et quicunque voluissent denique audire doctissimi inter eos, qui tale aliquid praestare potuisset. Certe magnum decus magnamque gloriam lite-

---

pum iuniorum Saxoniae Io. Friderici II et Io. Wilhelmi fratrum Declamationes, quarum est: 1) de boni principis officio, 2) de divo Georgio, 3) de dignitate legum conservanda, 4) gratulatio, qua patrem suum clem. Io. Frid. duc. Sax. elector. victorem a Brunsvig. redeuntem excepit. Wittenb. 1543, 8. (cf. Walch. introd. in T. XIV Opp. Luth. p. 40). Latine redditur haec praefatio in ed. Opp. Luth. Ien. a. 1558. Tom. IV p. 780, germanice excusa invenitur apud Walch., T. XIV, p. 381, et in ed. Lips. Opp. Luth. Append. T. XXII p. 134. Nos textum reddidimus secundum edit. Opp. Luth. Ienensem.

rae, utut sint apud alios magnates et proceres contemptae, in istis clarissimis et illustrissimis principibus consecutae sunt, nec minore gloria ipsae vicissim principes tantos ornaverunt.

Hic videas, quid sit quantumque valeat bona institutio, praesertim si contingat (ut hic) natura formabilis et ingenium idoneum. Qua in re optimi parentis et illustrissimi Principis consilium et voluntas mirifice extollenda sunt, qui filios suos non vulgari more principum et nobilitatis dilexerit, id est, otio et ignorantia negligi passus sit, sed omni studio et cura eos recte institui et erudiri curavit, ut essent non tantum sanguinis genere clarissimi, sed et literis ingeniique cultu cunctis nationibus admirabiles. Sed ipsae orationes mihi omnem materiam laudis praeripuerunt, ex quibus ipse lector intelliget plura, quam mea sicca ista et ieiuna seu horrida et sordida oratio dicere potest.

Hoc reliquum est, ut optimis pueris clarissimisque Principibus omnia bene precemur et oremus Deum Patrem, largitorem istorum et omnium bonorum, ut coeptis istis felicibus studiis et institutis feliciorem successum felicissimumque fructum benedictione abundantis gratiae suae donare dignetur. Quod eo magis orandum est, quod hoc seculo ingrato et pessimo dubitare nos Christiani non possumus, quin diabolus, omnium bonorum ipsiusque Dei hostis furentissimus, et sicut leo rugiens, et confessioni Evangelii per istos Principes exacerbatissimus, tentabit omnibus studiis et insidiis, si non perdere omnino poterit, tamen impedire et frustrari haec divina dona.

Et videmus in sacris historiis, imo et in omnium gentium historiis, quibus, qualibus, quantis machinis et astutiis in aulis regum et principum (quia ex illis maximos et saluberrimos fructus in ecclesiam et politiam proferri sentit) regnare semper tentarit et omnia invertere studuerit, ut, nisi principem ista coronet et complectatur oratio, Psalmo 20: Protegat te nomen Dei Iacob, mittat tibi auxilium de sancto et de Zion tueatur te, certe inter tot dra-

cones, serpentes, lupos, vulpes, et si qua peiora sunt monstra diaboli furentis ministeria, id est inter fallaces consiliarios, perfidos amicos, proditores ministros, rapaces proceres, ipse unus et solus nequeat onus suum sustinere et perdurare, et tamen inter hos vivere et regere cogitur. Principes enim et quod optimum et summum in mundo est unice et avidissime petit, delicatae est gulae (ut dicit Habacuc), esca eius electa, et tyranni ridiculum eius sunt.

Quapropter commendatos habeat sibi ecclesia et quisquis est, qui Christi esse voluerit, hos optimos Principes et eorum studia ac gubernationes, fideli et seria apud Deum oratione iuvet contra diabolum, hostem illorum praecipuum. Qua in re faciemus non solum gratissimum sacrificium Deo, sed nobis ipsis quoque necessarium et salutare beneficium. Quis enim cogitando, nedum dicendo consequi potest, quam beata res sit, sub bono et salutari principe vivere, qui et gloriam Dei et salutem reipublicae quaerat, augeat et conservet? Dona sunt haec et (ut Scriptura loquitur) benedictiones Dei opulentissimae.

Ipse Dominus Iesus Christus, filius Dei, qui coepit bonum opus suum in istis fratribus Principibus, det, ut non solum aliis principibus, sed sibi ipsis has duas orationes cumulatissimo opere et fructu recitarint, recitent retineantque semper ad gloriam Dei et salutem hominum, Amen.

A. 1544.

28) Praefatio [1]) D. M. Lutheri in G. Spala-

---

1) Nos textum repetivimus ex Seckend. Hist. Luth. Lib. III. Sect. 30. §. 118 p. 518, coll. cum deWettii ed. Epp. Luth. T. V p. 635; germanice redditur haec praefatio in Walchii ed. Opp. Luth. T, XIV, 391 et in ed. Lips. XXII. p. 135. Append.

tini. Magnifice consolatoria exempla et sententias ex vitis et passionibus Sanctorum, qui liber anno 1544 sub hac inscriptione editus est:

Magnifice Consolatoria exempla et sententiae, ex Vitis et Passionibus Sanctorum et aliorum summorum Virorum, brevissime collectae, Opera Geor. Spalatini. Cum praefatione D. Mart. Luth. Vitebergae 1544. 8. In fine: Ex officina Typographica Nicolai Schirlent. Anno salutis nostrae, millesimo qvingentesimo, quadragesimo quarto, mense vero Martio. (cf. Schütze III p. 369. Walchii introd. in Opp. Luth. T. XIV p. 42.)

Venerabili in Domino fratri, M. Georgio Spalatino, Pastori Altenburgensis ecclesiae et Superattendenti suae dioecesis ecclesiarum in Misnia fidelissimo et sincerissimo, gratiam et pacem in Christo Deo et salvatore nostro.

Placet mihi institutum tuum, mi Spalatine, nec dubito, quin Deo ipsi placeat et omnibus, qui Deum quaerunt, quo collegisti Sanctorum Dei dicta et facta puriora [1]). Pertinent enim haec ipsa non solum ad obstruendum os loquentium iniqua contra nos et obtrectantium nobis, quasi novas opiniones et dogmata seramus, verum etiam ad confirmandas nostras conscientias, tot testimoniorum et exemplorum veterum nube eruditas, qui eadem nobiscum senserunt, dixerunt, fecerunt et tulerunt. Nam etsi unicuique sufficere debet sua fides in verbum Dei, ut contra portas inferorum etiam sibi soli in acie standum sit, tamen, ut est iuxta spiritum promtum caro infirma, non levi aut parvo momento movetur pius animus, si viderit tot secula, tot exempla, tot excellentes homines ante et circa se similes sibi fuisse, et similia semper facta esse per illos, qualia nos ex Scripturis didicimus, et experientia quotidiana cognoscimus in nobis. Multa sunt quidem in

---

1) deWette: potiora.

sanctis hominibus, sicut et in nobis, quae dixerunt et fecerunt secundum tyrannidem et legem peccati Rom. VII.: Quod volo bonum, non facio, quod nolo malum, hoc facio, itaque non ego id facio, sed quod in me habitat peccatum etc.[1]): taceo mendacia, quae sunt in eorum historias per impios diaboli ministros seminata, tamen, cum ventum est ad agonem et confessionem, videmus, quam pure et constanter fidem suam testentur. Quid potuit Ambrosius magis pie et fortius dicere, cum in agone suo novissimo contra peccatum, mortem, iram Dei et infernum hanc vocem confidentissime edidit ad circumstantes sacerdotes: Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus: quam vocem S. Augustinus in suo quoque agone mirifice commendavit, ut refert Possidonius in eius legenda. Et ipse quoque Augustinus sese hac voce sui ipsius solabatur contra conscientiam (quae est mortis saevissimum ministerium): Turbabor, inquit, sed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor. Quis non videt, sanctissimos viros talibus verbis testari fidem in Christum, nudam quidem et solam, sed firmam et victricem mortis et peccati? Nam etsi vitam et opera sua iudicent coram hominibus irreprehensibilia esse (sicut decet et oportet), tamen coram Deo nituntur sola misericordia et bonitate eius, tacitis meritis, et in vulneribus Christi, sicut columba illa in foraminibus petrae (petra autem est Christus), volunt inveniri. Recte itaque et utiliter facimus, si Sanctorum dicta et facta primum a mendaciis alienis purgemus, deinde verbum recte secantes prudenter ad regulam seu analogiam fidei probemus, sicut docet Apostolus: Omnia probate, quod bonum est tenete. Qua admonitione quid opus fuit, si Sanctorum dicta et facta omnia sine iudicio pro articulis fidei essent habenda? Non fuit eorum vocatio aequalis apostolorum et prophetarum vocationi.

---

1) Apud deWette deest: etc.

Sancti fuerunt, sed homines, et quorum spiritus promtus patiebatur carnem non modo infirmam, sed et repugnantem. Ubi ergo spiritu dominante loquuntur et operantur, sunt eorum verba et opera colligenda ceu fragmenta evangelica, ut quae Dominus Christus in eis operatus sit, et vere sint Christi ipsius opera: ubi vero carne adversante loquuntur et operantur, damnandi sane non sunt, sed excusandi vel tolerandi pro nostra certissima consolatione, quia videmus Sanctos Dei nobis infirmis similes fuisse, et suam unumquemque in carne ista peccati circumtulisse infirmitatem. Hac causa volui tuum librum, mi Spalatine, invulgari. Sed tu deinceps tibi a laudibus meis tam grandibus (dicerem, nisi esset mihi tuus candor notus, falsis) temperabis. Scio, me esse nihil. In Domino bene vale, et ora pro me, ut feliciter migrem ex corpore mortis huius et carne peccati huius, Amen. 8. Martii, M.D.XLIV.

---

29) Praefatio*) D. M. Lutheri in Vitas Patrum, qui liber anno 1544 sub hoc titulo editus est:

Vitae Patrum in usum ministrorum verbi, quoad eius fieri potuit, repurgatae. Per Georgium Maiorem. Cum Praefatione D. Doctoris Martini Lutheri. Vitembergae. 1544. In fine: Impressum Wittembergae per Petrum Seitz. Anno 1544. 8. (cf. Walchii introd. in T. XIV. Opp. Luth. p. 41. Schütze III, 369).

D. Martinus Luther pio lectori salutem.

Inter cetera satanici furoris opera hoc non minimum est, quod historias seu, quas vocant, Legendas Sanctorum quam plurimas aboleverit, et quas exstare passus est (haud dubie non volens), ita

*) Nos textum repetivimus ex editione originali anni 1544; germanice redditur a Walchio T. XIV Opp. L. p. 384.

corruperit fabulis stultis et impiis mendaciis, ut veri multo sint similiores et utiliores gentium quaedam fabulae. Tantum est odium serpentis contra semen mulieris et ecclesiam Christi, ut etiam post mortem persequatur memoriam Sanctorum, ne vel eorum egregia dicta et facta viventibus salutari exemplo vel consolationi esse possent. Hinc illud mali venit, ut nec apostolorum historias, quas maxime oportuit, fideles et puras habeamus, nisi quantum ex Luca, Eusebio et aliis quibusdam relictum est. Cetera disiderantur et optantur frustra.

Nam et in ipsa urbe Roma nescitur, ubi sint apostolorum Petri et Pauli capita et corpora cum integris suis historiis, etsi Pontifices quotannis ostentent stultis populis duo lignea et factitia capita Petri et Pauli, quae sinunt et credi volunt vulgo esse ipsa nativa crania Petri et Pauli. Et super eo altari, ubi condita sunt, consecrant episcoporum pallia, iactantes desuper capitibus apostolorum ea mitti, ut Decretales loquuntur, incredibili perfidia et insanissima mentiendi libidine orbem fallentes, ad gloriam et honorem diaboli, patris mendaciorum, cuius sunt ministri. Idem faciunt cum fallaci illa Veronicae tabula, quam cum sciant esse nihil et inanem, tamen magna pompa ostentant pro imagine Salvatoris impressa sudario (ut vocant), sed pannis ita velatam, ut nemo quicquam videre possit, nec ipsi qui ostentant. Quis enim videat id, quod nihil est? Sed quid multa? Ipsa quondam Urbs tempore martyrum sanctissima et totius ecclesiae locus unus in orbe terrarum omnium praeclarissimus, post, ut et nunc est, impudentissimis mendaciis et stultissimis fabulis, conniventibus scilicet Pontificibus impiis et sceleratis, unus omnium refertissimus per omnes angulos et plane sentina omnium turpitudinum et vitiorum, scilicet impletum est diaboli tam dirum votum, in quod semper hiavit, ut ex optima ecclesia sibi faceret satanicam speluncam latronum horrendissimam et sterquilinium prorsus inexpurgabile.

Quod si Romam ausus est tam foede conspur-

care, permittente ira Dei, nostra ingratitudine cogente, quam Christus maximo Spiritus sui impetu purgavit, sicut scriptum est: Conquassabit caput terrarum multarum, Psalm. 109, quid rogo in aliis partibus orbis (quantum potuit furor eius) nobis purum et sincerum relinqueret? Hinc mundus plenus est impietate, idolatria, cultibus, fabulis et legendis Sanctorum, missis profanis, et quis omnia scandala numeret? Ipsam vide Scripturam et sacramenta Dei, quot generibus et speciebus haeresium et errorum tentavit prorsus perdere? nec hodie in hac re minus furit, quam antea semper. Ea malitia quoque imprimis appetivit hunc librum celeberrimum, quem Vitas Patrum appellat orbis totus ecclesiae.

Sed hic prius referam ipsius S. Hieronymi sententiam, quae est in Epistola eius ad Ctesiphontem contra Pelagianos. Evagrius, inquit, ponticus Hyperborita, qui scribit ad virgines, scribit ad monachos, edidit librum et sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur et (ut simpliciter dicam) vel saxum vel Deus est. Huius libros per orientem Graecos, et, interpretante discipulo eius Ruffino, Latinos plerique in occidente lectitant. Qui librum quoque scripsit quasi de monachis, multosque in eo enumerat, qui nunquam fuerunt, et quos fuisse scribit Origenistas, et ab episcopis damnatos esse non dubium est, Ammonium videlicet et Eusebium et Euthymium et ipsum Evagrium, Origenem quoque et Isidorum et multos alios, quos enumerare taedium est. Et iuxta illud Lucretii:

Ac veluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt dulci mellis flavoque liquore,

ita ille unum Iohannem in ipsius libri principio posuit, quem et catholicum et sanctum fuisse non dubium est, ut per illius occasionem ceteros (quos *posuerat*) haereticos ecclesiae introduceret etc.

Reliqua tu ipse lege, lector, dura certe de Ruffino et Eusebio Caesariensi, si vera est narratio.

His verbis videtur S. Hieronymus hunc librum nominare et plane velut digito monstrare. Qui si tempore illo sic fuit corruptus et confusus liber, quid et quantum putas post illa tempora accesserit fabularum et mendaciorum? qualia illa sunt de Marino, Euphrosyna, Simone super Columna, et similia multa, quae partim poetica sunt, quibus vaniloqui homines Stoicas illas apathias voluerunt in ecclesia superatas videri, quas tamen nullus Stoicus unquam vidit neque sensit, partim prorsus impudentissima figmenta, quibus irrisa est ecclesia in suis veris miraculis.

Sed id observandum est in verbis S. Hieronymi, qui damnat in isto genere monachorum tantum eos, qui Pelagiani et Origenistae fuerunt, et cum negari non possit, multos fuisse eiusdem nominis, quorum alii haeretici, alii orthodoxi fuerint, fit ista confusio, ut nescias, quis, qualis fuerit. Nam si universum monachorum genus (ut illo tempore fuit) damnes, ipsum S. Hieronymum imprimis damnabis, qui non solum laudavit plus nimio hoc vitae genus, ut vides in Antonio, Paulo, Hilarione, Malcho, sed ipse quoque factus est urbe relicta monachus, satis periculoso exemplo multorum.

Fuit istius seculi mos, si mos vocari potest tantus furor satanae, ut inciperent magno impetu agere, quod Paulus praedixit 1 Tim. 4: Prohibentium nubere et cibis abstinere etc., quasi nulli possent esse Christiani, nisi coelibes essent et Stoicis dogmatibus satisfacerent, ita ut etiam ipsius Hieronymi libri opus habeant acris iudicii lectore, ubi nuptiis iniquissimus est et secundas, si licuisset, prostibulis comparasset. Sed revocavit et correxit eum postea episcoporum fidelium ministerium, qui Pelagianos et Origenis errores (quem prius non dubitaverat scribere Magistrum ecclesiarum post apostolos) damnaverunt.

Quae cum ita se habeant, ut liber iste Vitas Patrum opus habeat severiore censura, postquam

omnia sunt fanda nefanda malo permixta furore, ut nescias, quae Ruffini, quae Hieronymi vel aliorum, deinde quae Hieronymi certa sunt, quo Spiritu haec vel illa scripserit, impuli et vix perpuli precibus D. Georgium Maiorem, ut hoc onus seligendi et purgandi omnia susciperet, haud dubie molestissimum. Sunt enim in eo libro, ut et in Hieronymo, multa egregie dicta et facta, quae ut fragmenta Evangelicae mensae colligere oportet et non abiicere cum istis sordibus, quas alii imprudentes miscuerunt, velut illae dirae volucres apud Vergilium dapes Aeneae foedaverunt.

Non est autem difficile internoscere et discernere, utri sint probandi. Pelagiani enim et Origenistae urgent Stoicas apathias et nescioquas perfectiones vitae. Qua in re etiam Augustino fecerunt negotium. Ceterum de gratia, fide, remissione peccatorum et veris magnalibus Dei, quo etiam infans, ut Isaias dicit, vincit mortem, peccatum, infernum, satis modeste susurrant et leniter, ne dicam, in totum silent, suas autem Stoicas apathias ambabus buccis inflant. Contra orthodoxi, media et regia via incedentes, nec peccatis indulgent, neç perfectiones sibi arrogant, sed peccatoribus poenitentibus et credentibus remissionem peccatorum, gratiam, vitam et salutem tribuunt. Quae opera, ut sunt ipsius Dei et Christi Domini nostri, ita sunt abscondita sapientibus istis et intelligentibus. Quis est enim inter eos, qui videat parvulum baptisatum esse dominum et victorem peccati, mortis et diaboli? Sed obliti iam dudum sui baptismatis eundem invadunt hostem suis propriis viribus superandum, id est, diabolum, peccatum, mortem, quem debebant agnoscere victum eis esse in suo baptismate, id est, in Christo, semine mulieris.

Haec esto regula, quae fuit et erit in secula. Deo laus et gloria. Amen.